Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Bibliotheca

Palatino
Düsseldor-
piensis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oest. G. Nro. 32

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# ANALECTA
# MONUMENTORUM
## OMNIS AEVI
# VINDOBONENSIA.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ANALECTA
MONUMENTORUM
OMNIS AEVI
VINDOBONENSIA.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# ANALECTA
# MONVMENTORVM
## OMNIS AEVI
# VINDOBONENSIA.
## OPERA ET STUDIO


## ADAMI FRANCISCI KOLLARII,
PANNONII NEOSOLIENSIS,
MARIAE THERESIAE AUG. A CONSILIIS, ET AUG.
BIBLIOTHECAE VINDOBONENSIS
PRIMI CUSTODIS.


## TOMUS II.




VINDOBONAE,

TYPIS ET SUMPTIBUS JOANNIS THOMAE TRATTNER,
AUG. AULAE, ET INCLYTORUM INFERIORIS AUSTRIAE ORDINUM TYPOGR.

ANNO CIↃIↃCCLXII.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Oest. G. 32 (2) 2°

KOENIGL.
BIBLIOTHEK
ZU
DUSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# LECTORI BENEVOLO

## ADAMUS FRANCISCUS KOLLARIUS

S. P. D.

Vetuſta litterarum monumenta, quæ alterum hoc Analectorum meorum Volumen habet, clariſſimi momoria ſua viri BOECLERUS, LAMBECIUS, KULPISIUS, GENTILOTTUS in lucem olim proferre publicam voluerunt, quæ præcipua mihi fuit cauſa, cur ea nunc demum juris fecerim publici. De ſingulis, pro recepto mihi more, agam diligentius præviis in monitis, atque unde in medium protracta, & cujus ſpe utilitatis a me vulgata ſint, paucis docebo. Hic, ut evolvendi hujus itidem voluminis deſiderium lectoris, ſi poſſim, excitem; præfari libuit de *Hiſtoria Auſtriaca ab* AENEA SYLVIO diligenter ſimul & venuſte ſcripta, quae primum iſta in *Sylloge* locum obtinet. De vita & doctrina, deque eruditis laboribus AENEAE SYLVII, ſiue PII SECUNDI Pontificis Maximi diligenter imprimis commentati ſunt JOANNES ANTONIUS CAMPANUS, & JOANNES GOBELLINUS. Propoſitum meum ea potiſſimum juvant, quæ de auctore noſtro ab IMP. FEDERICO III. ſecretioribus ſcriniis praefecto, GOBELLINUS memoriae prodidit. Quippe, cum illa pars ejus vitae cum opere, quod nunc primum integre vulgamus, conjuncta ſit, idemque ſimul pulcerrima in luce collocet; rem me facturum neque injucundam lectoribus me-

is neque inutilem omnino ſperem, ſi ejus hic paucis meminerim. Igitur auctor noſter cum aliorum, tum laudati GOBELLINI a) teſtimonio, FELICI V. Summo Pontifici, aut, ſi mavis, AMADÆO Sabaudiae duci Baſileenſi in Concilio ab epiſtolis fuit, *donec*, ſcribente GOBELLINO, FEDERICVS *tertius Romanorum rex, qui Alberto defuncto ſucceſſerat, Francfordiam, & Alemaniae partes inferiores petens, apud Aquisgranum regni coronam accepit: ad quem cum Felix legatos mitteret,* AENEAM *quoque juſſit eo pergere: qui cum conſiliarios FEDERICI ſaepius alloquitur, in amicitiam gravis & docti viri SILVESTRI Chiemenſis epiſcopi recipitur. Deinde JACOBI Treverenſis archipontificis, & electoris imperii, hominis, qui nobilitatem cum virtute conjunxerat, in notitiam familiaritatemque venit: atque ab his in gratiam Caeſaris adductus, ac laurea corona, poëtarumque privilegiis donatus, ei ut ſerviret, ſuamque curiam ſequi vellet, rogatus eſt: cui AENEAS cum nulli juſtius quam Imperatori ſerviturum reſponderet, quia tamen apud FELICEM ſecretarii locum tenebat, indignum exiſtimavit, injuſſu ejus in alterius domini poteſtatem tranſire: ſed ait Baſileam ſe reverſurum, FELICISque voluntatem quæſiturum: quam ſi aſſequi poſſet, non invitum Caeſaris curiam ſecuturum. Caeſari, qui Baſilea tranſiturus erat, non ingratum reſponſum fuit. At AENEAS cum ad FELICEM rediiſſet, neque ſuopte ingenio abeundi poteſtatem obtinere poſſet: interpoſitis tandem amicis aegre dimiſſus eſt: qui ad FEDERICUM tranſiens, cum is ex Burgundia reverſus Baſileam petiviſſet, in ſecretarium admiſſus, in Romana Cancellaria protonotarii locum obtinuit: jusjurandum apud Briſcinam Caeſari praeſtitit: nam & ibi GASPAR SLIKIUS cancellariam accepit &c.* Haec GOBELLINVS; quae fidem merentur eo màjorem, quod iis, quae AENEAS de ſe ipſe in epiſtolis ad amicos ſuis ſcribit, pulchre conſonent: epiſtola quippe CLXXXVIII. PETRVM NOXETANVM Equitem & Comitem Palatinum certiorem reddit, *cum*, inquit, *Pontificatum* AMEDAEVS, *Dux Sabaudiae ſuſcepiſſet*, FELIX *nuncupa-*

(a) PII SECVNDI *Pontificis Maximi Commentarii rerum memorabilium &c. auctore* JOANNE GOBELLINO, *Edit. Francof.* 1614. *p.* 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*cupatus, in ſecretarium ſum ab eo accitus. Nec diu poſt vocatus ad FRIDERICVM Imperatorem Protonotariatus officium ab eo ſum adeptus, ſic Germani Secretarium appellant.* Ad FRANCISCUM deinde PICCOLOPASSUM, Mediolanenſem Archiepiſcopum, epiſtola XXIX. haec ſcribit: *quando me*, inquit, *neque quaerentem, ne ſomniantem quidem Caeſar noſter FREDERICUS AUGUSTUS in ſuum Secretarium accerſivit; cui jam ſervio in ſtatu graduque minime inhonorato . . . Et licet his diebus Baſileae fuerit* Caeſar, &, *quae tuam dignitatem arbitror audiviſſe, fecerit . . . deinde, ſi vides me* Poeta *ſubſcriptum, non mirere; quoniam me talem Caeſar eſſe voluit:* quae omnia clarioribus etiam verbis narrat in epiſtola CCCCII. ad SBIGNEUM S. R. E. Cardinalem data: *non tamen*, inquit, *Poetae nomen propria temeritate ſuſcepimus, nec prius hoc titulo ſumus uſi, quam nos FREDERICUS Caeſar apud Franckfordiam, viſis quibusdam epiſtolis noſtris, laurea donavit . . . Sed fuit alia non minor ratio, quae me hoc nomine frequentius uti coegit. Etenim cum veniſſem in Auſtriam, in Secretarium Caeſaris aſſumptus, offendi omnes, qui periti apud Viennenſes habebantur, Poeticam veluti rem perniciosam & abominabilem deteſtari. Coepi ergo eos arguere, diſputare ſaepe cum eis, oſtendere, Poeticam, qui recte uterentur, his frugiferam eſſe: nomenque talis doctrinae habendum & honorabile & ſanctum. Tumque, ne quis me nomen horrere crederet, quod laudarem, Poetam me ſcribere coepi. Neque dimiſi titulum illum, donec ad eccleſiam veniens, ſacros ordines ſubivi, & ad ſacerdotium promotus, quae ſeculi pompam ſaperent, poſtergavi.* Haec ille; at vero & locum & tempus & praeclara merita, propter quae auctor noſter laurea poëtica ornatus fuit, ipſo etiam Sylvio clarius narrat diploma, ab Imp. Friderico auctori noſtro eam ob rem datum *in oppido Franckford Anno Domini 1442. XXVII. die menſis Julii regni vero Friderici anno tertio* (1), quod, per me licet, conſule. Porro ad tertium Idus Novembris Caeſar Baſileam ingreſſus eſt, & vergente ad exitum hoc eodem anno cum ſuo comitatu, in quo



(1) *Exſtat apud Cl. Menckenium Tomo III. Scriptor. de rebus German. p.* 2039.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

AENEAS jam SYLVIUS fuit, in Auſtriam rediit; qui de die in diem merito ſuo Caeſari charior in ſanctius demum ejus conſilium receptus eſt. Decennio poſt Heri Caeſaris juſſu Hiſtoriam noſtram ab AENEA SYLVIO fuiſſe conſcriptam, memoriae prodidit ipſe in exordio ejusdem operis ad Caeſarem ſcripto: *Superioribus*, inquit, *diebus cum inter paucos ejus belli meminiſſes, quod Auſtrales adverſus te gerere praeſumpſerunt, converſus ad me bellum ipſum, unde ortum, et quo pacto finitum eſſet, ut ſcriberem, juſſiſti.* quae verba non obſcure indicant annum CIↃCCCCCLII. quo IMP. FRIDERICUM a ſuſcepta Corona ex Italia reducem bellum domeſticum excepit: quippe Hungari Bohemique et imprimis Auſtriaci correpta in Caeſerem arma non prius ſe poſituros conjuraverant, quam is LADISLAUM Poſthumum e tutela dimitteret. Propoſitum operis omne eodem in exordio auctor noſter complexus eſt verbis ſequentibus: *Non ſolum*, inquit, *hoc bellum Auſtralicum, ſed alia quoque de tua vita quam plurima, ſimulque tuae Domus originem, et quae noſtris geſta temporibus in Europa didicimus memoratu digna in unam Hiſtoriam congregemus.* Quae praeclara deſtinata ſua SYLVIUS noſter fideliter etiam exequutus eſt: etenim a primis terrae gentisque Auſtriacae initiis exorſus, ad annum CIↃCCCCLVIII. opus eximium prorſus et laudabile deduxit; quo nimirum anno ad Pontificii imperii principatum evocatus, ſtylum et animum ad graviora conſilia et opera traducere fuit coactus. Ea, quae abrupta reliquit, perfecta ab illo ac perpolita fuiſſe, ut credam, inducor ejusdem verbis, quae in *Hiſtoria Europae* ſua cap. XXII. legi: *Auſtriam*, inquit, *deſcribere hoc loco haud neceſſarium exiſtimamus, de qua propriam Hiſtoriam edidimus.* In bina, niſi me animus fallit, Hiſtoriae ſuae exempla innuit, in Bibliotheca Caeſaris ab ſe Romam abituro repoſita, ad quorum fidem tertium illud adornatum fuit, quod diligentiſſimi BOECLERI fortuna detectum et typis excuſum, cum aliis deinde monumentis, quae a celebri

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bri SCHILTERO nomen ferunt, CL. KULPISIUS in lucem protulit. Exemplar auctoris noſtri utrumque LAMBECIUS noſter in operibus ſuis paſſim laudat, quae compendio relata haec fere continent; primas alterum ſcriptoris cogitationes habere, alterum perfectius ac limatius eſſe et lucis publicae munere plane dignum. Tertium, quo, ut dixi, BOECLERUS uſus eſt, non videtur LAMBECIO fuiſſe probe cognitum; nuſpiam enim ejus memoriam intulit: cum tamen idem ipſum ſit, quod IMP. FRIDERICI III. juſſu, et, ut videtur, AENEAE SYLVII conſilio, in uſum MAXIMILIANI, FRIDERICI filii, JOANNES HINDERBACHIUS, Tridentinus Epiſcopus, ex codice SYLVII altero exſcribi curavit. Etenim Cl. BOECLERUS in epiſtola ad LAMBECIUM ſua, quam, adhuc ineditam, inferere hic non pigebit, ſcripſit ſequentia: *exemplo*, inquit, *uſus ſum in membrana diligentiſſime exarato et Briſaci adſervato olim: donec BERNARDUS Vinarienſis in manubiis repertum, Conſiliario cuidam ſuo donavit: a quo ad me pervenit.* Eadem et clarius multo repetit in adnotationibus ad eandem Hiſtoriam ſuis, quas altero in hoc etiam volumine loco excudi fecimus: *manu ſcriptus*, inquit, *codex per omnia venerandae auctoritatis eſt, quem nacti ſumus. Deſcriptus diligente et elegante manu in membranis puriſſimis, nitide compactus, inſcriptus MAXIMILIANO, FRIDERICI Imperatoris filio, et commendatus, florente adhuc Patre a JOANNE Epiſcopo Tridentino. Adſervatus Briſaci, Victori Duci Vinarienſi pro ſingulari monumento demonſtratus oblatuſque &c.* Briſacum a Maximiliano inſtauratum fuiſſe ac frequentatum, ſcimus. de JOANNE HINDERBACHIO, Tridentino Epiſcopo, pluribus agam in monito meo, Continuationi Hiſtoriae Auſtriacae Aeneae Sylvii, ab eodem ſcriptae, praemiſſo; hic Lectores monuiſſe ſufficiet, negligenter admodum, ne dicam imperite, a librario HINDERBACHII Briſacenſe exemplum fuiſſe ſcriptum: nam plurimis in locis de perplexis aut dubiis elemen-

tis mentem et ſententiam ſcriptoris dum perſpicere nequit, puncta, ἀμηχανίας ſuae indices, ſubſtituit, quae BOECLERI exemplum paſſim interrumpunt: inſignem deinde operis, partem, res lectu ac memoria poſteritatis digniſſimas complexam, immitis admodum reſecuit: quam libertatem Caeſarisne juſſu, an auctoris voluntate, vel libitu ſuo ſibi ſumpſerit, dicere non habeo. Atque ex his HINDERBACHII memoranis qua eruditione excultam et quibus cum monumentis Hiſtoriam noſtram Cl. BOECLERUS juris facere publici conatus ſit, loquuntur clariſſime ejus nobis litterae, quarum ſupra memini, ad LAMBECIUM noſtrum datae hoc exemplo (1):

*Illuſtris et ampliſſime Vir!*

*Jam pridem id egi, ut obſervantiae erga celeberrimum tuum nomen meae fidem tibi facerent, qui tua conſuetudine propius frui gaudent: ſed lentior fuit in explicandis votis meis fortuna, & fiduciam mei obſequii declarandi non ſemel minuit. Igitur quod unum potui, eminus te venerari, merita tua ubique praedicare, vitam et proſperam valetudinem, perficiendis, quae in decus et uſum Reipublicae meditaris, apprecari, nunquam hactenus deſtiti. Novam ſpem ſuggeſſit amicus Ratisbonenſis BERGIUS, cujus relatu didici, te propitiam erga me voluntatem, oblatis etiam luculentis ad hiſtoriam, quam paro, ſubſidiis, non obſcure demonſtraſſe. Exoſculatus ſum ut cœlo miſſum nuntium, nec moram interponendam duxi, quin ſtatim tuae benignitati gratias agerem maximas, meaque ſtudia et ſpes tuo patrocinio reverentiſſime commendarem. Multi omnino ſunt anni, ex quo conſilium cepi, res FRIDERICI IMP. qui vulgo tertius (2) uſurpatur, ſcribere: ſi tum aliqua potuiſſet praevideri fore, ut in domo Auguſta conſtitutus, annales Auſtriacos, in ipſa officina aeterni operis, tu aggrederis, Vir ſumme, ego manum & mentem ad alia vertiſſem. Nunc deſiſtere,*

(1) *Repoſitam a me cum aliis, huc pertinentibus, invenies in theca* 1. *Epiſtolarum* LAMBECII *faſciculo,* BOECLERUS *inſcripto.*

(2) *Cauſſam, cur tertius vulgo vocetur, vide apud* MULLERUM *et* BOECLERUM *etiam in notis, quas hic quoque* SYLVII *Hiſtoriae ſubjunximus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*tere, non eſt integrum: poſtquam et impenſae ſunt factae a Bibliopolis, nec deſunt, qui urgeant. Nam AENEAE quidem SYLVII, qui poſtea PIVS PAPA II. fuit, Hiſtoria duodecim annorum jam impreſſa eſt: et multa diplomata, documenta, ad res ejus aevi pertinentia, itidem typis exſcripta ſunt. Operis a me ſuſcepti primam partem AENEAE Hiſtoria conſtituet: quae, ſi tibi, Vir ſumme, idem videatur, notis quibuſdam hiſtoricis opus habere putetur. Exemplo uſus ſum in membrana diligentiſſime exarato, et Briſaci aſſervato olim: donec BERNARDUS Vinarienſis in manubiis repertum, conſiliario cuidam ſuo donavit: a quo ad me pervenit. Et quia audiveram, in Bibliotheca Auguſta duos ejuſdem operis codices ſervari, ante aliquot annos magnopere elaboravi, ſi per idoneum hominem, qui Viennae tum erat in convictu Illuſtriſſimi SCHUTZII, conferri cum foliis noſtris impreſſis poſſet impenſis meis: ſed reſponſum tuli, per occupationes tuas graviſſimas fieri, ut nihil tale ſperare liceret. Vidi etiam in Biliotheca Sereniſſimae Reginae CHRISTINAE duplex exemplum; ſed alterum negligenter, alterum non ſine lacunis ſcriptum. Quod ſi adhuc ſpes reviviſceret potiundi facultate conferendi, tui id beneficii haberem primum ſed magnum ſpecimen. Altera pars operis pertinet ad Hiſtoriam LIII. annorum, quibus FRIDERICUS imperavit, a me ſcribendam, per modum Hiſtoriae univerſalis. Subſidia ex Archivis varia conquiſivi, neque pœnitet hactenus collectionis. Quin autem tibi, Vir ſumme, rariſſima quaeque praeſto ſint, non conjicio tantum, ſed multa nominatim ſcio. Quia autem Annalibus tuis Auſtriacis, operi publicis votis expetito, pleraque ſervari auguror, impudentiae fuerit affine facinus, ſi petam mecum communicari. Manu ſcriptum itidem duodecim annorum res Auſtriacas & Hungaricas complexum MAURITIUS CHILON Profeſſor ad me tranſmiſit: ſcriptorem autem coaevum manu ſcriptum non indiligentem, Cancellarius FORSTNERUS quondam mihi tradidit. Tertia pars habebit diplomata et documenta varia, magnam partem jam impreſſa, unde forma et ratio tractandae Reipublicae iis temporibus uſitata, illuſtretur. Quid et quantum velis, ex immenſa tua copia, in noſtros rivulos derivare, tua tibi benignitas dictabit, quam importunis precibus fatigare, merito religio eſt mihi. Satis habere debeo, ſi mihi*

*inter*

*inter eos, qui te venerantur, aliquem locum attribuere non graveris. Ita Deus te ſervet ſoſpitetque. Argentorati quinta Auguſti 1669.*

*Illuſtri et ampliſſimo nomini*
*tuo dicatiſſimus*
*JO. HENR. BOECLERUS.*

Habes, Lector, effigiem meditati operis & humaniſſimi ſimul animi teſtimonium longe pulcerrimum. Reſponſum quod BOECLERUS a LAMBECIO tulit, adnotationi ſuæ ad hoc opus alteri inſeruit (1); quod dum noſter daret, mutaritne priorem animum ſuum, an ſimularit, incertum eſt; rerum contra noſtrarum ſtudioſis omnibus notum, prius BOECLERUM naturae, quam LAMBECIUM promiſſi ſtudii ſui ſolviſſe debitum. Adteſtatur id CL. KULPISIUS in praevia ad lectorem epiſtola ſua: *Cum*, inquit, *neſcio quibus ex cauſis, quae Vienna expectabantur, plane omitterentur, & ita fere ſpes omnis decollaret; in ipſo opere diu ceſſatum, & tandem BOECLERUS ipſe eidem imperfecto immortuus eſt.* Cauſa σκήψεων LAMBECII atque ἀναβολῶν fuit, quod poſt centena alia iſtud quoque in lucem proferre opus deſtinarit (2): notum quippe jam eſt, incredibilis induſtriae et acerrimi ingenii virum propoſita et opera ſua generoſo potius animi impetu, quam corporis viribus aut incertae brevitate vitae metiri conſueviſſe: quam ob rem omnia ea confecturum ſe eſſe credidit, quae, quantum in ſe eſſet, viribus ingenii ſui atque induſtriae ceſſura praevidit; a quo ſingulari vitio neque primam meam, in Bibliotheca noſtra traductam vitam, puram per omnia fuiſſe

(1) *Exſtat integrum, manu LAMBECII ſcriptum, in theca & faſciculo, quem modo indicavi.*

(2) *Hanc genuinam fuiſſe exiſtimem; nam aliae illae, manu LAMBECII ſcriptae, & Imper. LEOPOLDO oblatae, quas idem, quem ante indicavi, faſciculus ſervat, ſimulatae videntur eſſe potius quam verae.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuiſſe non ſine rubore confiteri cogor (1). Neque tamen LAMBECIUS noſter hoc etiam in opere nihil praeſtitit: etenim excuſum typis, et a BOECLERO, ut videtur, ſubmiſſum exemplum cum utroque manu exarato libro compoſuit, adnotatis in margine, quae obſervavit, diſcriminibus, quam diligentiam editioni huic noſtrae non fuiſſe inutilem gratus commemoro: exſcribi deinde curavit ea, quae ab HINDERBACHIO, ut dixi, fuerunt reſecta, et primis in foliis manu ſua oſcitantiam librarii caſtigavit. Eſt apographum illud in claſſe Hiſt. Prof. Cod. CLII. quae ſupplementa, niſi mutaſſet ſententiam, editurus erat libro Commentariorum ſecundo Cap. X. epigraphen enim, LAMBECII manu ſcriptam, hanc habent: *Caput X. de ÆNEÆ SYLVII imperfecto opere Hiſtoriae Auſtriacae &c.* Ad quae adnotaverat: *Vide*, inquit, *ſupra Libri hujus ſecundi Caput primum Segmento ſecundo, pag. 4. & Segmento VIII. pag. 7. & 8. LAMBECII* promiſſa exolvere, & affectum opus perficere meditabatur CL. Vir JOANNES BENEDICTUS GENTILOTTUS Tridentinus, qui ab NESSELII morte Bibliothecae noſtrae magna cum laude praefuit. Quippe ad *Codd. CCCXVVII-XX. Hiſtoriae Prof.* commentatus eſt hunc in modum: *Volumina*, inquit, *quatuor chartacea, quorum primum conſtat foliis 60. alterum 65. tertium 59. quartum 30. Continentur iis AENEAE SYLVII PICOLOMINEI, qui fuit Romanus Pontifex PIUS II. Hiſtoriae Auſtriacae, ſua manu ſcriptae, ac, ut in componendo fieri ſolet, paſſim refectae et inculcatae, opus imperfectum, bis non prorſus eodem exemplo, ut liquet ex ſpeciminibus a LAMBECIO prolatis lib. II. Comment. pag. 4. 7. 473. et 972. lib. IV. pag. 303. 304. ac omnium optime ex epiſtola ab eodem LAMBECIO ad JO. HENRICUM BOECLERUM ſcripta,*

)( )( *quae*

(1) *Scriptores Turcici, quos Latine ſimul & Turcice editurum me promiſi in epiſtola, Grammaticae MENINSKII praefixa, utrum unquam lucem viſuri ſint, equidem ignoro. SAADEDINI, ſcriptoris diligentiſſimi ſimul et cultiſſimi pars prior ſeptendecim in philyris jam erat impreſſa; reliquo operi, in ſermonem Latinum a me converſo, omnia alia potius deerant, quam diligentia et voluntas mea. Utinam ſors iſta civium meorum in me ſit ultima!*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*quae exſtat in notis ad eandem Hiſtoriam cum aliis rerum Germanicarum ſcriptoribus, qui ſub celebris SCHILTERI nomine conjunctim proſtant, vulgata pag. 123. 124. ex ea epiſtola benevolus Lector ea, quae ad iſtius operis illuſtrationem a me adferri poſſent, aſſumet. Quoniam vero idem LAMBECIUS varias lectiones, quas BOECLERO promiſerat non exhibuit; nos, qui ei ſucceſſimus, ejuſque locum nunc qualitercunque tuemur, id cum fœnore ita praeſtabimus, ut expletis praeſertim editionis Boeclerianae lacunis, adjectiſque ampliſſimis ſupplementis ejuſdem Hiſtoriae continuatio, a JOANNE HINDERBACH, Epiſcopo Tridentino, confecta in cumulum accedat, quam in Epiſcopali Bibliotheca neglectam, nos paucis ab hinc annis tineis, cum quibus luctabatur, ſubtraximus.* Haec ille; ac de HINDERBACHII continuatione, quam luci publicae expoſitam hoc volumen habet, differam praevio in monito uberius; ad ampliſſima CL. GENTILOTTI ſupplementa quod attinet, majorem viro docto habuiſſem gratiam, ſi erudita ejus manu fuiſſent exſcripta: etenim omnia iterum cum codicibus contendere oportuit, propter Librarii, quo CL. GENTILOTTUS eſt uſus, incuriam, non ſecus atque illa, quae BOECLERUS ex codice, ab Hinderbachio curato, typis vulgavit; quo labore, loca plurima vel explevi vel integritati ſuae reſtitui, et quae Hinderbachius parum caute reſecuerat, ſuis locis inſerui. Non me quidem latet, LAMBECIUM opus hoc SYLVII diverſa prorſus ab hac mea ratione editurum fuiſſe: nam in catalogo librorum ab ſe editorum atque edendorum pag. 58. *duabus diſtinctis* ut ait, *et ſibi invicem e regione collatis columnis* utrumque exemplum prolaturum ſe pollicitus eſt. At vero ignota viro docto videntur fuiſſe ea omnia, quae nunc primum de HINDERBACHIO deque Briſacenſi exemplo certiora comperi: exemplum quippe alterum primum et informem ingenii partum continet; alterum, quod monente, ut arbitror, auctore HINDERBACHIUS ſequutus eſt pro maturo et ab AENEA edito haberi debet: ſuperflua idcirco ea cura mihi eſt viſa,

visa, et cum, muneri meo, tum expectationi doctorum civium meorum, responsurum me speravi, si eximium hoc historiae nostrae monumentum, quale HINDERBACHIUS ab recenti rerum memoria, nisi fallor, prohibitus, in usum Maximiliani exscribere et vulgare nequivit, juris tandem aliquando facerem publici. Haec fere sunt, Lector, quae te prius scire volui, quam ad evolvendum librum dimittere. Plurium hoc genus voluminum spem tibi facio nullam; nam mihi ad longius iter accincto, commentariorum nostrorum editionem intelligo, tempus Analectis impendere vix erit integrum. Vale! πάσης κακύνσεώς τε καὶ κακώσεως ὑπέρτερος. Scribebam in Vindobonensi Bibliotheca Palatina ad d. VIII. Idus Decembris Anno a partu Virgineo CIↃIↃCCLXII.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# INDEX EORUM,
QUAE IN
# ANALECTORUM VINDOBONENSIUM
TOMO II.
CONTINENTUR.


I.

AENEAE SYLVII Senenſis, ſive PII PAPAE II, HISTORIA AUSTRIACA, ex codicibus, auctoris manu ſcriptis Caeſareis, nunc primum integre edita. *pag.* 1.

II.

JO. HENRICI BOECLERI in Hiſtoriam Auſtriacam Aeneae Sylvii ADNOTATIONES. 475.

III.

JOANNIS HINDERBACHII, Epiſcopi Tridentini, Hiſtoriae Auſtriacae, ab AENEA SYLVIO ſcriptae, CONTINUATIO, hactenus inedita. 550.

IV.

EXCERPTA Hiſtorica, ex Diario, manu IMP. FRIDERICI III. ſcripto poſt LAMBECIVM diligentius vulgata. 666.

V.

Colonienſis Academiae SENTENTIA de poteſtate Conciliorum generalium, imprimis vero Baſileenſis auctoritate, THEODORICI, Colonienſis Archiepiſcopi, juſſu ad Patres Concilii Baſileenſis miſſa. 678.

VI.

AENEAE SYLVII Libellus dialogorum, de autoritate generalium Conciliorum et geſtis Baſileenſium ſcriptus, ac reſponſi loco ad ſuperiorem ſententiam Colonienſibus ſubmiſſus. Prodit nunc primum in lucem ex binis manu exaratis codd. Caeſareis. 686.

VII.

AENEAE SYLVII eadem de re ad HARTUNGUM CAPELLAM, Imperatori FRIDERICO III. a ſecretis, epiſtola, hactenus inedita. 790.

VIII.

ANTONII BONFINII Praefatio, nunc primum vulgata, PHILOSTRATI ſenioris operibus, in Latinum ſermonem ab eo converſis praefixa, ad MATHIAM CORVINUM Hungariae Regem de rebus in Auſtria contra IMP. FRIDERICUM III. ab eodem geſtis. 810.

IX.

SYLLOGE diplomatum, litterarum, Actorum publicorum &c. quorum teſtimonio et fide res Auſtriacae, Hungaricae &c. ab Imp. Friderico uſque ad annum CIↃCCCCLIII. geſtae in primis nituntur; omnia nunc primum collecta et in lucem prolata. 827.


Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# AENEAE SILVII
## EPISCOPI SENENSIS,
QVI POSTEA
PIVS PAPA II. FVIT.
# HISTORIA RERVM
## FRIDERICI III. IMPERATORIS. (1)

Divo Cæsari Friderico Romanorum Imperatori Augusto, Æneas Episcopus Senensis, veram felicitatem expetit.

Disertos ac veraces historiarum scriptores haud ornamento esse dumtaxat, sed adiumento quoque, reipublicæ, nemo qui sapiat inficias ibit. Quis enim non utile decorumque dixerit, rectores urbium, majorum exempla tenere, & quod multis ante seculis actum est, ante oculos veluti præsens habere? Quid est quod senum consilia probant, nisi quod eos multis experimentis adeptos esse prudentiam arbitramur: cujus incapaces juvenes æstimant. Ceterum cum vita mortalium brevis sit, atque intra septuagesimum aut octogesimum claudatur annum (nam ultra, regio Propheta testante, labore atque dolore tabescit) parum est quod usu capiunt, parum est quod visu discunt, nisi memoriæ penu ditaverit auditus. Hunc autem historia prorsus instruit, quæ non paucorum annorum, sed totius ævi, quo mundus extat, res gestas edocet. Hinc veteris testamenti codices, ortum mundi, creationem hominis, aquarum diluvium, Patriarcharum vitam; servientem Israelem, duritiem Pharaonis, Ægyptiorum plagas, sic-

(1) *Primus* Codex M. S. Cæsar. est sine epigraphe. *Secundus* ita inscriptus est ab alia manu: *INITIVM COMMENTARIORVM de Friderico III. rebusque Austriacis.* *Tertius* itidem alia manu: *Aeneæ Sylvii Pii II. Pontificis Maximi de Friderici III. Romam Profectione & bello &c.* *Quarto* hæc nota prætexta est: *Ista est manus propria Aeneæ Sylvii in Pontificatu Maximo Pii II. continet historiam Regis Ladislai & Friderici tertii.*

ſiccatum fugientibus mare, datas le-
gis divinæ tabulas, evictas gentes,
Judicum regumque geſta commemo-
rant. Quid evangelium aliud quam
ſacra hiſtoria dici poteſt? Hinc puel-
lam virginem Spiritu Sancto plenam
puerperam factam, Salvatorem na-
tum, jejunantem, baptizatum, præ-
dicantem, ſigna facientem; poſt ca-
ptum, irriſum, flagellatum, morti
traditum, ſepultum, inde ſurrexiſſe
a mortuis, apparuiſſe diſcipulis, aſ-
cendiſſe in cælum diſcimus. En
quantum lucis ſacra nobis hiſtoria
præbet? fidem ab ea recepimus,
ſine qua Deo placere nulli conceſſum.
Verum, ut ſecularia quoque attinga-
mus, Aſſyriorum Imperium, Tro-
janum bellum, Athenienſium & Spar-
tanorum conflictationes, Alexandri
Macedonis adoreas, Karthaginenſium
prælia, triumphos Cæſarum, Ro-
manis miſſum ſub legibus orbem, quis
nobis niſi labor hiſtoricus indicavit?
Hinc belli artes, hinc pacis officia
noſcere licet, hinc vitia fugere, vir-
tutes ſectari monemur, cum malos
male legimus perditos, juſtum haud-
quaquam derelictum, aut ſemen ejus
quærens panem invenimus. O vera-
cem atque probatiſſimam Oratoris
ſententiam: *Hiſtoria teſtis temporum,
lux veritatis, magiſtra vitæ, nuntia
vetuſtatis.* Laudandi ergo vetuſti
ſeculi reges, quibus id ſtudii fuit, res
ſuæ ut accurate conſcriberentur æta-
tis, ex quibus fructum poſteritas
omnis haurit. Verum illi non tam
minoribus uti prodeſſent, quam me-
moriam ſui ut quam maxime longam
efficerent, hiſtorias amavere. At
tua Cæſar incredibilis virtus vel cum
tui nominis jactura poſteritati conſu-
lere quærit. Quippe ſuperioribus

A diebus, cum inter paucos ejus belli
meminiſſes, quod Auſtrales adverſus
te gerere præſumſerunt, converſus ad
me, bellum ipſum unde ortum & quo
pacto finitum eſſet, ut ſcriberem, juſſiſti:
operæ pretium eſſe affirmans, ea tra-
di memoriæ, quamvis nulla te laus
exinde ſequeretur. Libera vox &
Romano Principe digna. Majus hoc
verbum eſt, quam ſi victis hoſtibus
opima ſpolia retuliſſes. Accipe,
quod ego tuis ex verbis intelligam:
vis me ſcribere non fauſtum bellum,
mutatum tibi fortunæ vultum. Quare
hoc? ſane ut intelligant nepotes mor-
B talis vitæ conditionem, varias for-
tunæ vices, inſtabile ſolium gloriæ,
nihil ſolidum credant niſi virtute ſub-
nixum, ſequantur autem maxime
probitatem. Cumque ſæpius hiſto-
rici minus cauti reperiantur, adula-
tioni quam vero ſervientes, admo-
nuiſti me, ne quid falſum, & omne
verum ſcriberem, neque timerem te
lædere veri viam ingreſſus, quia non
tuam gloriam hac narratione ſed fu-
turæ nationis utilitatem ſequereris.
Ad hæc ego tuæ voluntati geſturus
morem, etſi tecum ſentio, vitream
C famam contemni quam appeti fortius
(nam populi judicio magis quam veri
exiſtimatione collecta ſæpe bonos ob-
ſcurat, illuſtrat malos) non tamen in
ea ſententia moror, ut belli hujus narra-
tionem tuo nomini gravem putem, in
qua multa de tua prudentia & animi
moderatione dicenda ſe offerent. Quod
ſi non te armatum furibundumque dixe-
rimus, in medias acies proruentem
ſternentemque corpora multa; At
te moderantem frena Senatus, iræ
atque ſuperbiæ domitorem, ſine con-
tentione referre licebit. Inter hæc
autem illud nos terret, quod apud

Flac-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Flaccum invenimus: *Eſt operæ pretium cognoſcere quales Ædituos habeat belli ſpectata domique Virtus & indigno non committenda poëtæ.* Scimus hanc ei provinciam convenire, *ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os magna ſonaturum.* Vetuit Alexander edicto, ne quis ſe præter Apellem pingeret, neve alius præter Lyſippum æra duceret vultum ſimulantia. Sapiens, qui pictoribus atque fuſoribus ſe optimis commendavit. Carpitur tamen idem, qui Chœrilo neque terſo neque culto poëtæ res ſuas ſcribendas commiſit, atque in eo deceptus eſt, in quo maxime cautum eſſe oportuit, quando non magis picturis aut æneis ſignis expreſſi vultus, quam ſcripto mores animique virorum apparent. Veremur, ne te ſimilis rumor accuſet, qui etſi nominis propagationem non expetis, eligere tamen ſcriptorem debueras, qui facta dictis exæquare poſſit. Nam quo pacto nos huic rei ſatisfaciemus, quibus & ingenii vena tenuis & aridior eſt, & otii minimum ſuppeditatur apoſtolicæ legationis cura, & tui conſiliariatus munere aſſidue occupatis, difficile eſt inter ſtrepitus nocturnos atque diurnos, magnorum virorum ſequi veſtigia. *Scriptorum*, ut ille ait, *chorus omnis amat nemus, Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & umbra.* Sed qui nos ſumus, qui tuam voluntatem corrigamus? Rex es, Imperator es: nil ultra quæram: parebimus, & quoniam tranſgredi libet nimiumque præſumere, non ſolum hoc bellum Auſtralicum, ſed alia quoque de tua vita quamplurima, ſimulque tuæ domus originem, & quæ noſtris geſta temporibus in Europa didicimus memoratu digna, in unam hiſtoriam congregemus. Tua ex his pietas, quæ maluerit, accipiet bonique conſulet. Vale.

FRIDERICI tertii Romanorum Imperatoris, qui fuit Erneſti ducis Auſtriæ filius, ſcripturo mihi res geſtas, haut ab re viſum eſt, de ſitu Auſtriæ, de gentis moribus, de nobilitate majorum, pauca præmittere, quibus hiſtoria magis ac magis aperta reddatur. Auſtria, non, ut plerique arbitrantur, ideo dicta eſt, quia Bohemis atque Moravis in auſtrali parte ſita exiſtat; ſed ducitur ex vocabulo Teutonico nomen, quod orientalem regionem ſignificat. Namque cum Franci ex Scythia progreſſi Germaniam ſubegiſſent, deinde Galliam occupaſſent, duplicem Franciam a ſeſe dixerunt; alteram orientalem, occidentalem alteram: duplexque regnum conſtituere, quod Rheni flumine diſterminabant.

Et orientale quidem a Rheno in Pannoniam uſque protenſum eſt. Occidentale vero ab eodem flumine ad montes Pyreneos, & a Rhodano in Oceanum continuabatur. Verum cum Franci in plures familias dividerentur, & alii Galliam, alii Germaniam poſſiderent, qui theotoniam tenuerunt, in Suevia Baioariaque conſidentes, terram, quæ fuit eis ad orientem extrema, ſuo more Auſtriam vocavere. Sed primæ ſententiæ, lingua gentis & regionis alludit vocabulum; ſecundam opinionem aſtruere videretur mos patrius, qui Pannonibus conformior eſt. Limes deinde inter Hungaros & Auſtrales parum notus, non flumine inſigni, neque montibus altis, neque ſilvis provinciæ dirimuntur. Ex quo fit, ut mihi non a vero remotum vi-

deatur, Pannoniam aliquando uſque ad ſilvam Viennenſium fuiſſe protenſam. Sed de hoc, ut cuique libitum fuerit, ita ſentiat. Auſtria hoc tempore ab orienti habet Vngariam; ab occidenti, Bajoariam; ad ſeptentrionem, Bohemiæ, Moraviæque conjungitur: in auſtro finem ei montes Stiriæ faciunt, qui longo tractu ab Alpibus derivantur, Italiamque Germania diſterminant. Latitudo ejus itinere dierum trium finitur; longitudo duplo major habetur. Terra nobilis, aquis irrigua, conſita vitibus, ligni copioſa, agro feraci fructus omnes colligit, quorum Germania alitrix: argenti atque auri venas non habet: ſale partim proprio, partim utitur importato, piſcium copioſa. Oleum, ficum, amygdalum, paſſum ex Venetiis accipit. Vinum ipſa Bavaris, Bohemis, Moravis, Sleſitis præbet: atque hinc magnæ auſtralium divitiæ: carnes ei Vngaria miniſtrat. Danubius regionem mediam perlabitur, fluvius omnium Europæ maximus: qui natus apud Suevos ex monte Rauraco, Bavariam, Auſtriam, Hungariam ſecans per Raſciam atque Bulgariam cum ſexaginta navigabilibus in Euxinum deſcendit, multaſque & memorabiles alluit urbes. inter quas mea ſententia nulla ditior, nulla populoſior, nulla venuſtior eſt quam *Vienna*; auſtralium civitatum regionisque caput. Hæc alio nomine *Flavianum* appellata eſt: ſicut nos in vetuſtis Ducum privilegiis compertum habemus. Exiſtimo autem aliquem Romanorum, nomine Flavium, qui & regioni præfuerit, urbem inchoaſſe, atque ex ſe nomen indidiſſe loco. Sunt qui aras illic Flavianas fuiſſe aſ-

A

B

C

ſerunt, quod aliquis Imperatorum, cognomine Flavius, ad Danubium uſque profectus, Romani imperii metas illic, aras collocauerit; ex ſuo nomine *Flavianas*: atque ibi condita demum civitas ex aris vocabulum ſit ſortita. Cumque Flavianum Theutonici *flabien* pronuncient, non eſt ab re, longo temporis tractu prima vocabuli ſyllaba remota; ut plerumque fieri comperimus, *Vien* remanſiſſe, indeque dictam *Viennam*. Nam quod aliqui noſtri temporis hiſtorici parum conſiderati, *Viennam* quaſi *biennam dictam* aſſerunt (quoniam oppugnanti eam Iulio Cæſari biennio reſtiterit) non modo falſum, ſed ſtultum, cuique dictum videri poteſt, qui geſta Cæſarum legerit. Nunquam enim Julium Cæſarem hanc terram cum exercitu conſtat ingreſſum. Sed ſimile hoc ei eſt, quod *holomunc* Moraviæ, ex vicinitate vocabuli, *Julii montem* appellant, quod illam urbem Julii opus affirmant. Laxa nimis cuique dicendi licentia eſt quæ velint. Verum apud Viennam paruum flumen eſt, quod inter ſuburbia fluit, nomine *Vienna;* ab eoque dictum opidum putant. At ſiue flumen a civitate, ſive civitas a flumine vocabulum mutuet, id mihi non eſt exploratum; vero tamen ſimilius id videtur, quæ digniora ſunt, vilioribus dare nomina: quippe Vienna, de qua ſermo eſt, non tam fluvius eſt, quam torrens, indignus a quo nomen inſignis urbs aſſumeret. Sed eſt omnis de nomine vana quæſtio, cum res ipſa conſtet. Vienna igitur ambitu murorum cingitur duorum millium paſſuum, ſed habet ſuburbia magna, & ambitioſa foſſa & vallo cincta. Vrbs autem foſſatum magnum habet,

in-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inde aggerem prælatum. Mœnia deinde ſpiſſa & ſublimia, frequentes turres, & propugnacula ad bellum prompta. Ædes ciuium amplæ & ornatæ, ſtructura ſolida & firma. Ubique fornices, aulæ latæ. Verum his æſtuaria ſunt loco tricliniorum, quæ ab his *Stubæ* vocitantur. Nam hiemis aſperitatem hoc domitant modo; feneſtræ vndique vitreæ perlucent, & oſtia plerumque ferrea. In his plurimæ aues cantant. In domibus multa & munda ſupellex. Equorum jumentorumque omnis generis capacia ſtabula; altæ domorum facies magnificæque viſuntur. Unum id dedecori eſt, quod tecta plerunque ligno contegunt, pauca latere. (1) Cetera ædificia muro lapideo conſiſtunt. Pictæ domus & interius & exterius ſplendent. Ingreſſus cujuſque domum, in ædes te Principis veniſſe putabis. Nobilium Prælatorumque domus liberæ ſunt, neque ciuitatis magiſtratus in his jus habent. Cellæ vinariæ adeo profundæ & ſpatioſæ ſunt, ut ſub terra non minus quam ſupra terram ædificiorum apud Viennam eſſe feratur. Platearum ſolum ſtratum lapide duro, vt neque plauſtrorum rotis facile conteratur. Sanctis cœlum tenentibus, ipſique maximo Deo, templa dicata & ampla & ſpendida, ſecto lapide conſtructa, perlucida, & columnarum ordinibus admiranda. Sanctorum plurimæ & pretioſæ reliquiæ, argento, auro, gemmis veſtitæ: templorum ingens ornatus diueſque ſupellex. Sacerdotes abundantes bonis pluribus. Qui clero præeſt apud Sanctum Stephanum, ſoli Romano Principi ſubeſt. Ciuitas in parochia Patauienſi eſt; major filia matre. Plures in ciuitate domus conſecratas Eccleſias habent & proprios Sacerdotes. Quatuor ordines mendicantium procul a mendicitate abſunt: Scoti, & Canonici regulares ſancti Auguſtini, admodum diuites habentur: Monialeſque Sacræ & Sanctæ Virgines. Ibi quoque monaſterium eſt ad Sanctum Hieronymum nuncupatum, in quo meretrices conuerſæ recipiuntur; quæ die ac nocte hymnos lingua theotonica decantant: quarum ſi qua redire ad peccatum comprehenſa fuerit, in Danubium præcipitatur. ſed agunt ibi pudicam ſanctamque vitam: rarus de his ſermo malus auditur. Schola quoque hic eſt liberalium artium ac Theologiæ & juris Pontificii: noua tamen & ab Papa conceſſa. (2) Magnus ſtudentium numerus eo confluit ex Hungaria & Alamaniæ ſuperioribus partibus. Duos hic claruiſſe compertum habeo præſtantes Theologos, Hainricum de Haſſia, qui Pariſiis edoctus huc in primordio univerſitatis advolavit, primuſque cathedram rexit, ac plurima volumina notatu digna conſcripſit. Alter fuit Nicolaus Dinckelsbuhel Suevus, vita bona, doctrina multa clarus, cujus ſermones hodie auide a doctis leguntur. Eſt & illic hodie Thomas Haſſelbach non incele-

(1) *Communia iſta urbi noſtræ cum florentiſſimis Europæ urbibus fuêre; quæ enim earum continuo exſtitit aurea? ſurgeret nunc Æneas, & pulcherrimæ, florentiſſimæ, potentiſſimæque urbis noſtræ majeſtatem; ſacræ ac profanæ Reip. dignitatem; litterarum, morum, populique elegantiam ſpectaret! nam haud quaquam dubito, quin nobilioribus Vindobonæ Auguſtæ faciem, ingenium, religionem coloribus effingere cogeretur; & maximarum quarumvis rerum vel tenuia, vel obſcura, vel ignota plane ſemper fuiſſe initia diſceret.*

(2) *Vide horum Analectorum Tom. 1. col. 69.*

lebratus Theologus, quem ſcribere hiſtorias non inutiles aiunt, cuius ego doctrinam laudarem, niſi duos & viginti annos Iſaiæ primum capitulum legiſſet, neque adhuc ad calcem veniſſet. Maximum autem hujus gymnaſii vitium eſt, quod nimis diutinam operam in dialectica, nimiumque temporis in re non magni fructus terunt. Qui Magiſterii artium titulo decorantur, hac una in arte maxime examinantur. Cæterum neque Muſicæ, neque Rhetoricæ neque artis metricæ curam gerunt: quamvis metra quædam & epiſtolas ab alis editas imperite *recitare* (1) magiſtrandum compellunt. Oratoria & Poëtica apud eos penitus incognita, quibus omne ſtudium in elenchis eſt vaniſque cavillationibus, ſolidi haudquaquam multum. Qui libros Ariſtotelis aliorumque Philoſophorum habeant, raros invenies, commentariis plerumque utuntur. Ceterum ſtudentes ipſi voluptati operam præbent, vini cibiq; avidi: pauci emergunt docti, neque ſub cenſura tenentur: die noctuque vagantur, magnas civibus moleſtias inferunt; ad hęc mulierum procacitas mentes eorum alienat. Civitatis populus quinquaginta millium communicantium creditur. Conſulatus octo & decem virorum eligitur. Tum Judex qui juri reddundo præeſt; deinde Magiſter civium, qui curam Civitatis gerit. Hos Princeps aſſumit, quos in civitate fideliores arbitratur, atque ab eis juſiurandum exigit. Magiſtratus alii nulli ſunt, niſi qui vini exigunt vectigal. ad illos omnia referuntur, quorum poteſtas annua eſt. incredibile videri poteſt, quot per dies ſingulos in civitatem victualia ingeruntur. Ovorum atque cancrorum multæ quadrigæ adveniunt; piſtus panis, carnes, piſces, volatilia ſine numero afferuntur; ubi adveſperaſcit, nihil venale ex his invenies. Vindemia his ad quadraginta dies protenditur, nullo non die trecenti currus onuſti vino bis terque inferuntur, ducentos & mille equos in dies ad opus vindemiarum exercent. Ex villis præterea ad feſtum vſque Martini libertas omnibus eſt, vinum in urbem redigere. incredibile dictu eſt, quanta vis inducatur vini, quod vel Viennæ bibitur, vel ad extraneos per Danubium contra curſum aquæ magno labore mittitur. Vino quod Viennæ venditur minutim, decimus denarius Principi cedit: ea res auri duodecim millia quotannis ad cameram defert. in reliqvum parum oneris civibus ineſt. Ceterum in tanta & tam nobili civitate, multa enormia ſunt: die noctuque rixæ ad modum prælii geruntur: nunc artifices adverſus ſtudentes, nunc curiales in artifices; nunc iſti opifices adverſus alios arma ſumunt. rara celebritas abſque homicidio peragitur, frequentes cædes comittuntur; ubi rixa eſt, non ſunt qui dividant contendentes, neque Magiſtratus neque Principes cuſtodiam, ut par eſſet, ad tanta mala adhibent. Vinum domi vendere, nihil exiſtimationi officit, omnes fere cives vinarias tabernas colunt, ſtubas calefaciunt, coquinam inſtruunt, bibulos & meretrices accerſunt, hiſque cibi aliquid cocti gratis præbent, ut amplius bibant: ſed minorem menſuram his dant. Plebs ventri dedita, vorax, quicquid hebdomada manu quæſivit, id feſto die totum abſumit. lacerum & incompoſitum vulgus: Meretricum maximus numerus. Raro mulier

(1) *Ita codices; expunctu: idcirco aſteriſcus.*

lier eſt uno contenta viro. Nobiles, ubi ad cives veniunt, uxores eorum ad colloquium ſecretum trahunt; viri allato vino domo abeunt cedunt-que Nobilibus; plurimæque puellæ patribus inſciis viros ſibi deligunt. Viduæ intra tempora luctus ex arbitrio ſuo nubunt. Pauci in civitate ſunt, quorum proavos vicinia norit: raræ familiæ vetuſtæ, advenæ aut inquilini fere omnes. Mercatores divites ſenio confecti, puellas in matrimonium ducunt, eaſque brevi dimittunt viduas; illæ inter familiares domeſticos, cum quibus ſæpe conſuetudinem adulterii habuerunt, juvenes viros accipiunt; ita qui heri pauper, hodie dives invenitur. Contra quoque hi ſuperviventes uxoribus alias accipiunt, reſque per circulum ducitur, raro filius patri ſuccedit. Lex apud eos eſt, quæ ſuperviventi conjugi partem defuncti bonorum mediam tribuit. Teſtamenta libera ſunt; ita & viri uxoribus, & uxores viris bona teſtantur. captatores hæreditatum multi; qui ſenibus blandientes ſcribi heredes ſeſe curant. ajunt & mulieres eſſe admodum multas, quæ viros graves uxoribus, veneno auferunt. conſtat ſæpe a nobilibus cæſos eſſe cives, qui uxores ſuas verbo terruerunt, quibus amatores in curia fuerunt. Vivunt præterea ſine ulla ſcripta lege: mores ajunt ſe tenere vetuſtos, quos ſæpe ad ſuum ſenſum vel adducunt vel interpretantur. Jus admodum venale eſt: qui poſſunt, ſine pœna peccant, pauperes atque amicis nudos judicia plectunt. Juramenta, quæ publica ſunt, tenaciter obſervant: quod negari juratum poteſt, nullam vim habet. Mutuum A dantes ad tempus, ſi quid detrimenti tulerint, elapſo termino jureiurando quam ſummam volunt extimant, maximoque damno debitores afficiunt; pignora, quæ mutui cauſa dantur, ſi quid afferunt, non extimant uſuras. Excommunicationes tantum timent, quantum infamant, aut damno temporali ſunt. Furta, quæ apud furem inveniuntur, judici cedunt. Ad hæc feſta parum religioſe colunt; carnes omni feſto venduntur. Aurigæ nullo vacant die. In B Auſtria reliqua multa opida ſunt, nullum autem magni nominis. Barones multi potentes & nobiles: inter quos primum dignitatis locum obtinent Schaumburgenſes & Magdeburgenſes Comites; Opibus autem ſuperare creduntur Valſenſes, de Liechtenſtein, de Buchaim. nec parvum habent nomen Pottendorffii; Starhimbergenſes, Ebersdorffii, Egkersau, Hohenbergii, Folkenſtorffii, & alii quamplures. Eizingeri licet noviſſimi ſint, potentia tamen hodie & auctoritate inter primos habentur. Monaſteria quam plurima ſunt & ma- C gna & ditia. Eccleſiæ præterea cathedrales Saltzburgenſis, Patavienſis, Ratiſponenſis, Friſingenſis latiſſimas poſſeſſiones in Auſtria, caſtellaque plura poſſident, ac domos egregias; quas inhabitant, cum Principes Auſtriæ ad curiam accerſuntur. Sunt enim omnes Conſiliarii Ducum Auſtriæ, hosque veluti majores honorant, ſive bellum gerere, ſive curiam lætabundi habere velint Auſtriæ Duces; & Prælatos & Proceres veluti Reges in comitatu habent. (1).

TERRAM AUSTRIÆ qui primo

(1) *Deſcriptio iſta urbis noſtræ ſeparatim ab autore videtur fuiſſe edita: quippe inter ejusdem epiſtolas, A. 1496. Norimbergæ typis evulgatas, ad modum epiſtolæ edita itidem legitur n. CLXV.*

hac

primo coluerint, quærenti mihi nihil certi conſtare potuit. Venit autem in manus meas hiſtoria quædam, quam Auſtralicam vocant, ſermone theotonico conſcripta, ſed inepta, mendax, & ab homine compoſita, in quo malignitatis aut ſtultitiæ plus invenias, non facile judices; cum res legeris nulla ratione cohærentes, dices hominem nihil habuiſſe penſi, qui tam manifeſta mandacia credi ſibi putaverit. Cum rurſus ex hiſtoriis approbatis Imperatorum & Pontificum nonnulla inſerta compereris, ruſticanam quandam malignitatem hominis comprehendes, qui veris ante oculos nonnullis injectis legentium tenere animos arbitratus eſt, ne de ſoliditate ceterorum inquirerent: neque deceptus eſt apud auſtrales, qui hanc veluti ſacram hiſtoriam venerantur, qua ſe laudatos de generis vetuſtate cenſent. Sed minime ille commendare voluit auſtrales; quorum majores primum gentiles, deinde Judæos fuiſſe confirmat, perfidæ gentis ſobolem; neque illuſtre ullum opus illius vetuſtatis refert; turpia vero quædam & ſceleſta facta tradit: ut, qui gentem auſtralem, ſuo tempore fortaſſe deditam vitiis ſimilem ſuis majoribus oſtendere voluit. Sed neſcivit homo, quia mendaci majori officio, quam verum dicenti opus eſt. Neque tempora, neque loca ſuo contexuit ordine, finxit neſciens fingere. Nimis imperitum eſſe oportet, quem ſua mendacia fallunt. Narrat autem homo inſulſus, fuiſſe trans mare in terra admirationis comitem Alighemorum, nomine Sathau; ſub eoque militaris ordinis virum Abraham de Theomanaria, qui uxorem habuerit & cum ea filios, Suſannam filiam Domini de Terremantia ex Regno Samamorum, qui poſt cataclyſmum decem & octingentis annis inter ſe præliati ſunt. Victum autem Abraham, fortunisque omnibus exutum, patria fugatum extorremque diu vagatum, denique in eam regionem veniſſe, quæ nunc Auſtria dicitur, tunc autem Judæiſapta nomen habuit: ſic enim quidam Judæus terram appellaverat, quamvis eam neque introiſſet unquam neque vidiſſet. Captumque loci amœnitate Abraam, domumque ibi ædificaſſe, ubi poſtea conſtructum eſt oppidum Stocharaum, ſeque Marchionem vocaſſe de Judæiſapta; cui proximiores habitatores ad trecenta & quinquaginta millia paſſuum fuiſſent; poſt tempus vero tranſiſſe mare in ſuam patriam, atque ibi recepta uxore & majori filio Athaim rediiſſe, dominatumque terræ Auſtriæ annis triginta: &, quoniam gentilis fuerat, idola coluiſſe; eique mortuo filium ſucceſſiſſe, & illi Raban generum ex Bohemia Baronem: deinde per ſucceſſiones varias contractis matrimoniis, nunc in Bohemia, nunc in Hungaria, per annos mille centum & amplius uſque ad Peimau Ducem, dominium in eorum poſteris fuiſſe, qui omnes idola more gentium coluerunt. Primum autem Peimau relicto cultu gentilium, cum terrigenis univerſis Judaicam fidem accepiſſe. Regionem autem

*hac ſub epigraphe*: Deſcriptio urbis Viennenſis per Poëtam Eneam ſilvium edita. *Porro, ſi ea omnia, quæ continet, a vero non ſunt aliena, eſt profecto cur Vienna noſtra immortaliter gaudeat, & Auguſtæ genti Habsburgicæ, in primis vero*

*MARIÆ THERESIÆ AVGVSTÆ quantam maximam poſſit, gratiam habeat: cum in ea Viennæ, ab Æneа hic deſcriptæ, incultæ videlicet, illiteratæ & parum piæ, vix ullum amplius veſtigium ſuperſit.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

autem diverſis nominibus appellatam: & nunc Saurim, nunc Fannas, modo Pannas, interdum Tantamo, ut Principibus placuit, nuncupatam. Ducatum vero ex marchionatu Vintherum primo erexiſſe, qui ſextus ab Abraam, ut hiſtoriæ mendaciſſimæ placet, Auſtralem terram poſſedit. Quibus ex rebus quanti ſcateant errores, quam breviter licet inſpicere. Quid eſt, quod hic bipes aſellus terram admirationis, Aligemorum & Sanianiorum regna commemorat? ubi Theomanariam & Terramantiam piſcatus eſt, nomina inſueta, ignota, & quæ ipſe ſibi ſtulte confinxit? Quæ coſmographia, quive Scriptores alii de his regionibus faciunt mentionem? ultra mare, inquit. At ultra mare ſecundum communem ſermonem omnis Aſia eſt, omnis Africa: quamvis & in Aſiam & in Africam, ſi permittant barbaræ nationes, absque tranſitu maris iter pateat. Pulcra ergo deſignatio locorum. Ultra mare, inquit, Terram admirationis, an in Aſia, an in Libya, ultra vel citra Nilum, qui montes, quæ flumina hanc terram determinant? Timuit ſcribere, ne comprehenderetur: ſed tunc maxime capitur, cum timet capi. Dicit homines fuiſſe gentiles, cum nomina tradat hebraica. Quis extra hebraicam Chriſtianamque gentem aut Sathan nominari audivit, aut Abraam aut Suſannam? Quid, quod Sathan comitem Abraam, Marchionem fuiſſe confirmat: hiſque propria ſigna tradidit, ſive, ut nos hodie dicimus, arma; quæ priſca gens mortalium neque in uſu habuit, neque novit. Conſtat inſuper, Comitatus atque Marchionatus dignitates, vetuſto illo tempore, quo hic ſtultiſſimus auctor vixiſſe Abraam ſcribit, nondum fuiſſe repertas. Comites enim, tempore Romanorum Cæſarum inſtituti ſunt; & poſtquam imperium tranſivit in Græciam. Tunc enim & Orientis Comites, ac Africæ ſunt inſtituti. Marchiones autem ab Imperatoribus Germanis initium habuere, ſicut vocabulum ipſum manifeſtat, ex vulgari theotonico tractum. Vetuſtam nullam hiſtoriam reperies, quæ Marchionis nomen contineat: & hic poſt diluvium annis octingentis quadraginta nomen Marchionis in Auſtria cœpiſſe, vult perſuadere, quam Judæiſaptam aſſerit nuncupatam: idque nomen ab homine Judæo inditum refert, qui regionem nunquam viderit. Quare neſcio quid ſtultius dici poſſit. Adde, quod incultas per circuitum regiones ad trecenta quinquaginta paſſuum millia tradit, moxque ſubjunxit, neptem Abrahæ virum ex Bohemia ſuſcepiſſe, Raban Baronem potentem. Significans, Bohemiam illo tempore habitatam fuiſſe, quæ terræ Auſtriæ proxima: neque angulus eſt in tota Bohemia, qui ab oppido Stocarau, ubi primum conſediſſe Abraam commemorat, ſeptuaginta theotonicis milliariis diſtet. Sed ſunt omnia mendacia & anilia deliramenta. Neque enim illa ætas, quam denotat, Baronis nomen habuit; neque tunc Bohemiæ vel Vngariæ vocabulum fuit in uſu, de quibus hæc ſtupida beſtia ſæpius efficit mentionem. Neque ante Julium Cæſarem, neque multis poſt eum annis, Bohemos quiſquam vel Vngaros nominari accepit. Nam quæ nunc Vngaria dicitur, ea quondam Pannonia dicta eſt: Cum ſcriptor ineptus non tam Vngariæ

riæ & aliarum Regionum illius temporis, quam Auſtriæ nomen invenit. Illud omnem ſtultitiam ſuperat manifeſtiſſimamque dementiam ſcriptoris oſtendit, quod Ducatus erectionem eo tempore factam commemorat, quo nemo unquam Ducatum, eo modo quo nunc accipimus, & ipſe ſentit, Dominatum Principatumque noverat. Diſcutiamus ulterius hiſtoriam.

Quatuor & triginta Principatus in Auſtria fuiſſe dicit, ab Abraam uſque ad Peimau Ducem, per annos mille circiter & ducentos aut eo amplius: qui omnes, demptis paucis, qui infra triennium vel biennium ſunt extincti, ſupra triginta annos imperavere, magna pars quinquageſimum annum aſcendit. Quod quam veriſimile ſit, lectoris acuti judicio relinquimus. Ait præterea: hujus temporis Duces aut ex Bohemia aut ex Ungaria uxores duxiſſe, nullam ex alia gente, præterquam unam ex Carinthia, cujus provinciæ nomen nondum fuiſſe exploratiſſimum eſt. Quaſi lex eſſet, ex Bavaria, Franconia, Moravia, Sleſia, Polonia, Stiria, Saxonia, Auſtrales Principes uxorem ne ducerent. Nam & ſi hæc nomina, præter Saxoniam, nova ſint, licebat tamen in Bohemia atque Ungaria mentitum in his quoque mentiri: quamvis has regiones inhabitatas eo tempore velit aſtruere. Sed non debuit cultam oſtendiſſe Bohemiam, ſi Bavariam voluit incultam, cujus civitates longe vetuſtiores habentur quam Bohemiæ. Scribit igitur, Peimau priusquam vita defungeretur, cum liberis & uxore totoque Principatu, relictis Idolis & cultu gentilium ad Judaiſmum ſe convertiſſe, ac poſt eum per duos & viginti Principatus, uſque ad Monthan, annis circiter octingentis, ſervatam in terra circumciſionem: quod, quantum veritatis habeat, qui vetuſtas hiſtorias lectitarunt, judicare poſſunt. Nos quidem Judæos habuiſſe Principatus regionum, extra terram promiſſionis, non legimus: neque Provincias univerſaliter Judaicam fidem tenuiſſe, comperimus in Europa: neque imaginari poſſumus, unde hic nugator ſibi fundamenta ſui mendacii ſumpſerit: quamvis ſtultorum ſit, non quæ dicant, ſed quam multa dicant, exiſtimare: viſum eſt tamen, & ſibi alienum, Judaicum Principatum in Europa diu manere. Idcirco ſubjungit, veniſſe populos gentiles in Ungariam & Auſtriam, quam tunc Corrodantiam appellatam commemorat, qui cultum Hebraicum extinxerint, ac Montham gentis Ducem relinquere ſectam Judaicam compulerint, abominationem idolorum priſtinam reducentes. Abnepotem vero Monthan, nomine Rathan, ſine liberis deceſſiſſe confirmat; tuncque Romanos Ducem quendam ex Ungaria, nomine Rolandum Auſtralibus præfeciſſe; qui dominatus ſit annis uno & quinquaginta, habens uxorem ex Bohemia, de qua filium ſuſtulerit nomine Sathan, quem ſine liberis afferit vita functum. Ac tum primum Auſtralicam gentem ſalutiferam Jeſu Chriſti religionem ſuſcepiſſe. Ait enim, Romanos in Corrodantia, ſic enim tunc vocatam Auſtriam tradit, nobilem quendam Comitem, nomine Anniam præfeciſſe ex cognatione Sancti Alexii, qui propter miracula cognati ad Chriſti fidem occulte

culte converſus fuiſſet: & hunc, cum veniſſet in Provinciam, conjugemque ſuam Helenam, Chriſtianam & ſanctam fœminam, adduxiſſet, terram ex Corrodantia Avaram vocitaſſe majoremque populi partem ad ſalutarem Chriſti religionem cultumque commoviſſe. Quibus ex rebus irritati Romani, morti eum tradiderunt; qui deinde, cum ſua conjuge, Romæ apud Sanctum Petrum, ſepultus ſit: cum dominatus fuiſſet in Auſtria, annis tribus & quinquaginta: relictis tribus filiis, Joanne, Alberto & Theodorico, qui deinde ſuccedentes patri, Ducatum regionis in tres partes diviſerint, ac ex Avara, terram orientalem appellaverint. Quibus in rebus occurrit conſiderare, an Romani ſuis civibus Provincias perpetuo jure poſſidendas tradere conſueverint: an veriſimile ſit, virum natu majorem, tribus & quinquaginta annis dominatum poſſidere, ac damnato Patre ob neglectam religionem, ſucceſſionem patere filiis. Sed pergimus in hiſtoria. Johannes, ut ille putat, is eſt, qui cum ex Roma duxiſſet uxorem, Eccleſiam Sancti Stephani apud Viennam erexit, vetuſtum & nobile Templum: quamvis hodie maxima ex parte diruptum, in auguſtiorem præcellentioremque formam redigatur. *Quod nobis haud veriſimile videtur* (1). *Nam Computatis temporibus ab Abraham uſque Annam, qui Pater fuit Joannis inveniemus annos circiter duo millia ducentos; atque hoc pacto, cum ab Abraham, qui natus eſt poſt diluvium annis, ut ante diximus noningentis quadraginta & duobus uſque ad Chriſtum, Euſebio teſte, lapſi ſint anni duo millia quadraginta quatuor, conſtabit Eccleſiam Sancti Stephani Viennenſem annis poſt Chriſti nativitatem circiter centum conſtructam fuiſſe, atque ita prius Viennæ quam Romæ publice in honorem ſanctorum Chriſti licuiſſe baſilicas ædificare, cum Romæ ſub Conſtantino primum ea libertas data ſit.* Sed cum Johannes & Theodericus ſine liberis deceſſiſſent, Albertus totius Auſtriæ Dominatum potitus eſt. Huic autem Eberhardus filius ſucceſſit, qui conjugem ex Bajoaria duxit, Oſannam nomine; atque tum primum inter Auſtrales & Bajoarios matrimoniis locus eſſe cœpit. Neque proſperitas hic fuit: nam filii ex hoc connubio nati, Albertus & Jacobus, immatura morte perierunt. Quibus ex rebus mœrore confecti conjuges, vocari Duces amplius noluerunt, ducatumque terræ in Marchionatum converterunt. Res prorſus inaudita, ex orbitate filiorum mutari titulum regionis. Sed eſt quod magis ridendum videatur. Scribit autem ſtultiſſimus auctor, cum ſocer Eberhardi ſine prole maſcula vitam obiiſſet, Ducatum Bajoariæ ad eum deveniſſe jure conjugis, qui tum ſe Marchionem Auſtriæ & Ducem Bauariæ vocitaverit, nec jam amplius Auſtriæ terram, ſed Auſtriæ regnum dici voluerit. Quæ omnia quantum cohæreant, quantumque veriſimilitudinis præſeferant, cum nos pudeat manifeſtas ineptias refellere, ſenſati legentis judicio relinquimus. Cum vero Marchionatus ex obitu Eberhardi ad Imperium devolutus eſſet, Henricus Bohemorum Dux ad eum promotus eſt, quod imperio prius non nihil obſe-

(1) *Habentur hæc Codice III. fol. 10. p. 2.*

obſequii *contuliſſet* (1). Sed neque is liberos habuit, qui Marchionatum retinerent; qua propter Imperator, qui tunc fuit (neque enim cautus hiſtoricus nomina ponit) Ottoni cuidam in Ungaria Duci Marchionatum conceſſit. Ex quo natus eſt Conradus, qui poſtmodum ad Regnum Romanorum provectus eſt. Hic rurſus ex Marchionatu Ducatum erexit, quem poſteritas ejus per ducentos annos & amplius tenuit uſque ad Eliſabeth nobilem fœminam, quæ poſt Petrum fratrem tribus menſibus dominata, cum ſine viro & liberis deceſſiſſet, Principatum denuo miſit ad Imperium. Facta eſt autem hæc devolutio ſub Henrico Imperatore ſecundo, quem Bombergenſes ſanctum habent, ſummaque poſt Deum veneratione colunt. Fuit enim vir temperans, & juſtitiæ cultor; qui nobilem & prædivitem Eccleſiam apud Bombergam erexit. Is Ducatum Auſtriæ ſub nomine Marchionatus Alberto dedit: de cujus vel ſanguine vel gente nil traditur. Sed illi filius fuit nomine Erneſtus, cordatus homo: qui cum militares actus ſectaretur, nimiſque bellandi flagraret ardore, apud Saxones interfectus, duobus poſt ſe relictis Leopoldo atque Alberto: qui cum Marchionatum inter ſe diviſiſſent, alter in Pernegk, alter in Gars ſediſſe fertur: anno poſt Chriſti Salvatoris nativitatem milleſimo & ſecundo quinquageſimo. De his noſter hiſtoricus hujusmodi fabulam refert. Ait enim, Leopoldum ſtatura eminenti & forma egregia virum, fuiſſe forti & liberali animo: qui cum inter prandendum citharœdum quendam cum voluptate audiſſet, non parva donaria homini contulit. Ille, ut eſt conſuetudo ejuſce artis, cum diverſas curias citharizando circuiſſet, Romam demum venit; ingreſſuſque palatium Cæſaris, ad menſam nunc voce nunc cithara Principem demulcens, multa de virtute Leopoldi cecinit. Cum Cæſar attente animadvertiſſet, magna eum viſendi Leopoldi cupido inceſſit. Ob quam rem concilium Romæ magnis de rebus indicit, jubetque Principes Imperii omnes ad ſe venire. Cumque paruiſſent omnes, Leopoldus in palatium receptus eſt ac ſupra omnes honoratus: in quo Cæſar non ſolum corporis majeſtatem, ſed & animi ſingularem prudentiam, quam miraretur, invenit. Cæſari forte filia virgo fuit, admirandæ pulchritudinis: quam cum tenerrime diligeret, certam fecerat, niſi quem ipſa vellet, non ſe virum ei daturum. Ac cum Leopoldum & morum venuſtate & corporis elegantia præſtantem cerneret, ratus id, quod res ſuadebat, talem virum filiæ placiturum, eam ad ſe accerſit: diuque ſecum paterno more jocatus, cum Leopoldum eidem, ac plura ſibi de tanti hoſpitis virtute prædicaſſet, tandem rogavit, an talem virum ductura eſſet, ſi ei deſponderetur? Cui cum virgo magis annuiſſet, quam reſpondiſſet, facturam ſe quæ pater imperaret (nam fari quæ animus cupiebat, pudor virgineus impediebat) Leopoldus abſque mora gener Imperatoris efficitur, fiuntque nuptiæ Romæ ingenti apparatu. Deinde Leopoldus nobili matrimonio auctus & auro

(1) *Ita Codex ſecundus; expunctus idcirco aſteriſcus.*

auro magno donatus, domum cum nova nupta revertitur. Quod cum Albertus accepiſſet, dicit, ſe certa die ad eum iturum, ut ſponſum viſitet. Leopoldus quo Fratrem honorificentius excipiat, venatum cum tota familia proficiſcitur, paucis domi relictis, qui conjugi ſolatio eſſent, Albertus interim, cum veniſſet Garſium, neque Leopoldum comperiſſet ubi conjugem ejus, forma præſtantem, contemplatus eſt, accenſus libidine inter ſuos conſilium captat, quonam pacto muliere potiri queat: nam ni id agat, victurum ſe negat. Tantum cæca libido vexare hominem cœperat. B Ad quem unus ex Senibus, quid eſt, quod ais, Marchio, mentemne amiſiſti, inquit, ut quantum facinus mediteris, non animo penſes? ut momentaneæ voluptati ſatisfacias, perpetuæ te infamiæ moleſtiæque ſubjicies. At juvenes, qui aderant, propoſitum laudantes, nihil eſſe periculi, dicebant: tantum animo ſuo ut morem gereret, ſuadebant. Ille tum paſſione victus, tum conſilio ductus vim mulieri intulit; eamque mœrore confectam mox deſerens, cum ſuis domum ſe contulit. Leopoldus ex venatione capto cervo regreſ- C ſus, cum fratrem, ex his qui domi manſerant, adveniſſe, & brevi facta mora receſſiſſe, cognoviſſet; uxorem adiens, moleſtam ac lectulo cubantem reperit. Quod cum Leopoldus comperiſſet, implacabili adverſus fratrem odio exarſit: qui flagitium flagitio vindicans, paulo poſt tempore interjecto, ſponſam Alberti ex Polonia venientem, dum per Moraviam tranſit, cum robuſta militum manu adorſus, trucidatis ejus comitibus, intercipit, ac diu ludibrio habitam vix tandem viro reddit. Inde A acerbum exortum bellum: abactum quicquid armentorum in Auſtria fuit: vaſtati agri, incenſæ villæ, ipſaque oppida, non ſine ſanguine multo incolarum, direpta; verumque illud experti ſunt Auſtrales, quod Propheta canit: dum ſuperbit impius, incenditur pauper: & rurſus illud Græcorum proverbium: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Neque enim arma depoſita ſunt, niſi, poſtquam exhauſtis utrinque viribus, Imperialis judicii cenſuræ ſeſe partes ambæ ſubmiſerunt.

Hanc autem Leopoldi conjugem eam eſſe arbitror, cui nomen Jutha fuit, quæ, teſte Ottone, cum Thenone Juvavienſe Archiepiſcopo, qui deinde martyr Chriſti fuit, ac Guelfone Noricorum Duce, & aliis compluribus Baronibus, pro tuenda Chriſtiana religione Hieroſolymam petitura, dum Græciæ fines permeat, Alexii Conſtantinopolitani fraude intercepta, cum omni comitatu periit. Leopoldo vero filius fuit tertius Leopoldus, pietate & libertate inſignis: qui duo præclara monaſteria in Auſtria conſtruxit: Alterum Sancti Auguſtini Canonicorum, ſupra ripam Danubi in loco, cui nomen eſt novum Clauſtriburgium, octavo ab urbe Vienna milliario: Alterum Sancti Bernardi Ordinum in honore ſalutiferæ Crucis Chriſti, in valle nemoroſa reductaque, a Vienna paſſuum duodecim milibus diſtanti. In utroque monaſterio multi Monachi degunt, qui dies noctesque Deo vero laudes canunt: & Auguſtinenſes Canonici, Præpoſito ſubſunt; Bernarditæ, abbati, quibus annuos redditus haud tenues conſtituit. nam ſupra quinqua-

ginta Monachos alterutrum Cœnobium alere consuevit. Principes Austriæ quamplures ibi sepulti sunt. Cæterum huic Leopoldo coniux fuit Agnes Henrici quarti Romanorum Imperatoris filia, Soror quinti; mulier fœcundissima. Quæ cum prius Friderico Suevorum Duci nupsisset, Fridericum illi Conradumque peperit; deinde Leopoldo nupta post obitum primi viri duos de viginti liberos edidit: e quibus ad maturam ætatem viri quatuor, tres fœminæ supervixere, Leopoldus quartus, Henricus, Conradus, Otto; Gerdrudis, Bertha, Jutha. Quorum quæ fortuna fuerit, paucis absolvemus; Henricum natu majorem vltimo loco servantes.

Leopoldus ad Bauariæ Ducatum hoc modo pervenit. Cum accepisset Conradus frater eius vterinus imperium, Henricus Bajoariæ & Saxoniæ Dux, qui Lotharii Cæsaris gener fuerat, detrectans imperium, hostis reipubl. declaratus debellatusque ac Bajoaria pulsus est; tumque Ducatus ipse Leopoldo commissus. Quæ res multorum bellorum causa fuit. Namque cum Leopoldus, subacta Ratisponensium audacia, & omni pene Bajoaria in potestatem redacta contra duos fratres, qui soli ex amicis Henrici profugi in fide perstiterant, apud opidum Phalaia castra teneret; a Guelfone Henrici fratre ex improviso inuasus, compluribus suorum desideratis vix fugæ beneficio salvari potuit. Ex Ratispona quoque, seditione excitata, igne in plerisque urbis locis suppositio, turpiter fugere coactus est. Quibus ex rebus iracundia incensus, congregatis ingentibus copiis in Ratisponenses duxit; vastatisque circum agris non parva pecunia mulctatos cives in deditionem accepit. Exin contra Guelfonem traiiciens, usque ad Lycum flumen progressus cunctis vicis villisque per circuitum direptis atque incensis, munitiones hostium late disjecit, victorque & onustus præda rediens, paucis post diebus in agro Patavienſi mortem obiit. Cujus corpus in Austriam delatum, in Monasterio Sanctæ Crucis, quod a Patre constructum diximus, tumulatum est. Conradus autem Patavienſis Ecclesiæ Pontificatum adeptus, clero & populo carus, apud sponsam suam consenuit. Verum Ottoni, cujus sæpe mentio a nobis hactenus facta est, & deinceps fiet, a pueritia religionis studia placuerunt: qui ut primum Latinas edidicit literas, ad Cistercienses Monachos sese contulit, atque in monasterio Morimundi ordinem professus, regularem induit disciplinam: mox vero in Parisios missus, apud celebrem illam Scholam & orbe toto famosam, liberales artes ipsamque totius vitæ magistram sectatus Philosophiam, denique altissimæ Theologiæ edisscendis arcanis, totum se tradidit. Quibus in rebus, cum reliquis sui ævi doctissimis viris præstare videretur, eorum Monachorum sequi magisterium meruit, quorum fuerat ante discipulus; in Monasterio Morimundensi Abbas ordinatus, in quo multa laudatissimæ conversationis suæ documenta relinquens, ad Ecclesiam denique Frisingensem vocatus, Pontificem clarissimum gessit: detracta prædia vendicavit; collapsa ædificia restituit; religionem, quæ pene interierat, in priorem erexit formam: tantaque illi Ecclesiæ bona contulit,

ut

ut fundator ejus magis quam inſtaurator eſſe putaretur. Fuit autem Otto duorum Cæſarum, qui ſuo tempore imperarunt, unius quidem frater, alterius vero patruus. Et cum fratre quidem Conrado in Græciam Syriamque profectus bellis omnibus interfuit, quæ cum Turcis Sarracenisque ſeu ſecunda, ſeu adverſa geſta ſunt, conſilioque & armis rem Chriſtianam juvit: vidit Hieroſolymam, & ſacram Dominici corporis tumbam, ipſeque in Jordano lavari meruit. Neque in tot curis atque laboribus ſtudia literarum neglexit; in otio negotium, & in negotio otium ſectatus. Hiſtoriam enim, ab ortu mundi uſque in ſua tempora non inutilem deduxit, atque in octo digeſſit libros: quorum ſeptem geſta mortalium referunt, magnamque nobis Germanicarum rerum notitiam reddunt; Octavus ſupernam Chriſti civitatem pulchre peritequе figurat. In dialectica quoque ac Philoſophia opuſcula nonnulla edidit; primusque diſputandi ſubtilitatem ex Ariſtotelis doctrina receptam, ad Bajoarios Auſtralesque detulit. Oravit Eccleſiarum cauſas: Pupillos, viduasque, & omne oppreſſorum genus hominum, apud Imperiale tribunal indefeſſe tutatus eſt. Ad poſtremum Friderici Cæſaris res geſtas ſcribere adorſus, haud abſolvere opus valuit. Radevicus ejus diſcipulus, & Eccleſiæ Friſingenſis Præpoſitus ſummam operi manum adhibere conatus, & ipſe ante Fridericum e vita migravit. Illud in Ottone dignum laude: qui licet fratris nepotisque geſta memoriæ traderet, qui Romanorum Pontificum hoſtes fuere, ita tamen hiſtoriæ legem ſervavit, ut neque cognatio veritati, neque cognationi officeret veritas. Is, cum ſecundo Fridericus Imperator Italiam peteret, vocatus ab eo conſilii cauſa, ob ſenium ſe excuſavit. Qui ſi ſecutus nepotem fuiſſet, haud dubie inter illum & ſummum Sacerdotem, quod poſtea intervenit, diſſidio obviaſſet. Contulit autem ſe Otto ad Concilium Ciſtercienſis ordinis, quod Morimundæ agebatur: ubi morbo preſſus, vocatis ad ſe in cubiculum Monachis, plura de bono religionis, de immortalitate animæ, de pœna damnatorum, & gloria ſalvandorum, graviter ſapienterque locutus, ad extremum opera, quæ ipſe ſcripſiſſet, emendationi Patrum commiſit: ac ſuſcepto Euchariſtiæ Sacramento, & oleo ſancto delibutus, animam creatori reddidit. Corpori ejus apud altare majus ſepulchrum erectum eſt. Fratribus ejus ordinis apprime venerandus.

Ex Sororibus Ottonis Leopoldi Tertii filiabus Gerdrudim Dux Bohemorum duxit, Bertha Principi Poloniæ nupſit. Jutha Marchioni Montiſferrati matrimonio juncta eſt. Henricus vero qui patri ſucceſſerat in Auſtria, hunc fortunæ curſum habuit. Cum obiiſſet in Saxonia Henricus Bajoarius, quondam Lotharii Gener, filiumque ſui nominis puerum reliquiſſet, eum Saxonibus magnopere commendatum reliquit. Qui commiſerantes puero ex Imperatoris filia nato, & ſuo naturali Domino, adverſus Conradum Imperatorem, qui Bajoariam Henrico abſtulerat Auſtralibusque dederat, arma moverunt. Cum quibus multa prælia vario eventu geſta ſunt. Denique ita de pace convenit: Gerdrudis filia Lotharii & Mater Henrici pueri filio ſuadet,

ut

ut Ducatum potius Bajoariæ a ſeſe abdicet, quam Cæſaris iram experiri velit. Quo facto, ipſa Henrico Auſtriæ Marchioni nubit. Quæ res viro ſuo Ducatum Bajoariæ confirmavit. Non quievit tamen Guelfo, qui defuncto Henrico fratri ſe in Bajoaria legitimum arbitratus heredem, eam terram cum armis ingreſſus, viros & oppida non parva ferro & igne conſumpſit. Henricus vero ea contumelia inflammatus, cum accepiſſet, in Friſinga nonnullos cives eſſe Guelfoni amicos, eo propere cum exercitu accurrit, direptiſque veterum & ſanctæ Eccleſiæ prædiis, ipſius etiam vrbis Friſingenſis munimenta deſtruxit; nec moratus, oppidum Conradi Comitis, qui partium Guelfonum erat, adortus, auxiliis ab Imperatore ſuſceptis, cepit atque incendit. Poſt hæc cum adoleviſſet Henricus Lotharii ex filia nepos, atque hujus Henrici privignus, Conradum jam de bello in Turchos Saracenosque gerendo in Conventu Principum apud Francofordiam agentem adiens, neque Patrem Ducatu Bajoariæ rite privatum, neque ceſſionem de illo a ſe factam valere, ait; qui per ætatem quid ageret ignoravit, puer admodum & maternis deluſus blanditiis. Paternam igitur hæreditatem magno animo repoſcit. Conradus autem expeditionem in Aſiam prætendens, Adoleſcentem hortatur, ne tam neceſſario negotio impedimento ſit, neque gravetur paululum diferre, qui diutius expectaverit: in redditu nihil futurum, quod cauſæ cognitionem remoretur; ſpemque bonam concordiæ præbet. Ceterum rediens ex Aſia Conradus, brevi diem obiit; neque finem huic liti imponere potuit. Compoſuit autem eam Succeſſor ejus Fridericus primus ejus nominis Imperator. Is cum rediiſſet ex Italia coronatus, pluribus diverſis in locis ea de cauſa conventionibus fruſtra habitis, tandem apud Ratiſponam, primariam Bajoariæ urbem, concilium Principum convocat. Fit frequens conventus: adſunt ambo Henrici, de Principatu Bajoariæ contendentes: cauſa Duci Bohemiæ Boleslao audienda committitur: interveniunt advocati ſcientia jurisperitiſſimi; trahunt cauſidici, ut conſueverunt, litem. Alii, puero jus competere in Bajoaria, aſtruunt; alii negant: neque deſunt aut his aut illis argumenta, jura, & reſponſa prudentum. Nam legum ea natura eſt, ut per ſe mutæ interpretis arbitrio loquantur: tumque potiſſimum ſenſus accipiunt varios, cum lis eſt de divite regno. Raro potentium jurgiis modum fecere judicia. Aut amicorum interventus, aut gladius, Principum lites dirimit. Fridericus igitur, ubi negotia advocatorum artibus trahi diutius animadvertit, ipſe vocatis ad ſe litigatoribus, ex bono & æquo in hunc modum cauſæ finem dedit. Bajoaria eo tempore a Lyco flumine uſque ad Anaſum protendebatur: Anaſus autem fluvius eſt, qui ex alpibus Stiriæ profluens, juxta Laureacum, deſertam urbem, Danubio miſcetur, duorum ferme dierum ab Eno flumine, quod Norici quondam limes fuit, itinere diſtans. Eam ergo terram, quæ intra Enum atque Anaſum fuit, Fridericus Imperator a Bajoaria direptam Auſtriæ adjunxit, Henricoque Marchioni perpetuo jure poſſidendam tradidit:

didit: reliquam vero Bajoariam ab Eno ad Lycum porrectam, Henrico Lotharii nepoti restituit. Et ne major alter altero ex litigatoribus videretur, suppresso Marchionatu provinciam Austriæ ad Ducatus eminentiam erexit: terramque ipsam magnis & singularibus honestavit privilegiis; quæ hoc loco inseruisse, non erit absurdum. Ea quidem hujusmodi sunt: *Expeditionem si quando Romanus Princeps in Vngaros edixerit, Dux Austriæ equites duodecim, qui mense uno in castris militent, ad eum mittito; ab reliquis oneribus liber esto. Extra terram Austriæ, nisi volens feudi recipiendi causa haud ito. Imperator ubi ternis rogatus litteris feudum negarit, justus Princeps habetor. Vocatus ad tribunal Imperatorium quacunque ex causa, minime pareto. In Austria nulla Imperatori feuda sinito. Si quis alius feuda ibi possederit, ab Duce terræ ea recognoscito: secus agens privatus bis esto, eaque Duci, nisi Ecclesiarum fuerint, pertinento. Actionum quas in Ducem Austriæ intentari contigerit, alius ex Vasallis suis electus judex esto. Ad duellum provocatus Austriæ Princeps, quem velit, haud tamen infamem, in locum sui subrogato. Quod ille in sua ditione constituerit ordinaverit que; neque Rex, neque Imperator mutato. Eo sine masculis decedente, Senior filia Ducatum habeto. Si plures filii superstites fuerint, natu majori reliqui parento, illiusque senior natus hæreditatem suscipito. Dum sanguis Henrici superat, in alium Principatus nequaquam transito, neque divisionem aliquam patitor. Insidias si quis Duci paraverit, majestatis pœnas dato. Qui damna ei intulerint, Imperatores adversus eos, donec satisfaciant, arma movento. Feudum ab Imperatore Dux Austriæ recipiens, quod decet Principes paludamentum, induito: pileum corona punica circumductum deferto: atque insidens equo baculum manu gestato. Ab eo damnatis nulla refugia sunto. Judæi usurariive in Austria pro Ducis arbitrio habitanto. Ad curiam Cæsaris cum accesserit Princeps Austriæ, quasi unus ex Palatinis Archiducibus sedeto. At post Electores Imperii ad dextram Cæsaris primum locum accipito. Si absque liberis legitimisve heredibus decesserit, ex testamento ejus descriptus heres Principatum habeto.* Hæc Fridericus Imperator ejus nominis primus, in Austriæ Duces privilegia contulit: quæ postea nepos ejus Fridericus secundus confirmavit auxitque. Ante hos quoque Henricus quartus Imperator Henrici tertii filius, Arnesto Austriæ Marchgravio quem apud Saxones interisse retulimus, literas dedit: in quibus Julii Cæsaris Claudiique Neronis privilegia in hanc ferme sententiam referuntur. Julius quidem avunculo suo, quem non nominat, terram orientalem in feudum concedit: eumque succesforesque ita in Consilio Cæsaris esse jubet, ut sine his nihil explicari queat, quod quidem grave arduumque videatur. Nero autem orientalem terram perpetua libertate donat, bannoque Romani Imperii subjicit, quisquis ei molestus fuerit. Verum ficta hæc falsaque esse comprobantur, & ab ingenio non tam erudito quam maligno excogitata: quæ reprobare in promptu est. Nam quis vel *feudum* vel *bannum* apud vetustissimos illos Cæsares nominari audivit? quis Romanorum *orientalem*

*talem terram* appellavit, quæ nunc *auſtria* vocatur? Romanis ea regio ſeptentrionalis eſt; & apud veteres non Auſtria dicta, ſed vel Pannoniæ fuit vel Norici portio, ut ante relatum eſt. Ait inſuper Henricus, privilegia Cæſarum lingua paganorum fuiſſe conſcripta, quæ ipſe in Latinum ſermonem verti juſſerit. Bella procul dubio & credenda res: Romanorum Cæſarum epiſtolas, Theotones Imperatores Latinas feciſſe. Tanquam Latini Barbare, Barbari vero Latine loquantur. Quid quod Regni ſui anno primo Julius id ſe privilegium conceſſiſſe affirmat? cum palam ſit, Julium Cæſarem nunquam regio nomine uſum fuiſſe; quod erat inviſum Romanis. Quibus ex rebus vel confictas eſſe literas Henrici crediderim, vel eum Principem Cancellarii ſui levitate deceptum. Friderici vero, & ceteri, qui poſt eum imperavere, cum Auſtriæ libertatem tradunt, nullam prorſus harum literarum mentionem efficiunt. Henricus autem, qui hæc privilegia conſecutus eſt, cum pace frueretur, nobile Monaſterium apud Viennam erexit, quod vocant Scotorum; multaque ibi bona conceſſit: in quo regularis obſervantia diu exacte ſervatæ eſt; complures ibi monachi vita ſanctimonia & doctrina ſingulari claruerunt. At ſicut cæterarum rerum, ita & religioſi fervoris, ſatietas quædam, homines aliquando capit; nec religionem invenias, quæ primævæ fundationis inſtituta abſque mutatione cuſtodiat. Cum tepuiſſet igitur apud Scotos bene vivendi Zelus, reſolutis in luxum Monachis, brevi opes Monaſterii abſumptæ ſunt; tantaque ibi ſuccrevit inopia, ut vix octo cum Abbate Monachi in eo ſuſtentari poſſent, in quo ſexaginta prius copioſe alebantur: eoque deducta res eſt, ut traditis pignori reliquis bonis, tandem quoque campana, quæ maxima eis fuit, in turri appenſa, ea lege Judæo pecunias mutuanti obligaretur, ut ſi quando pulſare eam Abbas feſtivo tempore vellet, argenteum nummum, quem groſſum Bohemiæ vocant, pro quavis pulſatione creditori traderet. Defuit autem & hic nummus luxurioſe viventibus: ob quam rem contigit in ſolennitate paſchali campanam ex more non tangi, Monaſteriumque veluti mutum videri. Sciſcitantibus civibus, quid ſibi hoc ſilentium vellet, reperta eſt demum Judæi atque Abbatis conventio. Res ad ſuperiores delata: amotus Abbas, & alius introductus: paulatimque Monaſterium ipſum reformatum: denique ſub Alberto Ladislai Patre, de quo ſuo loco ſcribendum eſt, ad priſtinum ſtatum rediit. Henricus vero, relicto Leopoldo filio, ejus nominis apud Auſtriæ Principes quinto, annis plenus ad vitam aliam migravit.

At cum Fridericorum ſermo inciderit, quorum apud omnes pene gentes illuſtris fama, & clarum nomen habetur; non eſt alienum, quæ fuerit eorum origo, hoc loco referre; cum Auſtriæ Ducum ſcribamus geſta, qui ab his materno ſanguine prodiere. Neque enim Latini autores, qui de Fridericis ſcribunt, originem eorum attingunt. Nobis autem operæ pretium viſum eſt, tantæ familiæ principium memoriæ tradere. Imperante igitur Henrico tertio, Fridericus ex opido Stouphe, quod in Suevia ſitum eſt, vir providus & in armis exercitatus,

pri-

primus in ea gente illuſtris evaſit: quamvis majores ejus, Comitatus honore fungerentur. Is ad Curiam Imperatoris ſe contulit, jam maturus ætate & fama notus. Vbi cum plurima rei militaris egregia facinora edidiſſet, acceptus imprimis Henrico eſſe cœpit, ſeu belli negotia ſeu pacis agerentur. Per idem tempus inter Gregorium VII. Romanorum Pontificem,& ipſum Henricum, graves inimicitiæ vigebant. Nam Gregorius privatum communione fidelium Henricum quoque Imperii honore dejicere conabatur. Henricus vero convocatis ex Italia, Germania, Galliaque, pluribus Epiſcopis ac Principibus, rejecta Gregorii electione, quæ injuſſu Cæſaris facta fuiſſet, Guibertum Ravennatem Archi-Epiſcopum ad Romanum Pontificatum temere evehi, Clementemque, appellari curaverat. Rudolfus autem Dux Suevorum, qui ex auctoritate Gregorii ſuſceperat imperium, cum amicis Henrici commiſſo prælio jam ceciderat; Sueviamque gener ejus Bertoldus, & ipſe inter Optimates Alamaniæ clariſſimus, obtinuerat. Qui Soceri vel mortui partes adverſus Henricum forti animo tuebatur. Hunc igitur qui compeſcere poſſet, Fridericus inter omnes unus Imperatori viſus eſt, qui & rei militaris peritiam ſingularem, & in Suevia potentes habebat amicos. Huic igitur ad ſe inter paucos vocato expeditionem in Sueviam ſuadet. Quam ut animoſius libentiusque ſuſcipiat, unicam ei natam ſuam Agnetem nomine deſpondit, & dotis nomine Ducatum Sueviæ ad Imperium jure feudi devolutum, concedit. Qui mox cum exercitu in hoſtem profectus, Bertoldum pluribus præliis profligatum, paucos intra dies pacem petere compulit. Quam ea lege accepit, ut retento ſibi Thurego inſigni opido reliquam Sueviam Friderico dimitteret. Thuregum nonnulli quaſi duregum dictum volunt, quod olim duorum regnorum limes a duobus regibus gubernaretur, Arelatenſi altero, & Theotonico altero: urbs inſignis lacum amœnum habet, ex quo fluvium exeuntem hodie Limachum vocant, nonnulli veterum Lemannum appellant, atque ab eo vocatam Alemaniam volunt. Quibus Otto Friſingenſis conſentit, verſus *Lucani* huc trahens: *Deſeruere cavo tentoria fixa Lemanno.* Alii lacum Gebennenſem, quem Rhodanus præterfluit, dictum eſſe Lemannum putant. Quos ſequitur Joannes Boccatius, cui ut & nos auſcultemus, commentaria *Julii Cæſaris* faciunt, in quibus Helvetiorum fines ita deſcribuntur: *una ex parte flumine Rheno latiſſimo, atque altiſſimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit; altera ex parte monte Jura altiſſimo, qui eſt inter Sequanos & Helvetios; tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano qui provinciam noſtram ab Helvetiis dividit.* Verum Fridericus Sveviæ latiſſimum atque opulentiſſimum adeptus Principatum pacatis undique finitimis gentibus, gratum tutumque ſuis gentibus ſubditis paravit otium. Ac duobus filiis ex Agnete ſuſceptis Friderico & Conrado, rebus exceſſit humanis.

Agnes autem vidua relicta, Leopoldo, Auſtriæ Marchioni nupſit, numeroſamque illi, ut commemoratum eſt, & nobiliſſimam prolem peperit. Fridericus filius, cum ſepeliretur Pater, quintum & decimum

agebat annum: Conradus duobus annis junior fuit. Hac tempeſtate defuncto apud Leodium Belgicæ urbem Henrico tertio, Filius ejus Henricus quartus ſuſcepit imperium, qui regnandi cupiditate incenſus, etiam cum Patre de Imperio certaverat. Is quanquam vivente parte cum Eccleſia ſenſit religionique paruit, eo tamen e medio ſublato, poſtquam ſolus imperio præfuit, paterna veſtigia non reliquit. Neque enim conſequens eſt, ut Principatus malis artibus acquiſitus, bonis moribus gubernetur. Rebellavit enim Eccleſiæ, nec bonus erga matrem videri voluit, qui fuerat in Patre peſſimus. Quibus ex rebus excommunicatus a Romano Pontifice, deficientibus ab eo Regni Optimatibus, in contemptum venit: nec prius integrare imperium potuit, quam congregato apud Wormatiam concilio procerum, reconciliatus Eccleſiæ, inveſtituram Epiſcoporum, de qua contentio fuit, Calixto ſecundo Pontifici Romano reſignaret. Legatus ad eam miſſus fuit Lampertus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui Calixto deinde ſuccedens Honorius vocatus eſt. At priuſquam de concordia Pontifex Imperatorque conveniſſet; relinquentibus Imperatorem cæteris, Fridericus apud Avunculum inconcuſſa fide permanſit: qui cum eſſet bellicæ rei peritus, & opinionem prudentis viri præ ſe ferret, neque amare pecunias videretur, totius Theotonicæ militiæ robur ſibi conciliavit, atque adverſus Imperatoris hoſtes pluribus præliis feliciter confectis, omnem illam regionem, quæ inter Maguntiam Baſileamque jacet citra & ultra Rhenum, in qua maxima vis Theotonici regni conſtit, ad obedientiam Avunculi redegit: totque locis opportunis ad firmandum Imperium caſtella exædificavit, ut commune apud eas gentes proverbium fieret: *Fridericum quocunque iret, in cauda equi caſtellum portare.*

Bellum deinde Alberto intulit Archiepiſcopo Maguntino. Nam & is, ut par fuit, verſus Imperatorem cum Romana Eccleſia ſentiebat. Vaſtatis igitur per circuitum agris, urbem denique ipſam Maguntiorum obſidione cinxit. Archiepiſcopus autem vir callido ingenio & fallendi magiſter, ubi ſe premi arctius animadvertit, nec ſatis populo ſe credit, inducias ad componendas lites expetit, diem locumque dicit, in quo ſeſe Imperatori exhibeat. Placent conditiones: ſolvitur obſidio. Fridericus, dimiſſo exercitu, cum paucis, nil mali veritus, domum verſus iter ingreditur. Sed quis hoſti fidem habeat? Archiepiſcopus collecta militum manu profiliens, inproviſum Fridericum hoſtiliter adoritur. At ille in ſola audacia ſitam ſalutem ſuam cernens, pauca pro tempore hortatus comites, magna vi, majore iracundia, in hoſtes obvius fertur. Pugnatum eſt diu atrociter: cecidere utrinque robuſtiſſimi: inter quos non ignobilis comes Emicho mortem oppetiit. Ad extremum inclinata Maguntinorum acies terga verterunt: quos ad urbis uſque portas, ultimos cædendo, fugientes inſecutus, captis atque occiſis quam plurimis ad propria rediit. Maguntini ægre ab nece Alberti Præſulis abſtinuere, cujus perfidia periclitati fuiſſent. Interjecto deinde non multo tem-

tempore, rurſus Pontifex Maguntinus, accerſito Lothario Saxonum Duce, qui poſtmodum imperavit, multiſque aliis Principibus opem ferentibus, Limpurgum oppidum in agro Spirenſi, quod partium Henrici Cæſaris fuit, expugnare aggreſſus eſt. Erat intra opidum inſigne diveſque Monaſterium, & in eo ſubterraneæ ſpecus abditiſſimæque latebræ, in quibus Monachi magnam vim cibariorum occluſere, veriti, ne tracta diutius obſidione, abſumptis opidanorum commeatibns, ad ſe veniretur. Sed evenit illis quem timebant timor. Quippe Udalricus Horningenſis, acri vir ingenio, qui opido cum præſidio præerat, poſtquam vrgeri fame opidanos intelligit, Monachos, ut cibos præbeant, multis hortatus precibus, cum ſe negligi vidiſſet, quod illi mentientes, nihil ſibi, quod edi poſſet, ſupereſſe, dicerent: at nobis, inquit, neque fame neque hoſtili manu perire conſilium eſt, donec vos adeſtis Monachi, quos edere poſſumus. Pinguiorem igitur prius tradite: ſic enim & vos cœlum martyrio lucrabimini, & nos carne veſtra paſti, auxilium facile expectabimus. Quibus verbis attonitus territuſque Monachorum cœtus, cibaria recluſerunt. Quibus dies non paucos ſuſtentatus miles, opidum defendit. Interea Fridericus contracto valido exercitu, ad locum veniens, atque obſeſſores invadens, captis necatiſque quam pluribus hoſtium, caſtris potitus, obſeſſos liberavit. Quæ res & Henrico Imperatori faciliorem cum Romana Eccleſia concordiam præbuit, & reintegrandi imperii potentiſſima cauſa fuit. Ipſe tamen Henricus, haud multo poſt tempore apud Trajectum urbem Friſiæ morbo correptus vita deceſſit. Qua re cognita, convenientes apud Maguntiam Germani Principes, Lotharium Saxonum Ducem, ſuadente Alberto Præſule, Imperatorem elegerunt: Virum quidem magnanimum & imperio dignum, verum nimis Alberti conſiliis auſcultantem: cujus ſuaſu, Fridericum Conradumque fratres impacato odio perſecutus, decennale cum eis bellum varia fortuna geſſit. Noricorum opidum, cui hodie Norimberga eſt nomen, dives opum & populo plenum, in poteſtate Friderici, Fratriſque fuit. Hoc Lotharius magnis copiis circumdedit, vaſtatiſque ferro & igne vicinis agris, cum armis expugnare non poſſet, firmata obſidione opidanos fame ad deditionem cogere ſtatuit. Fuit in ejus exercitu Henricus Bajoariæ Dux, Ulricus Bohemorum Princeps, multique præterea Comites & optimates Regni. Atcum Bohemiæ Ducem magna Barbarorum manus ſecuta fuiſſet, Chriſtianæ Religionis ignara, quæ Sacroſanctas incendens Eccleſias, ipſas etiam Sanctorum reliquias conculcaret, Bohemorum auxilia remiſſa ſunt. Id cum accepiſſent Fridericus & Conradus fratres, ſcripto mox milite, commotiſque per literas Norimbergenſibus, Lothario nil tale timente ſuppetias obſeſſis laturi civibus, feſtino curſu eo ſe conferunt; datoque ſigno, hinc ipſi, inde Norimbergenſes, erumpentes caſtra hoſtium invadunt. Quibus brevi direptis, fugientem Imperatorem, ad Herbipolim uſque conſecuti, pro mœnibus urbis non parva certamina cum Lotharianis commiſerunt, deinde transmiſſo

Rheno in urbe Spirenſi amice recepti ſunt. Nam ea civitas, Imperatorum, qui apud ſe jacent, cultrix, in omnes ſemper benigna fuit, qui Cæſaribus Henricis inconcuſſam fidem ſervavere. In hoc loco rurſus ab Archiepiſcopo Maguntino Fridericus Conraduſque moleſtiam paſſi, ad extremum etiam obſeſſi fuere. Qui ſæpius egreſſi, nunquam ſine præda redeuntes, hoſtem denique relicta caſtrorum ſupellectile turpi fuga ab obſidione recedere compulerunt.

Henrico autem Duci Bajoariæ, quem cum Lothario apud Norimbergam fugatum retulimus, duo filii fuere; alter maſculus de nomine ſuo Henricus appellatus, altera fœmina nomine Juditha. Et Henricus quidem Gerdrudim Imperatoris Lotharii filiam duxit uxorem. Juditha vero Friderico Sueviæ Duci, de quo ſermo eſt, nupſit. At Henricus, ſive Imperatoris affinitate ſuperbus, ſive quod paternam ignominiam in agro Norimbergenſi receptam ulciſci cupiebat, delectu per omnem Bojoariam habito, auxiliisque undecunque accitis, cum exercitu haud mediocri in Suevos trajecit, jamque Verenzam fluvium, qua miſcetur Danubio, tranſiverat; cum occurrere Fridericum non diſpari exercitu didicit. Expediebant utrinque milites arma, prælioque ſeſe avide accingebant. Sed ferox antequam hoſtem cerneret Henrici animus, ubi vexilla Friderici extenta cognovit, territus fractusque nihil antiquius fuga judicavit. Feſtinus igitur ad fluvium rediens, cum longum duceret per pontem transmittere copias, tranare equites juſſit; quos Verenzi novis auctus imbribus, rapidis involutos undis magna ex parte abſorpſit. Fridericus hoſtem fugaſſe contentus, exercitum reduxit. At Henricus ubi nil armis & aperta vi procedere animadvertit, ad inſidias doloſque convertitur. Origo illi Alemanica, ex antiqua & nobiliſſima Guelforum familia. Ob quam rem opida nonnulla eis in locis poſſidebat, in quibus ſublimes Italiæ alpes Alemaniæ conjunguntur. Eo igitur profectus Henricus, multis verbis Fridericum monet, ne Cæſari amplius adverſetur: difficile cuivis Principi eſſe quamvis potentiſſimo, dicit, Imperii vires in ſe provocare, tantamque belli molem ſubire: invitum ſe cernere ejus viri ruinam, cui ſua ſoror nupta ſit, qui nobili natus ſanguine rebus geſtis nobiliorem ſe fecerit: impetraturum ei Lotharii gratiam, ſi ad colloquium veniat, in monaſterio quo Zvivelten appellant. Credit Fridericus uxoris ſuæ fratris jurisjurandi religioni, nihilque veritus inſidiarum, ad præſcriptum locum primus cum paucis pergit, juſſis aliis in poſteram diem ſequi. Nocte intempeſta, illo jam dormiente, Henricus cum electorum militum manu eo ſe confert, & ingreſſus hoſtiliter Monaſterium Friderici cubiculum propere petit. Conſurgunt trepidantes Monachi, excitatiſque Friderici comitibus, vt Domino conſulant, pallidi attonitique hortantur. Fit tumultus ingens, obtruncantur qui primi ex Friderici ſociis in manus Henrici veniunt. Fridericus ex ſomno experrectus, cognita periculi magnitudine (jam enim hoſtis cubiculi tenebat hoſtium) dum quid agat, quove ſe vertat dubius inquirit, occultiſſimum denique aditum reperit, quo

in

in Eccleſiam tranſit, ac deinde in campanariam turrim excelſam aſcendit: confidens, eo ſe loco uſque ad exortum lucis ſalutem poſſe tueri, cum eſſet aſcenſus arduus, & unius tantum hominis capax. Henricus autem ingreſſus cubiculum, cum non inveniſſet Fridericum, habitacula quæque & officinas Monachorum irrumpit, flentibuſque Monachis ſtricto ferro mortem minatur, niſi hoſpitem tradant. Equitatus interea Friderici, qui ſequi juſſus fuerat, orto jam die Monaſterio appropinquat. Hunc cum Fridericus e turri conſpicatus eſſet, Henricum e feneſtra vocatum in hunc modum alloquitur: Ego tuam, Henrice, ſecutus fidem huc veni. Tu mihi ex affine hoſtem te objeciſti, neque fas neque bonum ſectatus, indignus es, qui claris Parentibus naſcereris. Hæc te dies honore exuit; perjurum deinceps omnis Germania devitabit. Digna tuis ſceleribus reddere præmia poteram, ſi voluiſſem: adeſt enim miles meus, qui proditionis ex te pœnas exigat, Sed potius ab eo ſervatum te ſcito, quem dolis captum necare putaviſti. Quibus auditis Henricus, nil amplius morandum ratus, trepidus a Monaſterio fugit; inglorius deinde apud theotones habitus, quamvis nonnulli eum defendere conati ſunt, quibus Imperii Majeſtas etiam dolis ac fraude retinenda videtur; Virgilianumque illud apprime placet, *dolus an virtus quis in hoſte requiret?* Sed verius dixerimus, etiam hoſti ſervandam fidem. Ceterum Fridericus & Conradus, qui jam Rex Alamaniæ a nonnullis Principibus deſignatus fuerat, & ingreſſus Italiam ab Archiepiſcopo Anshelmo, qui ejus rei cauſa depoſitus fuit, coronatus, paucis rebus geſtis inde redierat; cum ab Honorio, quoniam Lothario Imperatori rebellaſſent, excommunicati fuiſſent, magniſque modo acceptis modo illatis cladibus Romanum Imperium afflixiſſent, interventu denique ſancti & doctiſſimi Viri Bernardi Abbatis Monaſterii Clarævallis, qui tunc Chriſtianos Reges adverſus Turchorum Saracenorumque gentes pro liberatione terræ ſanctæ armare conabatur, Imperatori reconciliati, & a Summo Pontifice abſoluti ſunt. Quo facto Lotharius, qui ab Italia non diu ante redierat, eo iterum profectus eſt, Conradumque ſecum adduxit, & Generum Henricum Bajoariæ Ducem; quorum opera & Longobardos ſibi ſubegit, & rogatu Papæ, Rogerio Siculo pugna victo fugatoque plures Campaniæ atque Apuliæ Civitates ademit. Et in eo itinere, quamvis Henricus præclara belli facinora ediderit, qui Beneventum vi captum Romano Pontifici reſtituit; nimia tamen ſuperbia inſoleſcere viſus, vetus odium Germanorum in ſe Principum abolere non potuit. Lotharius vero cum domum repeteret, apud Tridentum jam ſenior morbo correptus interiit. Cujus corpus in Saxoniam translatum, in Monaſterio, quod ipſe conſtruxerat, nomine Luther, magnifice ſepultus eſt; ibique res ejus geſtæ plumbeis laminis annotatæ ſunt. At cum liberi ei maſculi non eſſent, quibus mandari Imperii gubernatio poſſet, Conventus Principum apud Maguntiam indicitur, in quo de futuro Imperatore ageretur. Quod cum Fridericus accepiſſet, veritus, ne eo in loco Henri-

ricus Bajoarius largitione minisve Principes corrumperet, (erat enim dives ac potentiſſimus) cum pleriſque Regni Magnatibus, quos ſibi aſciverat, ante diffinitum conventionis tempus, Francofordiam venit: ibique, præſidente Theodemino Epiſcopo Cardinali Apoſtolicæ ſedis legato, qui Romani populi urbiumque Italiæ pollicebatur aſſenſum, ad imperiale faſtigium, Conradum fratrem ſuum natu minorem eligi procuravit: quem mox idem Legatus in Aquiſgrano inunxit & in Regem coronavit: cum Archiepiſcopus Colonienſis, cui id muneris competit, per id temporis recenter ordinatus, adhuc pallio careret. Obierat jam Albertus, Maguntiæ præſul. Ob quam rem, profectus eo Conradus, Albertum defuncti Alberti ex fratre nepotem, poſtulante clero & populo, Pontificem ibi conſtituit. Frater hic fuit uxoris Friderici, quam ille ſecundo loco duxerat. Qui hujus beneficii prorſus immemor, in Fridericos haud minus quam patruus odioſus extitit. Calumniati ſunt autem Saxones Conradi electionem; potiſſime vero Henricus Lotharii Gener; qui mortuo Socero Saxoniam obtinebat. His igitur apud Bambergam dicta eſt dies. Ad quam cum Imperatrix Richiza vidua, & optimates Saxoniæ, veniſſent, ultroque Conrado ſeſe dediſſent, Henricus cum Regalibus ornamentis, quæ in Tridento moriente Lothario ſubripuerat, comparere recuſans, in Bojariam profugit. Vocatus autem iterum ad Ratiſponam, Regalia quidem ornamenta reddidit, ſed ad conſpectum Imperatoris haudquaquam venit. Cum enim gratiam impetrare non poſſet, apud Herbipolim in conſeſſu Principum hoſtis declaratus eſt, ejuſque bona proſcripta. Qua re publicata, omnes qui Henrico videbantur amici, mutati ſunt; & ab eo deficientes Imperatori ſeſe permiſere. Ipſe vero, venientem cum exercitu Conradum non auſus expectare, cum quatuor tantum comitibus, patrio ejectus imperio, trepidus in Saxoniam abiit; nec diu poſt, ab infelici relictus anima, apud Socerum ſepultus eſt: magnum rerum humanarum exemplum. Nam qui mari Adriatico in Daniam uſque & Baltheum pelagus, mediis regionibus imperabat, Cæſareuſque vocari Gener, & tanquam felix monſtrari digito gaudebat, unico fortunæ reflatu ita e culmine cecidit, ita deſpectus eſſe cœpit, ut cœtus hominum ſponte fugeret, unicumque miſeriarum ſuarum remedium duceret, a nullo, qui ſe antea noſſet, videri poſſe. Conradus vero, Bajoariam ſubactam Leopoldo Auſtriæ Marchioni, ut antea diximus, fratri ſuo uterino dono dedit; cui ſucceſſit Henricus Marchio Auſtriæ, qui cum Henrico privigno eam, quæ præſcripta eſt, concordiam inivit. Sed a Friderico Imperatore Dux Auſtriæ creari meruit. Verum Fridericus Conradi germanus natu major, ex Juditha uxore ejus Henrici, qui ſibi apud Zvivolten inſidias paraverat, duos liberos ſuſcepit; Fridericum, qui poſt Conradum rerum potitus eſt, & Judithan, quæ Lotharingorum Duci nupſit. Hac autem conjuge ſatis functa ſecundum cum Agnete, filia Comitis de Sarbrucha fratris Alberti Archiepiſcopi Moguntini, cujus ante mentio facta eſt, matrimonium contraxit: ex

qua

qua natus ei est Conradus, qui deinde in virum evadens illustrem, Comes Palatinus Rheni creatus est. Claritiam Ludovici Thoringiæ Comitis accepit uxorem. At Fridericus junior, mox ubi pubertatis attigit annos, ferox animi & belli cupidus, militiæ cingulum more patrio accepit: nec moratus, Henrico de domo boni consilii, magno & potenti inter Bajoarios Comiti, quod is Friderico Patri aliquando fuisset infestus, bellum denunciat, copiasque propere ante opidum ejus in aciem deducit. Contraxerat jam hostis non pauca auxilia: cum quibus in prælium egressus, postquam diu acerrime contendit, vim denique Friderici haud ferre valens, intra mœnia victus victoris manus effugit. Conradus ea pugna Dachoneus, nobilissimus Comes, qui postea Dalmatiæ Croatiæque Ducatum adeptus est, dum fortius quam cautius pugnat, in Friderici potestatem devenit. Erant Conrado multæ opes: nec dubium quin auri magnum pondus pro libertate daturus esset. Quod cum plerique petendum extorquendumque suaderent, At mihi, Fridericus inquit, non erit honore potius pecunia, neque me hodie impellitis, ut quem virum fortiter cœpi, ignave dimittam: liberumq; Comitem jussit abire.

Post hæc Conrado, Bertoldi quondam Ducis filio, bellum intulit; Thuregumque opidum, quod Patri ejus pactione dimissum retulimus, illi ademit; præsidioque ibi posito, reliqua hostis castella arcesque natura & arte munitissimas, & quæ nulla vi, nullo ingenio capi posse viderentur, in potestatem brevi redegit. Quibus ex rebus fractus animo Conradus, supplex ad Imperatorem veniens, vix paucis rententis majorum suorum opidulis, pacem obtinuit. Interjecto deinde non multo temporis spatio, cum perdita Edissa, Mesopotamiæ Civitate, quam Christiani jampridem incoluerant, Conradus Imperator & Ludovicus Francorum Rex, hortatu Romani Præsulis Eugenii tertii, adnitente Bernardo Abbate, quem paulo ante nominavimus, in Asiam trajicere statuissent, conciliumque ea de causa Theotoniæ Principes in Spirensi Civitate tenerent; Fridericus junior, cum patruo Cæsare, aliisque quampluribus, bellum pro Christi religione suscipere professus, Salutiferæ crucis signum, veluti datæ fidei pignus, accepit. Quæ res patri nunciata; gravissimæ ægritudinis illi & intempestivæ mortis causa fuit, adversus fratrem acerbius indignanti, qui nobilissimum adolescentem in spem Regni atque Imperii natum, transmarinam militiam ante annos profiteri permisisset. Nec defuerunt, qui eo modo Conradum filio suo Henrico consulere voluisse, affirmaverint, quem adhuc puerum, mox in Concilio Principum apud Francofordiam Regni consortem delegit, atque in Aquisgrani pro vetusta consuetudine coronam recipere jussit. Sed hunc morbo correptum, in ipso Patris ex Asia reditu, acerbus atque immaturus eripuit obitus. Conradus ergo, paratis quæ ad profectionem necessaria videbantur, ex Ratispona solvens navibus, in Vngariam venit. Atque deinde per Bulgariam, ac transivit in Asiam. Comites ejus fuere; Henricus tunc Dux Bajoariæ, frater ejus uterinus, qui

poſtea Ducatum ex Concordia privigno reliquit: Fridericus adoleſcens nepos, Guelfo Svevus, & cum his Epiſcopi quamplures, optimateſque Regni. Ludovicus autem Rex Franciæ per Italiam iter habuit: ubi mare ingreſſus, ad portum Sancti Simonis Aſiam attigit. Fuit horum parum fortunata expeditio. Nam Conradus, Manuelis Imperatoris fraude deceptus, apud Iconium primam Lycaoniæ urbem munitiſſimam, & ubi commeatus haud facile invenire poſſet, caſtra metatus, cum diu tenuiſſet obſidionem, tandem cum dedecore ab eo loco recedere compulſus eſt. Nec diſſimili modo Damaſcenam expugnationem reliquit. Fuit tamen ejus adventus in Aſiam non inutilis. Siquidem Balduino Hieroſolymorum quarto Regi, magnarum Conradi copiarum & ingentis ejus virtutis fama, ut animum auxit, ita hoſtibus audaciam minuit. Cepit enim Balduinus Aſcalonam, diutina obſidione vexatam: Turchorum, qui Iericontinos opprimebant, quinque millia trucidavit, datis in fugam reliquis: Noradinum Damaſcenorum Ducem, qui Hieroſolymorum fines ingreſſus vaſtabat agros, armis adorſus profligavit, & uſque in Damaſci portas fugientem conſectatus, extremos quoſque trucidavit.

Verum Conrado neque animus ad res bene gerendas, neque rei militaris peritia defuit. Sed arcana Dei judicia, quorum cauſas nulli mortalium pertingere licet, inglorium eum ex Aſia remiſere. Qui cum navigaſſet in Achaiam, nonnullos ibi dies, cum Manuele Græcorum Imperatore & affine ſuo, ad refovendos milites, commoratus, Fridericum, qui res Germaniæ procuraret, ante ſe miſit. Quem paulo poſt ſecutus, dum Regni negotia diſponit, ac de tranſitu in Italiam pro corona ſuſcipienda, vocatis apud Bambergam Principibus, agit; non ſine opinione ſuſcepti veneni naturæ ſatisfecit. Cujus cadaver, cum amici, ultimam ejus voluntatem ſequentes, ad Laureacenſe monaſterium juxta patrem ſepeliendum deferre vellent; Bambergenſis Eccleſia id probri ducens, impedivit; & apud Henricum ſecundum, qui circa idem tempus auctoritate Romanæ ſedis inter ſanctos relatus eſt, ei ſepulchrum decrevit. Secutus eſt autem mortem Conradi publicus mœror, qui etſi bellicis rebus parum proſpere uſus eſt, in reliquo tamen regimine modeſte juſteque ſeſe gerens, non ſubditorum modo Procerum ſed Regum ſibi animos attraxerat. Ipſe quoque Pontifex Eugenius Conradum miro amore colebat: quem ubi ex Aſia rediſſe comperit, veritus ne ſiniſtra fortuna uſus magnanimus Princeps mœſtitiæ ſucumberet, conſolationis in hunc modum literas ad eum reddit: *Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Conrado Dei gratia Romanorum Regi illuſtri ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quæ promittit hic mundus, mutabilitati corruptionique omnia ſubjacent; nihil certum in terra conſequi poſſumus. Non eſt igitur, cur vel proſperis rebus elevemur, vel frangamur adverſis. Sed cum premimur, cum angimur, tum potiſſime de miſeratione divina confidendum eſt. quia Dei & hominum mediator Chriſtus Jeſus, mirabili diſpenſatione uſus, tan-*

*tanto quem certius ad æterna & immutabilia bona hominem invitat, quanto crebrioribus eum cædit flagellis. Quod nobis & tibi, fili cariſſime, uſu eveniſſe non dubitamus. Nam quamvis tuis in Aſia conatibus dextra Dei non affuit, quæ Barbaros tibi ſubjiceret; neque nobis id datum eſt, ut te victorem ex Oriente redeuntem, in Baſilica Sancti Petri Apoſtolorum Principis coronantes, ſperati tecum triumphi participes eſſe poſſemus: non tamen tua pia voluntas, neque noſtrum laudabile deſiderium, ſuo præmio fraudabitur.* Et cætera in hunc modum plura, quibus conſtat ſummo Pontifici Conradum Imperatorem carum acceptumque fuiſſe.

Is cum ſuprema ordinaret, Friderico nepoti Cæſarea ornamenta relinquens, filium ſuum ſimili nomine Fridericum, qui unicus ei ſuperſtes erat, ſummis precibus commendavit, haud ignarus quia ſumma rerum ad nepotem devolveretur. Nec diu poſt, concilium Regni Theotonici apud Francofordiam habitum eſt, in quo de ſucceſſione Conradi cum ageretur, incredibili concordia electio celebrata eſt. Duæ per idem tempus familiæ fuerunt apud Germanos, genere opibus & potentia clariſſimæ; Altera Henricorum de Ghibelinga; altera Guelforum de antiqua villa. Hæc maximos Duces, illa Reges atque Imperatores genuit. Hæc Romanam Eccleſiam in magnis ſæpe calamitatibus juvit; illa imperium pene collapſum magnifice reparavit. Hanc Bajoaria Saxoniaque veluti ſuum decus venerata eſt: Illi Suevia & Franconia indelebili amore juncta fuit. Utrique tamen Svevia fuit origo: Utraque bellicis artibus claritudinem comparavit. Utraque liberalitatis opinione nomen adepta eſt. At cum potentia genuſque pene par utriuſque familiæ videretur, æqualitas ipſa, inter viros magnos & gloriæ avidos, æmulationem haud modicam, contentiones, & odia, & aperta demum bella peperit, quibus omnis Germania quaſſaretur. Cumque Optimates Regulique Theotoniæ, alii hanc, alii illam gentem ſectarentur, in duas partes omnis Alamania ſciſſa eſt; quarum altera Ghibelingorum vocata eſt, ex nomine loci, unde ortum habuit Henricorum genus; alteri Guelfæ nomen fuit; non ex loco originis (nam is antiqua villa, ut diximus, nomen obtinuit) ſed quoniam plerumque Guelfones appellati ſunt, qui ejus gentis Principatum tenuere, quorum creditus eſt Guelfo, qui adverſus Henricum Imperatorem ejus nominis quartum, hoſtem Eccleſiæ declaratum, gerens bellum, Friſingam in Bajoaria, & Auguſtam in Vindelicis, præclaras urbes, ſolo æquavit. Facta ſunt autem inter has familias per plurimos annos ingenti contentione bella; multiſque calamitatibus afflicta Germania eſt, dum alteram gentem altera conatur opprimere. Quotiens vero invicem contrarias acies occurrere accidit, manuſque conſerere; in ipſo pugnæ initio, hi Guelfos, illi Gebelingos ſeſe vocitantes, ac more militum cohortantes, prælium commiſere. Hinc illa peſtifera & execrabilia *Guelforum & Gebelingorum* nomina ortum habent; quibus infelix Italia, in ætatem uſque noſtram, crudelibus laceratur modis. Nam cum Henrici Fridericique cum exercitibus ſæpenu-

mero Italiam intraſſent, & aliquando ſuſcepto bello, quæ cupiebant, perficere non potuiſſent, omnes qui vel Eccleſiæ Romanæ cauſa, vel alia ratione eorum ſeſe conatibus oppoſuerunt, ab his, cum quibus in Germania diſſidebant, Guelfos appellavere. Qui vero ſua ſigna ſecuti in fide manſerunt, Ghibelingos, quaſi ejuſdem cum eis patriæ conſortes nominavere. Sequens ætas decurtato, ut fit, vocabulo Ghilinos dixit. Quæ inſania etſi univerſas quodammodo Italiæ Civitates infecerit, magniſque calamitatibus afflictaverit, præcipue tamen Longobardos & in eis Brixianos Bergamenſeſque conturbavit. Apud quos plurimum intereſt; quomodo veſtiaris, quo colore utaris, quem digitum, pollicem, an indicem, affirmaturus quippiam erigas; quibus veſcaris fructibus, &, quod ſingulare deliramentum eſt, ovum quo pacto edas, quo ſcindas allium modo. Conſtat, ſæpe hoſpites violatos, qui Guelfos aut Gibelinos adeuntes, aliter quam illis uſus eſſet, allium ſcindere vel cepe ſunt viſi. Tantus quoque furor hujuſce viroſæ peſtis fuit, ut nec filius Patri, nec Pater filio pepercerit, quotiens pars parti inſidiata eſt. Armavit inter ſe fratres hæc veſania, & ſæpe mulierum prægnantium uteros aperuit enſe, ut alterius partis ſobolem prius extingueret, quam naſceretur.

At Germani, quos par dementia diutius conquaſſaverat, apud Francofordiam, ut diximus, electionem Imperatoris celebrantes, id potiſſime curaverunt, ut ei rempublicam committerent, qui Guelfonum Gibelinorumque ſanguine prognatus pacem Germaniæ daret. Poſthabito igitur Friderico Conradi filio, quoniam puer erat, alter Fridericus nepos, ſumma omnium concordia & alacritate Imperator deſignatus eſt; cui Fridericus pater Henricorum, mater ex gente Guelforum fuit Juditha, ut ante relatum eſt. Hic eſt Fridericus, primus hujus nominis Imperator, cognomento Barbaruſſa, vir ſuo tempore omnium, qui arma induerint, clariſſimus, & qui ſuis in Imperio præceſſoribus vel præſtantiſſimis, haud injuria videatur æquandus; ſive animi dotes, ſive corporis ornamenta metiaris. vna duntaxat culpa notatus, quod Eccleſiæ Romanæ matri ſuæ parum auſcultavit. Reſipuit tamen, ut infra ſubjiciemus, & Chriſtiani more Principis Eccleſiæ collum ſubmiſit. Hujus res geſtas, non referre quidem ſed indicare, hoc loco propoſitum eſt. Nam tanti Imperatoris vel belli vel pacis egregia facinora, ſi quis ſcribere inſtituerit, ingens volumen impleverit. Hunc electum Arnoldus Colonienſis Antiſtes Aquiſgrani pro vetuſta obſervatione coronavit. Ad quam ſolennitatem Germaniæ Galliæque potentiſſimi quique Principes convenere. Quo in loco futuræ primum ſeveritatis ejus rigor apparuit: qui proſtrato ante pedes viro cuidam nobili, ac per celebritatem diei coronationiſque pœnam ſibi remitti petenti, quam Fridericus ei ob crimen prius inflixerat; Ego te, inquit, non odii cauſa ſed amore Juſtitiæ condemnavi: quod ſi, antequam coronarer, juſti tenax fui, ſtultus eſt, qui me nunc juſtitiæ partes neglecturum putat; quando eam dignitatem ſum conſecutus, cujus præcipuum munus eſt jus ſuum cuique tri-

tribuere. Hominemque prorſus amoveri juſſit, &pœnam dare: quamvis illius preces quam plurimi adjuvare niterentur. In Trajecto deinde Friſiæ Civitate Hermannum Epiſcopum confirmavit, grandi pecunia multatis, qui reſiſtebant, civibus. In Martinopoli Saxonum urbe, Petrum, Guidonem & Valdamarum de Regno Danorum contendentes compoſuit: Guidoni & Valdamaro quibusdam Provinciis aſſignatis; Petro, qui natione Svevus eſſet, & vaſallum ſeſe Regni Romani affirmaret, Regni titulo & honore ſervato. In Eccleſia Magdeburgenſi, quam Virginipolitanam vocare poſſumus, defuncto Præſule, duobus in diſcordia electis, tertium Pontificem introduxit Guithmannum, genere illuſtrem, ſed Eccleſiæ obligatum. Unde primum, inter Eugenium tertium Romanum Pontificem & ipſum, gravis diſſenſio nata eſt. Et quanquam Eugenium jurejurando affirmaſſe proditum ſit, nunquam ſe Guithmanno daturum pallium, qui relicta Cicenſi Eccleſia injuſſu Romani Præſulis ad Magdeburgenſem migraverit; Anaſtaſius tamen Succeſſor ejus, quæ fecerat Imperator, confirmavit. Quæ res quantum Imperatori auctoritatis addidit, tantum dignitatis Apoſtolicæ ſedi detraxit. Nam quo pertinacius pugnant homines, eo victi gravius pœnas luunt. In eo tamen Eccleſiæ Fridericus paruit, quod uxorem ſanguine junctam, quamvis amatam, a ſe divelli paſſus eſt.

Poſthæc per Brixinonem, quæ modo Brixina vocatur, & Tridentum, in Italiam cum copiis penetravit. In agro Veronenſi apud lacum Benacum caſtra metatus, exactis per capita militum nummis, non parvam pecuniæ ſummam Epiſcopo Tridentino & Brixinenſi miſit, in eas Eccleſias diſtribuendam, quas neceſſitate compulſi milites inter tranſeundum expilaſſent: pie ſcilicet ac religioſe cogitans, haudquaquam illi fauturum Deum, qui ſacris locis intuliſſet injurias. Expiato ſacrilegio, in campo Ronchaliæ ad fluminis Padi ripam, caſtra poſuit: Scutumque regium, pro vetere conſuetudine, in alta ſuſpendit arbore. Quo facto, eis feuda ſunt adempta, qui vocati ad comitatum, domi remanſerunt. Inter quos Hartvicus Bremenſis & Uldaricus Halberſtadenſis Epiſcopi regalia perdiderunt; Eccleſiis, apud alios, qui ſequerentur, præſules, ſuo jure ſervato. Ibi & Genuenſium dona ſuſcepit: Leones inuſitatos, ſtruthiones, & animalia pleraque noſtro incognita cœlo; quæ illi ex Almaria & Ulyſſipona Civitatibus, per idem tempus e manu Saracenorum ereptis, & in Chriſtianorum poteſtatem redactis, attulerant. Ad eundem locum Legationes omnium ferme Civitatum Italiæ convenere, & nonnulli Principes, quorum nobiliſſimus fuit Guilhelmus Marchio Montisferrati: qui ſolus quodammodo regulorum, evadere minas civitatum potuerat. Quibus auditis, in Mediolanenſes duxit exercitum: qui neque abdicatis de more veteribus magiſtratibus, novos ab Imperatore flagitarent: neque tranſeunti ſibi cum copiis rerum neceſſariarum forum fecerant; neque Cumanis Laudenſibuſque, ut erant juſſi, damna reſarciverant. Ingreſſus agrum, caſtella & opida non pauca vi capta diru-

rupit atque incendit. Inter quæ Roſatum quingentis militibus defenſum, primo impetu expugnatum ſolo æquavit, duces hoſtium acie victos in urbem fugere compulit, pontes ſuper Ticinum fluvium ab hoſte munitos forti manu captos, transmiſſo milite, igne combuſſit. In agro Novarienſi Mummam, Gailardam, Tricamque, munitiſſima loca, armis recepta delevit. Apud Thaurinum ſuperato Pado, in Aſtenſes Cherienſesque duxit, qui Guilhelmo Marchioni Montisferrati moleſti fuerant. Sed Civitates vacuas inveniens, quod illi ſuis diffiſi viribus ad montana confugiſſent, incendio cuncta vaſtavit. Terdonam, quæ cum Mediolanenſibus ſenſerat, pluribus diebus arctiſſima obſidione vexatam, tradentibus ſeſe opidanis, in poteſtatem acceptam diripuit atque incendit, captivis, præter vitam & quibus tegerentur indumenta, nihil reliquit. In urbe Ticinenſi, Regni Longobardorum coronam, Italorum in Modoetia, paulo poſt ſolemnia Dominicæ Reſurrectionis, accepit. Tuſciam profectus Piſanos contra Guilhelmum Siciliæ Tyrannum claſſem armare juſſit. Romam petens in Sutrinis Pontificem maximum obvium habuit. Quocum veneranter excepto ad urbem properans, Legatos Romanorum, qui inter equitandum occurrerunt, Senatoriæ poteſtatis confirmationem petentes, vacuos ſpretoſque remiſit. In Baſilica Sancti Petri quartodecimo Kal. Julii regni ſui anno quarto, ab eodem Romano Præſule, honore ingenti coronatus eſt. Cum Romanis eadem die ad molem Adriani pugna conſerta; mille eorum trucidatis, captis ſexcentis, reliquis in fugam actis, Chriſti vicarium ſacrumque Cardinalium ordinem populari periculo liberavit. Negantibus Romanis commeatum, ad montem cui Soracte nomen eſt, inſigne Silveſtri latebra, transmiſſo Tiberi per Sabinos in Latium migravit; occupatis circum vicinis opidis, nihil Romanis extra mœnia reliqui fecit. In Spoletanos, qui Comitem Guidonem, cognomine Guerram, inter Etruſcos Proceres nobiliſſimum, ex Apulia redeuntem Cæſarea Legatione functum, interceperant, nec juſſi dimiſerant, arma convertit, eosque audaci mente ad pugnam egreſſos, audaciori animo ferociorique manu victos, dare terga coegit; inſecutusque fugientes, cum illis pariter urbem ingreſſus, per vicos plateasque horribili cæde peracta, intra horas circiter duas & prælio vicit & direptam civitatem incendio abſumpſit. In Apulia plurima opida per legatos in deditionem accepit, omnemque illam Italiæ oram, quam priſci *magnam* dixere *Græciam*, icto fœdere cum Manuele Imperatore Conſtantinopolitano, procul dubio ſubegiſſet; niſi rogatus a ſociis Theutonibus, æſtum Italiæ impatienter ferentibus, Germaniam verſus flexiſſet iter. In agro Veronenſi quingentos Latrones, qui ex altiſſimis rupibus ſaxa jaculaque mittentes tranſitum præcludebant, ſummo labore & arte interceptos laqueo ſuſpendit.

Invenio in hac Friderici expeditione hos Principes illi fuiſſe comites: Peregrinum Patriarcham Aquilegienſem, Eberhardum Epiſcopum Bambergenſem, Conradum, ipſius Im-

Imperatoris germanum, Ottonem Comitem Palatinum: Bertholffum Burgundionum, & Henricum Carinthianorum Duces; nec non Odoacrum Stiriæ Marchionem. Verum ex Italia multæ illi vires acceſſere eorum Principum, qui partes Imperii tutabantur; quorum præſtantiſſimum fuiſſe conſtat Wilhelmum Montisferrati Marchionem; inter Civitates, omnium fideliſſimi Papienſes habiti. Glorioſus vero in Germaniam Friderici reditus fuit, quem fama rerum geſtarum clara admirabilisque præceſſerat. Ea, magnos illi occurrere Principes compulit: inter quos excellentiſſimi fuerunt, Labeslaus Bohemiæ Dux; Albertus Marchio Saxoniæ, & Henricus Comes Palatinus Rheni, qui ad ipſas alpium radices redeuntem Imperatorem ſalutavere; haud ſatis diſcernentes, viri virtus commendata an fœlicitas magis admiranda fuerit, qui tanta octo circiter menſibus peregerit, eas vincens gentes, quæ omnes olim vicerint. In Bajoariam profectus, lites, ut ante diximus, Henricorum compoſuit. Apud Herbipolim cum Beatrice Rainaldi Burgundiæ Comitis filia, quæ unica ex ſanguine Burgundionum Regum virgo ſupererat, matrimonium contraxit; Burgundiamque exinde & Arelatenſem Provinciam dotales accepit: cum vetus illarum provinciarum mos eſſet, deficientibus maſculis ad fœminas dominatum pertinere. In Colonienſi Eccleſia diſcordes ſuper Pontificis electione Canonicos, in concordiam reduxit. Fridericum Adolfi Comitis filium, traditis ei regalibus, ad Romanum Pontificem, conſecrationis cauſa dimiſit.

A Quieſcentibus Germaniæ rebus, Albim atque Oderam & Viſcellam fluvios prætergreſſus, in agro Sarmatarum, Polonos, Pomeranos, Ruthenosque, ſolo adventus ſui nomine fugam arripere compulit; Regionem uſque Poſnaniam longe lateque populatus, Boleslaum Caſimirumque Fratres, qui alterum Boleslaum natu majorem Regno pepulerant, ſupplices & ad genua ſua proſtratos petere pacem compulit; tributum eis, quod jam pridem præſtare deſierant, quingentarum quotannis auri marcharum, & in expeditionem Mediolanenſium auxilia, imperavit; de lite fraterna judicium ſibi retinuit: juramenta fidelitatis, & ad eas res juſtos accepit obſides; inter quos juniorem fratrem Caſimirum. Ad Herbipolim reverſus, Legatos Imperatoris Conſtantinopolitani obvios habuit, matrimonium regiæ virginis, ſibi jam obligatæ, offerentes. Quibus inſtantibus, Fridericum Conradi filium nepotem ſuum, Sueviæ Ducem, equeſtri baltheo more patrio cinxit; Amita juvenis Imperatrice Græcorum id poſtulante. Henrici Anglorum Regis Legatos audivit, purpureum tentorium incredibilis amplitudinis auro gemmiſque contextum dono ferentes. In Bizontio, Burgundionum metropoli, duos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Adriani maximi Præſulis Oratores; Romanorum, Apulorum, Thuſcorum, Venetorum, Hiſpanorumque Legationes, ſe expectantes invenit. A Stephano Viennenſi Archiepiſcopo, Regni Burgundiæ Cancellario, Heraclio Archiepiſcopo & Primate Lugdunenſi, Odone Valentino, Gamfredo Avinionenſi Epiſcopis, Silvione Principe Clarienſi

ju-

juramentum fidelitatis exegit. Ab Arelatenſi metropolitano, & aliis Provinciæ Prælatis ac regulis, qui adventare illuc nequiverant, per literas & nuntios hominium ſuſcepit, pauciſque diebus univerſam provinciam in poteſtatem redegit. In Saxoniam profectus, novos, qui exoriri videbantur, motus compreſſit. In Bojariam tranſiens, apud Ratiſponam Labeslaum Bohemiæ Ducem, quod in bello Polonico egregia ſuæ virtutis experimenta præbuiſſet, & in Mediolanenſes iturum ſe promiſiſſet, Regio diademate honeſtavit. Tumque primum Bohemia Regibus parere cœpit; lapſis poſt Chriſti Salvatoris ortum mille centum & quinquaginta tribus annis. Henricum Auſtriæ Ducem, qui Ottoni Friſingenſi Epiſcopo moleſtus erat, Eccleſiæque non parva occupaverat prædia, reconciliavit; & ablata reſtituere juſſit. Apud Auguſtam ſupra Lichum fluvium, dum copias in Italiam traducendas inſtruit, rurſus Adriani Legatos primæ ſedis Cardinales audivit: Henricumque Danorum Regem electum, recepto per procuratorem hominii juramento, confirmavit. Ut iter in Italiam felix fauſtumque Deus daret, dona Eccleſiis ac Monaſteriis ampliſſima dedit, ſacraque divinæ Majeſtati magnifica peregit. Henricos Auſtriæ & Carentanæ Duces, & Sagittarios Vngaros, Stirienſesque manus, per montes Carnorum, & viam, cui canale nomen eſt, in forum Julii deſcendere juſſit. Bertholdo Duci Burgundiæ, Lotharingiis quoque, & qui ex occidentali Francia auxilia venerant, montem Jovis ſuperandum imperavit. Helvetiis, Ripariolis Rhenaniſque, per Clavennam & lacum Comanum iter oſtendit, ipſe per Tridentinum & Veronenſem agrum viam fecit. In comitatu ſuo Bolislaum Regem Bohemiæ, Fridericum Ducem Sueviæ Conradi Cæſaris filium, Conradum Comitem Palatinum Rheni, Germanum ſuum, Fridericum Colonienſem, Arnoldum Maguntinum, Hellinum Trevirenſem, Archiepiſcopos; Gerardum Eyſtetenſem, Danielem Pragenſem, Hermannum Verdenſem, & Gerhardum Herbipolenſem, Epiſcopos; multos præterea Regalium monaſteriorum Abbates, Marchiones, Comites, Optimates ex Germanis in Italiam duxit. Occurrentes ex Italia Proceres, & arma jungentes, & cum his Conradum Dalmatiæ Ducem, de quo ſupra meminimus, auxilia non parva ferentem, benigne complexus eſt. Primos Italorum ſeſe opponentes Brixianos, manu Bohemorum expugnavit; magnoque auri pondere mulctavit. In Mediolanenſes, qui Terdonam reædificaverant, imperataque omnia contempſerant, indignabundus duxit: equites mille, ripam Abduæ cuſtodientes, tranato fluvio vertit in fugam. Caſtellum Tritium natura & humana ope munitiſſimum, in deditionem accepit. Mediolanum ipſam, cujus ambitus ea tempeſtate haud minus centum ſtadiis fuiſſe memoratur, VIII. Kal. Auguſti centum millibus armatorum obſedit: prælia pro mœnibus urbis quamplurima feliciter geſſit: contritumque tandem ferro & fame populum VI. Idus Septembris deditionem facere compulit. Memorabilis illo ævo viſa eſt Mediolanenſium oppugnatio, & tantæ urbis deditio, quam vix menſem ac dimidium obſidionis mala ferentem, Theotonicus

nicus furor obtinuit. Ob quam rem: non erit, ut noſtra fert opinio, vanum, leges hoc loco recenſere, quibus Mediolanenſes ſeſe dedidere. Quæ hujuſcemodi fuerunt. *Quicunque intra ſeptuageſimum & decimum quartum annum ex Mediolanenſibus agunt vitam, in verba Friderici veri Domini jurent. Palatium eidem in media urbe amplum ac magnificum conſtruant. Ob rebellionem novem milla marcharum argenti puri, intra menſes quatuor, imperiali fiſco diſſolvant. Comum Laudamque rurſus ædificari ſinant, libertateque frui permittant. Conſulibus, qui urbi præſunt, ad Kal. uſque Februarias Imperatoria manſuetudine prorogatum gerant Magiſtratum: Exinde Succeſſores populus eligat, Imperator confirmet: Deſignati Conſules novi fidelitatem jurejurando Imperatori promittant: Si fuerit Imperator in Italia, media pars Conſulum ad eum ſe conferat, ac ſuo & alterius partis nomine juret; ſin alibi agat, duo tantum ad eum proficiſcentes id juramenti ſubeant. Legati Imperatoris, ſi quando Mediolanum petierint, in Palatio Cæſareo recipiantur; ibique placita ad ſe delata diffiniant. Papienſes, Cremenſes, Novarienſes, Comanos, Laudenſes, Verzelenſes, qui capti apud Mediolanenſes, hac lege in manum Regis Bohemiæ tradantur, ut ſi pax Mediolanenſibus, Cremonenſibus, & Inſulanis, intra præſcriptam diem cum civitatibus eorum conveniat, liberi ſint; alioquin in priſtinam capitivitatem redeant. Reliqui captivi, utrinque relaxentur. Mediolanenſes deinceps monetam ne cudant, pedagia, telonia, portoriaque ne exigant; quin hæc & alia, quæ vocant regalia, Imperatori dimittant: qui ea occuparit, mediolanenſes in eum vindictam ſtatuant. Ob pecuniam ſolvendam erigendumque palatium, trecentos obſides Imperatori tradant, quorum non amplius quinquaginta in Alemaniam educi queant, alii in Italia ſerventur: Rex Bohemiæ & tres cum eo Principes manus dent, ſatisfacientibus promiſſo Mediolanenſibus bona fide reddendos. Fridericus Imperator, acceptis obſidibus, tertia die obſidionem ſolvet.* Quibus conditionibus publica fide hinc atque inde firmatis, ad VI. Idus Septembris Clerus Vrbis & Pontifex maximus, humili habitu, prælatis Sanctorum imaginibus ac reliquiis, in quibus plurimum confidebant; tum Conſules & Primores Civium, pullis veſtibus ac nudis pedibus, exertos ſupra cervicem gladios ferentes; poſtremo ingens populi turba, flens & pectora tundens, ad Imperatorem in caſtra venere. Quibus in tribunali proſtratis, miſericordiamque ſupplici voce precantibus, Fridericus, non tam prælio quam obſequio ſe vinci poſſe, præfatus, hortatuſque, ut poſthac rebellionis contumaciam fidelitatis obedientia compenſare contendant, veniam præbuit. Hac pace firmata, impetratis etiam atque obtentis per reliquas urbes obſidibus, partem exercitus in Alemaniam remiſit, rurſuſque Ronchalias petens, bina caſtra Germanorum Italorumque, ad ripas fluminis Padi, ultra citraque fixit, eaque ponte conjunxit. In quibus præter ſeculares Principes, ex ultramontanis, XII. Epiſcopi, ex citramontanis, Cardinalis unus Guido Cremenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, Patriarcha unus Peregrinus Aquilegienſis, ac unus & viginti Epiſcopi. In eo Conventu, Fridericus promulgatis ex communi conſenſu legibus

gibus jura Feudorum declaravit ampliavitque: pœnas in eos decrevit, qui pacem violarent: binos Judices per ſingulas diœceſes conſtituit: jura fiſci admodum multa vindicavit. Placentinos, qui Cremenſibus injurii fuiſſent, turres dejicere, foſſaſque circa mœnia noviſſime factas humo complere juſſit. Ad quas res judicandas ſanciendasque quatuor ex Bononienſi ſchola Juris Interpretes accerſivit, doctrina famaque inſignes, Jacobum, *Martinum*, Hugonem, & qui nomen ad noſtrum quoque tempus tranſmiſit, Bulgarum.

Dimiſſo Conventu, in Genuenſes, qui Corſicam, atque Sardunam nobiles Inſulas ad Imperii devotionem redire volentes, malis artibus avertiſſent, arma promovit, brevique ſuperatis Apennini jugis, petere pacem coegit; quam non niſi depoſito muro, quem noviter erexerunt, & auri pondere mulctatis non parvo, conceſſit. In hibernis, apud Albam Liguriæ urbem, ab Legatis Imperatoris Conſtantinoplitani, itemque Regis Vngariæ, & duorum inter ſe contendentium Ludouici Franciæ & Henrici Angliæ Regum, haud indigna tanto Principe dona ſuſcepit. Ea enim Friderici exiſtimatio fuit, ut quocumque diverteret, potentiſſimorum Regum populorumque legationes eum quærerent. Rebellarunt per idem tempus Mediolanenſes; qui miſſos ad reformandum urbis ſtatum Imperatoris Oratores, tumultuante populo violarunt, probroſa in eos verba ſaxaque jacientes. Ob quam rem profectus in agrum Bononienſem Fridericus, eos tertio citatos, neque ſatisfacientes, hoſtes Imperii declaravit; bona ipſorum direptioni, corpora ſervituti adjudicans. In quo judicio conſederunt ei, præter Duces & Principes ſeculares, ac Romanorum multarumque Civitatum Legatos, Eccleſiaſtici viri: ex Germania, Bombergenſis, Friſingenſis, Verdenſis, Aiſtetenſis, & Pragenſis; ex Italia, Papienſis, Verzelenſis, Aſtenſis, Ferdonenſis, Placentinus, Cremonenſis & Novarienſis Eccleſiarum pontifices. Sciens autem Imperator, quantam belli molem aggreſſurus eſſet (nam Mediolanenſibus multæ Civitates auxilio erant) Conjugem novas in Germania militum delectus habere, & ad ſe in Italiam properare juſſit: in agrumque mox Mediolanenſem trajiciens, quadraginta diebus in eo populationes egit; caſtella omnia, duobus demptis, Mediolanenſibus ademit; egreſſos ad pugnam conflixit. In Cremenſes, qui Mediolanenſium arma juvabant, exercitum agens, Opidum illud non minoribus copiis quam prius Mediolanum obſedit; duriſſima pro muris & attrociſſima bella confecit; urbemque demum diutina oppugnatione fatigatam in poteſtatem obtinuit; miſeris civibus, præter corpora & quæ ſuis ferre humeris poſſent, nil reliqui faciens; opidum incendio abſumpſit, XX. milibus hominum in exilium actis. Quartum in Mediolanenſes profectus, egreſſis ad pugnam civibus, ſexcentos ex eis intercepit; centum & quinquaginta ferro extinxit: in paludes, quæ proximæ fuerunt, complures demerſit. Terdonam rurſus ædificatam, & Mediolanenſium arma ſequentem, ſecundo adorſus eave potitus diripuit. Poſtremo cum Mediolanum ſua fata manerent, omnes in eam urbem vires eduxit. Quam licet populo innumerabili defenſam, & multarum civi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vitatum auxilliis adjutam, armis tamen captam atque direptam funditus evertit: ejuſque populum in ſex portarum tribus diviſum, ſex agri ſui loca, ab eo ſolo, ubi prius urbs fuit, decimo diſtantia millario, habitare coegit. Eamque pejeratæ fidei pœnam contumax populus dedit. Nec Veronenſes, Patavinique, ac Vicentini, qui auctore Senatu Veneto ab Imperatore defecerant, ultionem perjurii effugiſſent; niſi novi quidam motus Fridericum in Germaniam revocaſſent. Sapuerunt autem Veronenſes, qui ei cum maximis copiis ex Alemania redeunti; adjunctis ſibi Brixianis & Cremonenſibus, occurrentes, adulati veniam meruere. Ipſe miſſa in Etruria parte militum, in agrum Picenum tranſivit, Anconamque eo tempore Græcis parentes damnis haud mediocribus affecit. In agro Romano multis illatis cladibus, cum peſte laboraret exercitus, in Germaniam ſeſe recepit. Nec diu moratus, per montem Caniſium rediens, Secuſam imperata facere recuſantem, impetu captam diripuit, incendioque conſumpſit. Haſtam timore perteritam, dedentibus ſe civibus, in poteſtatem arripuit. Alexandriam infeſtis adorſus ſignis, quatuor menſibus arctiſſima obſidione preſſit. Venetis pacem petentibus dedit. Cum civitas Mediolanenſis in odium & contemptum ejus iterum muris cincta fuiſſet, armaque ſimul junxiſſent Mediolanenſes, Veronenſes, Brixienſes, Novarienſes, Verzelenſes, ubi ab Barilianum ultimo cum eis pugnatum eſt; nunc ducis nunc militis officio functus, eam hoſtium ſtragem edidit, cui parem raro alium Imperatorem feciſſe, memoriæ proditum eſt. Nam cum periclitanti ſignifero ferret opem, totumque prælii pondus in ſe convertiſſet, unus adverſus plurimos ſtetiſſet; & modo iſtum modo illum confodiens ſternenſque & cædem incredibilem faciens, cum viri virtus ſuperari nequiret, equus ſub eo confoſſus eſt; neque tamen eo modo vel occidi potuit; ſed inſtaurans pedes pugnam, inter cadavera, quæ ipſe ſtraverat dextra levaque complurima, hoſtiles manus evaſit, Mediolanenſibus tamen victoriam reliquit, cum equo lapſus occubuiſſe crederetur.

Memoria hæc & digna laude, quæ de Friderico hactenus relata ſunt. Illa indigna tanto Imperatore, & odio proſequenda, quæ ſubjiciemus. Adjuverunt eum Bizuntii, morantem Rolandus tit. Sancti Marci, & Bernardus tit. S. Clementis Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ ſedis legati, de captura Lundenſis Archiepiſcopi querelam facientes. Illum enim a Romana ſede dimiſſum, cum domum repeteret, in Theotonia quidam Nobiles interceperant, vinctumque jam pridem obſervaverant, nec vindicaverat in eos Imperator. Quod cum acepiſſet Adrianus Pontifex, Legatoſque miſiſſet, inter cætera, quæ ſcripſit Imperatori, hæc interpoſuit verba: *Debes enim, glorioſiſſime fili, ante oculos reducere, quam gratanter, quamque jucunde ſuperiori anno mater tua Sacroſancta Romana Eccleſia te ſuſceperit, quanta cordis affectione proſecuta ſit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit & honoris, & qualiter imperialis inſigne coronæ libentiſſime conferens, benigniſimo gremio ſuo tuæ ſublimitatis apicem ſtuduerit con-*

*fovere.* Quibus verbis; id rancidum, id amarum atque intolerabile viſum eſt, *quod Italicum Regnum atque ipſum Imperium ex donatione Pontificum Germani Cæſares tenere viderentur.* Rediit igitur e veſtigio in mentem, quod anno anteacto Romæ acciderat. In palatio Lateranenſi, imaginem Lotharii Cæſaris eximius pinxerat artifex. Ad cujus caput hujuſcemodi ſcriptura fuit: *Rex Theutoniæ cum venerit ante urbis fores, homo Pontificis jurejurando efficitur, Infulas exinde Cæſareas illo donante accipit.* Quam imaginem cum Amici Imperatoris indignabundi deleviſſent, idque moleſte plerique ferrent, Adrianus factum probauit; affirmans, *eam picturam ſcripturamque jure deletam, quum ſummis in orbe viris litium fomenta miniſtraret.* At cum epiſtola ejus idipſum, quod ante damnatum erat, continere videretur, Legati quoque conſtantiſſime aſſeverarent, Romanum Imperium in Germanos Apoſtolicæ ſedis auctotate translatum, Imperatorem autem ſummo Pontifici omnia debere, impatiens veri Fridericus, tum primum tyrannum induit, legatoſque non inhonoratos modo, verum etiam contumeliis affectos, abire juſſit; parumque abfuit, quin Palatinus Comes alterum illorum liberius loquentem exerto gladio obtruncaverit. Atque hoc initium diſcordiarum, inter Romanum Pontificem & ipſum Fridericum fuiſſe, comperio.

At cum iterum Fridericus in Italiam reverti ſtatuiſſet, ingenteſque copias jam comparaſſet, veritus Adrianus, ne tantus in ſe conatus prorueret, Henricum Sanctorum Nerei & Achillei Presbyterum, & Jacinctum Sanctæ Mariæ in Schola Græca Diaconum, Cardinales, qui eum placarent, in Germaniam properare juſſit. Illi Fridericum apud Lichum fluvium non longe ab Auguſta Vindelica in tentoriis offendentes, ad colloquium intromiſſi, hac præfatione uſi feruntur: *Adrianus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſul, Excellentiæ Tuæ devotiſſimus in Chriſto Pater, te ſalutat ſicut cariſſimum & ſpiritualem beati Petri filium. Salutant & tuam Serenitatem Venerabiles Fratres noſtri, Clerici tui, univerſi Cardinales, tanquam Dominum & Imperatorem urbis & orbis.* Noverant enim viri Sapientes, adverſus armatam potentiſſimi hoſtis ſuperbiam nihil tam validum eſſe, quam vultum humilitatis, ſpeciemque ſubmiſſionis præferre: neque arguendum eſſe, qui pro temporis varietate verbis utitur variis, & nunc extollit tituloſque præfert magnificos, nunc ſuam extenuans dignitatem ſermone præfatur abjecto. Ad quas artes Legati recurrentes, ab Imperatore gratanter auditi & liberaliter donati, ad urbem Romanumque Præſulem læti rediere.

Verum temporis exigui, ut Poeta inquit, manſit concordia diſcors. Inter ſupremas enim poteſtates, aut amicitia naſcitur nulla, aut nata difficile retinetur. Inimicitiæ igitur his de cauſis iterum Adrianum inter & Fridericum ortæ ſunt, quæ magno Italiæ malo regnum a Sacerdotio diviſere. Cogebat Imperator Epiſcopos & Abbates Italiæ, pro regalibus, quæ ab Imperio Eccleſiæ monaſteriaque tenebant, homagium ſibi præſtare; eoſque pariter cum cæteris ſeculi Principibus in expeditiones evo-

evocabat. Id ægre Adriano fuit, neque tolerabile viſum. Quam ob cauſam litteras querelis plenas ad Fridericum ſcripſit, qui tum apud Albam Ligurum hibernabat. Tabellarius autem qui Epiſtolam detulit, ea reddita repente diſparuit. Multa in eis ſcriptis fuere, quæ Friderici animum alioquin tumidum conturbarent. Poterat tamen hoc fortaſſe ſanari vulnus, niſi mox aliud nova inflixiſſet controverſia. Mortuo namque in obſidione Mediolanenſi Anshelmo Ravennate Archiepiſcopo, cum Clerus populusque Guidonem Guidonis, comitis Blanderatenſis filium, Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum, ſibi Pontificem elegiſſent, eumque Fridericus ſummopere ad regendam illam plebem poſtularet (nam Patrem ejus inter paucos amabat, qui ſibi Mediolanenſes conciliaverat) Adrianus id prorſus negavit. Quibus rebus commotus Fridericus, modeſtiæ leges prorſus abrupit; *multaque de ſummo Pontifice indigna relatu profatus*, vocato cancellario litteras admodum duras reſcribi Papæ mandavit, *in quibus ſuum nomen præferri Adrianique ſubnecti, & ſe numero plurali, illum vero ſingulari compellari præcepit.* Cujus erroris ea potiſſimum cauſa fuit, quod Imperatori ſuaſum eſſet, Mediolanenſes Adriani litteris ad defectionem ſolicitari. Neque hic res quievere. In agro Bononienſi cum ageret Imperator, ut dictum eſt, quatuor Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ad eum venere, Octavianus tit. Sanctæ Ceciliæ, Henricus Sanctorum Nerei & Achillei, Presbyteri, Wilhelmus Papienſis, & Guido Cremenſis, diaconi, quos in hanc ſententiam locutos ferunt: *Regalia urbis Romæ Pontifices decent; ab Epiſcopis* (1) *Italiæ hominium haud jure exigis: nuntios tuos in Palatiis Epiſcoporum indigne recipi jubes: Ferrariam, terramque Comitiſſæ Mathildis, & Ducatum Spoletanum, itemque Corſicæ atque Sardiniæ Inſulas, tributa, quæ Romanæ debentur Eccleſiæ, impie tibi pendere cogis. Hæc jubet Adrianus, uti corrigas: ſi ſecus feceris, ſenties, Apoſtolicam ſedem jus ſuum ac beati Petri minime neglexiſſe.* Ad hæc Fridericum hoc modo reſpondiſſe traditum invenio: *Si Romæ nihil eſt noſtri juris, miramur Pontificis veſtri ſapientiam, qui nos Romanorum regno donatos dicere ſolet. Epiſcoporum dominio non inviti carebimus, ſi & ipſi noſtris regalibus carere voluerint. In Palatiis eorum nuntios noſtros haud quaquam habitare ſinemus, ſi ea in ſolo noſtro conſtructa non fuerint. Quod ſi dicit Epiſcopo Romanus Præſul, quid tibi & Regi? dicemus & nos, quid tibi & poſſeſſioni? De tributis autem, quæ nos extorquere immerito dicitis, quin etiam de omni controverſia, quæ inter Nos Pontificemque vertitur, placet arbitrium ſubire; ſi modo Pontifex ipſe Cardinales ſex elegerit, qui cum ſex Epiſcopis a nobis nominatis, diſcordiæ noſtræ modum faciant.* Recuſavit Arbitrium Adrianus, qui Octaviani Cardinalis ſuſpectam haberet fidem, & potentiam ejus timeret. Fuiſſet tamen & huic morbo inventum forſitan remedium, niſi Adriano apud

(1) Ex cod. IV. fol. 29. pag. 1. lege hoc modo: *Regalia urbis Romæ cum Beati Petri ſint, neque te illic magiſtratus inſtituere, neque legatos eo mittere injuſſu Romani Pontificis decet; ab Epiſcopis &c.*

apud Anagniam defuncto, ejusque cadavere Romam delato atque sepulto, Electio successoribus discordiam peperisset. Etenim quamvis Rolandus tit. Sancti Marci Presbyter Cardinalis ex Sena Etrusca natus, doctrina & providentia juxta insignis, Cardinalium majoris partis sortitus electionem, Alexandrii III. nomen accepisset; Octavianus tamen ei sese objecit, qui a minori parte nominatus, mantum Apostolicum induit, Victorque dici voluit. Imperator autem ab utraque parte compellatus, non, quod erat officii sui, Alexandro rite assumpto astitit, sed Victoris potius partem secutus est. Cui assistere cum absque cleri consensu turpe duceret, concilium Episcoporum apud Papiam indixit; eoque contendentes de summo Pontificio accersivit: asserens, sibi id esse permissum, cum de supremo Ecclesiæ capite lis verteretur. Comparuit Octavianus, amicitia Imperatoris tumens. Alexander autem, qui se Pontificem verumque Christi vicarium esse duceret, suspectum subire judicium recusavit, neque enim occulta erant Octaviani & Friderici consilia; quibus jam in Adrianum ambo conspiraverant. In Papiensi ergo conventu, refutato Alexandro, Victor Romanæ Ecclesiæ Pontifex declaratus est, qui eo favore auctus, Alexandrum ex urbe pepulit. Ille vero, & Fridericum & Octavianum, apud Anagniam, excommunicationis gladio pupugit. Deinde in Galliam migravit ad Philippum Franciæ Regem, qui tyrannidem Imperatoris detestatus, extorrem Pontificem benigne suscepit. Fridericus autem nihil cunctatus, ipsum etiam Philippum in suam sententiam adorsus trahere, concilium in divisione habendum, ibique pacem Ecclesiæ dandam, suadere conatur. Veniensque ad diem dictam, Bohemiæ & Angliæ Reges, ipsumque Octavianum, abduxit. Philippus vero Alexandrum in Monasterio dimittens, cum Rege Scotiæ Divionem petit. Sed cum de pace Ecclesiæ non conveniisset, conventus frustra dimissus est. Octavianus in Italiam, Fridericus in Germaniam rediit. Nec, obeunte apud Pisas Octaviano, pertinaciam suam ferocemque illum rigorem Fridericus remisit. Qui Guidonem illi Cremensem suscitari, & Pascalem vocari jussit: cui & copias militum non parvas addidit, quarum auxilio partes Alexandri & in Etruria & Romæ magnis attritas cladibus fuisse constat; ipsumque Guidonem beati Petri Basilicam atque Palatium obtinuisse. Ubi morte præoccupatus, temeritatis & dementiæ suæ Successorem habuit Johannem Sirmiensem, Calixtum tertium appellatum. Nec priori vita, nec ea, quæ secuta est, laudabilem, in his versatum facinoribus, Fridericum comperimus. Quorum maximum & detestabilissimum illud est, quod de sciissura Ecclesiæ retulimus, & optimi Præsulis Alexandri persecutione. Est tamen quod factum leniat, auctoritas Prælatorum, qui eum in ea consilia traxere. Constat enim, in Papiensi Concilio Peregrinum Patriarcham Aquilegiensem, Arnoldum Maguntinum, Artuigum Bremensem, Rainaldum Coloniensem, Vithimannum Magdeburgensem Archiepiscopos, consedisse, simulque Ravennatem electum & alios circiter quinquaginta Episcopos. Ut

verum

verum illud haud infitiari liceat, quod ajunt, *nullum in Eccleſia excellens fieri malum, cujus origo a Sacerdotibus non prodierit.* Cæterum Fridericus, quanquam iniquo hæc, opinor, uſus conſilio perpetraverit; commendanda eſt tamen ejus converſio, & quæ ſecuta eſt deinceps vita: ut non ab re dicere poſſimus, quæ male operatus, alieno ſuaſu; quæ bene, ſuo ductus ingenio fecerit. Venit enim Venetias magnus Imperator tot Regnorum, tot Provinciarum Dominus, tot divitiarum Poſſeſſor, tot Gentium ductor, & profugi ex urbe Pontificis, oſculari pedes, erratique veniam petere, haudquaquam dedignatus eſt. Dicat fortaſſe aliquis, victum bello Mediolanenſi Fridericum, auxilio deſtitutum, animo fractum, neceſſitate compulſum, ad Pontificis miſericordiam confugiſſe. Fallitur in ea quidem ſententia, qui ita ſentit: neque enim ea mens Friderici fuit, quæ uno ſuccumbens prælio frangeretur. Incolumis Papiam ex pugna redierat: magnæ adhuc illi copiæ ſuperabant: adhuc Alemania, & Provincia Arelatenſis, & Burgundia, & quicquid Germani nominis eſſe creditur, ei parebat. In Italia quoque ob eam cladem nulla Civitas ab eo defecerat: poterat inſtaurare prælium, & fortior ad pugnam (1) reverſus acceptum contumeliæ reſarcire damnum. Sed animadvertit, non ſe cum mortalibus, ſed cum ipſo pugnare Deo, quem ſuperare non poſſet, cum Chriſti vicarium inſequeretur. Retraxit igitur ab injuſto bello pedem, ac Romano Pontifici reconciliatus, quantum demeruerat, Chriſtianorum effundendo ſanguinem; tantum mereri ſtatuit adverſus Chriſti hoſtes pugnaturus. Compoſitis in Italia rebus, pace Eccleſiæ data, in Germaniam rediens, ampliſſimum exercitum coegit: in Auſtriamque profectus undecimis caſtris per Vngariam Bulgariamque & Thraciam continuato itinere, apud Conſtantinopolim primum deſedit. Nec diu moratus, tranſacto Bosporo, Philomelum Turchorum urbem vi cepit. Iconium delatus, ejus agrum & adjacentem regionem magnis populationibus incendiiſque vaſtavit. Armeniam deinde minorem ingreſſus, quæ quondam Cilicia, nunc vero Caramania dicitur; omnia quæ adiit loca in ſuam compulit poteſtatem, tantumque rebus Chriſtianis fauorem, tantum Saracenis metum intulit, ut tunc primum timuiſſe ſuis rebus Saladinum Ægypti ac Syriæ dominum, memoriæ proditum ſit. Sed tantam Chriſtianorum ſpem infœlix hora ſuccidit. Nam rapidum Fridericus amnem dum ſudoris lauandi caumatiſque mitigandi cauſa temere & inexplorato ingreditur, tantorum exercituum Imperator enectus eſt: Henrico ac Philippo filiis poſt ſe relictis. Non tradunt auctores, quo in fluvio id acciderit. Fortaſſe id Cydnus fuit, qui necem Alexandro Macedoni præparatam ad Fridericum uſque ſervavit.

Fuit autem Fridericus Barbaroſſa, forma corporis decenti, ſtatura inter longiorem & mediocrem procera; flava cæſarie a vertice frontis paululum criſpa; auribus, ſuperjectis crinibus, plerumque opertis; venuſto naſo, illuſtribus oculis; barba, quæ cognomini conveniret, ſubruf-

(1) Hucuſque pertingit hæc narratio in cod. MS. Cæſ. IV. fol. 30. p. 2.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ruffa: labiis ſubtilibus corallo ſimilibus; dentibus albis & æqualibus; malis ad gratiam rubeſcentibus, facie læta & hilari; gutture colloque non obeſo, neque macro; humeris paululum prominentibus, lato pectore, ventre parvo, cruribus furiſque maſculis; voce clara, inceſſu gravi & conſtanti, geſtuque omni modeſto valetudine proſpera; febri, quam vocant ephemeram, tantum obnoxius: in conſilio perſpicax, in bello fortis, manuque promptus, & ad cavendas inſidias idoneus: vini, cibique, ac ſomni temperans: equorum domitor & amator: currere, ſaltare, jaculari, ſagittare egregie callens. Eccleſiam non ideo perſecutus eſt, quod religioni eſſet infenſus (quippe qui nullo non die rebus divinis interfuit, & qui deſpicientes Sacerdotium Longobardos honorare Pontifices & Sacerdotibus cedere docuit) ſed arbitratus eſt, Octavianum, Victorem appellatum, verum fuiſſe Pontificem: cui & Stratoris officium apud Papiam publice exhibuit. Rebellibus, & qui gravius deliquere, haud facile pepercit; propitius in fidem receptis; in adenndo facilis, in ſermone blandus; in donando liberalis, pecuniarum ſuarum decimas, eccleſiis monaſteriiſque quotannis diſtribuit. Veterum geſta Regum cupide lectitavit: in patria lingua admodum facundus, latinum ſermonem facile intellexit, difficile pronunciavit. Veſtitu uſus eſt minus ſumptuoſo; quam tantæ majeſtati convenire putarent; armorum quam veſtium ſplendorem dilexit: ædificandi cupidus ſacras ædes, palatiaque regalia, ſeu conſtruxit a fundamentis nova; ſeu vetuſta & jam collapſa reſtituit. Denique ea morum Friderici formæque majeſtas extitit, ut ab ignotis vel ſolus inter venandum repertus, Imperator, ſæpe judicatus appellatuſque ſit. Auctoritate autem tanta uſus eſt, ut Reges Hiſpaniæ, Franciæ, Angliæ, Vngariæ, Boheniæ, Daciæ, Scotiæ, quotiens Friderico ſcripſere, *penes eum imperandi poteſtatem, ſe penes obſequendi voluntatem eſſe*, profeſſi ſint. Manuel vero, qui ſe prius Romanorum Imperatorem appellabat, eo deflexus eſt Friderici monitis, ut deinceps novæ Romæ contentus titulo, Romanorum & regnum & imperium Germanico ſanguini & genti reliquerit. Atque tantum de Friderico primo commemoraſſe, ſat fuerit.

Nunc ad reliquos ejus familiæ Principes tranſeamus. Electores Imperii, ut primum Friderici obitum cognovere, filium ejus Henricum Sextum Imperatorem deſignavere. Quem in Italiam venientem, ea conditione Celeſtinus tertius Romanæ Pontifex Eccleſiæ confirmavit, ut regnum ipſe Siciliæ citra & ultra Pharum ſuo ſumptu recuperaret, & cenſum deinde Eccleſiæ pendens opida terramque omnem juris Eccleſiaſtici ſibi reſtitueret. Regno Siciliæ ea tempeſtate præſidebat Tancredus, origine Gallus, ex genere Guiſcardi Normandi, inſulamque potenti manu tenebat. Conſtantia vero Roggerio Rege nata, in monaſterio Panhormi clauſa detinebatur. Hanc Celeſtinus Pontifex aſtu ſurripi curavit, Henricoque tradi uxorem jam natu grandiorem, quam parere poſſe crederetur. Henricus, vt Pontifici maximo morem gereret, Tuſculanam urbem ei tradidit; & profectus cum ex-

exercitu Neapolim obſedit. Sed peſtilentia coactus, obſidionem diſſolvens, cum Conſtantia in Alemaniam rediit: filiumque ex ea præter ſpem omnium Fridericum ſuſtulit, qui paſtea rerum potitus, Eccleſiam perſecutus eſt, ex religioſis parentibus impius filius. Nec diu poſt revocatus a Celeſtino Henricus, in Italiam cum magnis copiis revertitur: Conſtantiam adducens, & Fridericum filium quadrimum. Brevique Regnum Siciliæ, & in continenti & inſula, conſecutus eſt; cum jam Tancredus & filius ejus Roggerius mortem obiiſſet. Exin Romam petens, cum Pontifice de claſſe in Orientem ex Sicilia mittenda agere cœpit: Maguntino vero Epiſcopo & Duci Saxoniæ, ut Germanicas manus in Aſiam trajicerent, imperavit. Sed dum Meſſanæ expeditioni navat operam, morbo correptus, moriens magnis auſis curſum abſtulit: uxore & filio Romam miſſis, & Innocentio tertio, qui Celeſtino ſucceſſerat, ſumma prece commendatis.

Erat Etruriæ Dux, cui ſuprema voluntate mandavit, ut Regnum Siciliæ cum Imperio, quouſque Fridericus filius adoleſceret, pro Tutore adminiſtraret. Sed caſſa ejus voluntas fuit. Nam regnum, Conſtantia gubernavit. Imperium ſciſſum eſt. Maguntinus Præſul & Henricus Saxoniæ Dux, ubi mortem Henrici audivere, mox ex Aſia rediere; &, cum de ſucceſſore Henrici ageretur, alii ex Electoribus, Ottonem Saxoniæ Ducem, Henrici fratrem; alii Philippum elegere. Ottoni Rex Angliæ affuit, Philippo Rex Franciæ auxilia miſit. Innocentius tertius Ottonem confirmavit, qui Aquisgrani coronatus, magnam Alamaniæ partem adeptus eſt. Philippo Etruria in Italia, & Suevia in Germania paruit. Tumque rurſus Guelfi Ghibelinique inter ſeſe deſævientes, Imperii provincias, magnis cladibus afflixere. Cumque veniſſet Philippus in Alamaniam, Ottonem pluribus præliis vicit fugavitque: exin Coloniæ Agrippinæ clauſum duriſſima obſidione oppreſſit, coactumque a Colonienſibus pugnare, iterum profligavit, Coloniaque potitus eſt. Sed non fuit ei in acquiſito per arma Imperio quies. Landgravius Haſſiæ & Comes Palatinus Rheni, inſidiis appetitum captumque necaverunt. Suffectus Imperio alter Otto, ex familia Saxoniæ, & ab Innocentio coronatus Romæ, immemor beneficii accepti juramentique fractor, quicquid agri eſt inter Radicofanum & montem Flaſconis, Romanæ Eccleſiæ ademit: Romandiolam quoque, & Regum Neapolitanum invadere adoriebatur. Quibus ex rebus indignatus Innocentius, eum, cum monitus non reſiperet, excommunicatione percuſſit, regnoque & Imperio privavit. Quod ubi Rex Bohemiæ, & Dux Auſtriæ, & Landgravius Thuringiæ, ſimulque Maguntinus Præſul, accepere; ab eo deſciverunt. Electores autem, ſuadente Philippo Rege Franciæ, Fridericum Henrici Sexti filium primique Friderici nepotem, XX. annos natum, Imperatorem deſignavere. Cujus indoles magnum virum & fortiſſimum promittebat Imperatorem, hunc Innocentius tertius Romæ coronavit, priuſquam Regnum Alamaniæ accepiſſet. Profecto autem in Germaniam,



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

niam, Maguntinus Pontifex Theotoniæ coronam dedit. Otto, relictis quæ in Italia occupaverat, in Alemania bellum gerere cum Friderico ſtatuit. Juvabant eum Saxones ferme omnes, & Johannes Rex Angliæ, cujus ex Sorore Nepos erat. Friderico ſuppetias attulit Rex Franciæ Philippus. Nam ex his Regibus, qui uno amico eſt uſus, ei alterius odium expectandum fuit. Convenere ambo exercitus in agro Tornacenſi, ibique prælio magna contentione commiſſo ſuperatus Otto, duobus millibus ſuorum militum deſideratis, & amiſſis aquilarum ſignis, turpi ſe fugæ credidit; nec diu poſt in Saxonia, mœſtus languensque inglorius exuit hominem. Fridericus victoria potitus, caput Theutonici regni Civitatem Aquenſem, cum ſibi portas clauſiſſet, obſidione duriſſima feſſam, denique per deditionem accepit: ibique rurſus coronatus eſt, & religioſum Principem ſimulans, Comitatum Fundorum, cum antea pars Regni Neapolitani cenſeretur, beato Petro Apoſtolo ac Romanæ Eccleſiæ dono dedit. Expeditionem quoque in Aſiam pro Chriſti nomine promittens, ſignum ſalutiferæ Crucis accepit. Sed cum ex Alemania reverſus, Romam petiviſſet; Conſtantiamque matrem, ſanctiſſimam fæminam, fatis functam inveniſſet: in alterum virum mutatus eſt, ex defenſore Eccleſiæ perſecutor effectus. Nam quod antea excellentem Principem egerat; materna reverentia, non vis propriæ mentis effecerat. Rapere igitur Eccleſiarum bona, Sacerdotes contemnere, divina & humana pari impietate pervertere. Quibus ex rebus indignatus Innocentius tertius, Romanæ urbis Antiſtes, qui Honorio ſucceſſerat, Anathema in eum promulgavit. Sed parum ille Romani Præſulis ſententiam penſitavit, qui nec Dei judicium formidare videbatur. Ad eum quamvis fidelium communione privatum, cum Piſis ageret, Johannes Hieruſalem & Tiri ac Ptolomaidæ Rex ſeſe contulit: eique filiam unicam, quam habebat ex Jole conjuge ſua, matrimonio conjunxit: Dotis autem nomine id juris dedit, quod filiæ ex hæreditate materna in Regno Hieroſolymorum competebat. Hinc Hieroſolymitanus titulus Siciliæ Regibus additus. Ex hac conjuge natus eſt ei filius, cui ſuum indidit nomen. Sed hunc Regem Tuſciæ deſtinatum, præmatura mors extinxit. Fuerunt etiam ei ex alia conjuge filii; Henricus, quem decennem, Alemaniæ Regem dedit; & Conradus, quem Sueviæ Ducem deſignavit. Blancha vero, Marchioniſſa Lucenſis ex nobiliſſima Montisferrati familia prognata, Entium ei extra matrimonium peperit. Ex alia concubina Manfredum ſuſcepit.

At Innocentio rebus humanis exempto, Gregorius nonus, ut primum beati Petri cathedram ſortitus eſt, litteras ad Fridericum dedit; qui ſe Præceſſoris ſui anathema innovaturum affirmavit, niſi juratam exequeretur expeditionem in Aſiam. Quo timore perculſus Imperator, parituruſque ſe, ait; diemque profectionis ad Kal. Aprilis dixit: portum, unde ſolveret, apud Brunduſium elegit. Lætus eo nuntio Pontifex, cruce ſignatos ex orbe Chriſtiano ad præſcriptum tempus evocat. Venerunt quamplures ex Theutonia, cæteris-

que

que trans montes Provinciis, viri potentes: inter quos & Landgravius Thuringiæ, conjunx Sanctæ Elizabeth Regis Ungariæ filiæ, cui tunc Haſſia quoque paruit, ſplendidum comitatum adduxit. Sed adveniente tempore, Fridericus, qui cum Soldano Ægyptio pernicioſos tractatus habere ferebatur, dum internuntios præſtolatur, ægritudinem ſimulans in Sicilia quietem agit. Ob quam rem cruce ſignatorum ingens numerus, Brunduſii Principem expectans, morbo periere. Cum quibus & Landgravius diem obiit; vir optimus & ſancta conjuge dignus. Cujus pretioſam ſuppellectilem miſſi a Friderico quæſtores diripuere. Sed venit tandem Imperator, cum amplius diſſimulare non auderet, & frequentibus Apoſtolicæ ſedis juſſionibus urgeretur: & III. Idus Auguſti e Brunduſio ſolvit. Verum cæteris verſus Acconem navigantibus, intempeſta nocte cum trireme ſua dilapſus Brunduſium rediit; ſuis, ut ſequerentur, admonitis. Reliqui ſine Duce Acconem pervenere. Quibus Papæ renunciatis, excommunicationem & imprecationem denuo in Fridericum promulgare placuit. Cum vero Chriſtiani, qui Ptolomaidam attigerat, hoc eſt Accon (vtroque enim nomine dicitur) ſeſe deceptos ab Imperatore quererentur, ejusque opem iterum atque iterum implorarent, veritus tantæ infamiæ notam Fridericus, ſpem illis ſui adventus fecit. Quos cum annum fruſtratus eſſet, tandem in Cyprum navigavit, & præmiſſo militiæ Magiſtro, quem Mareſcallum vocant, ut Soldani potentiam & Chriſtianorum vires ſpecularetur, Rainaldum Theotonem Regni Siciliæ gubernatorem, Romanum Pontificem Eccleſiasque omnes quibus poſſet contumeliis afficere juſſit. Is mandata exequens in Marchiam profectus, Montem Vlmi vi cœpit; Maceratam occupavit; Peruſinos magnis attrivit cladibus; nec Fulginates intactos reliquit. Interea Mareſcallus Soldanum clam allocutus, peſtifera cum eo fœdera percuſſiſſe creditus eſt. Ob quam rem cum veniſſet Ptolomaidam Fridericus, abſolutionemque a Romano Pontifice petiviſſet; neque impetrare veniam potuit, neque illis jam fructum aliquem ſuſpectus facere: itaque indignatus in Italiam rediit, multa in Pontificem atque in Romanam Eccleſiam minabundus evomens. Sed cum jam Duces ſuos, &, quos illi ex Aphrica in auxilium acciverant, Sarracenos ubique profligatos inveniſſet (nam Pontifici ex Gallia auxilia venerant, & ſocer ipſe Friderici Johannes Rex Hieroſolymitanus, non parvis inſtructus copiis, partes Eccleſiæ indignatus genero tuebatur) pacem petere compulſus eſt, quam ita obtinuit, ut centum viginti millibus auri unciis in ærarium Eccleſiæ collatis, Rex atque Imperator apud Italos atque Germanos appellaretur; quæ in Regno Neapolitano amiſerat, nova infeudatione ſuſciperet. Quibus legibus dictis, Anagniam ad Pontificem venit, ibique benigne acceptus cum eo cœnavit. Duxit autem Fridericus ſecum ex Aſia fratres beatæ Mariæ Theutonicorum: quibus terram Pomeraniæ atque Pruſciæ, ex manibus infidelium vendicandam, ne otioſam agerent vitam, dono dedit. Quam ubi conquiſiſſent, ita ab eis teneri voluit, quemadmodum Imperii

ſacri meliores Principes ſua imperia dent: deque ea re litteras eis tradidit aurea bulla munitas; quas nos coram Friderico Cæſare productas vidimus, in eo judicio, quod inter eos Fratres & Civitates Pruſſiæ agitatum eſt, de quo poſterius ſuo loco dicemus.

Inter hæc Romani adverſus Gregorium rebellantes, in Viterbienſes copias eduxere. Quod Fridericus intelligens, ad Pontificem in Reatino manentem venit, auxiliaque contra Romanos & Entium filium obſidem obtulit. Gregorius, ut ſe legato conjungeret, imperavit, apud montem Flaſconem tunc agenti; quo & ſuas ex Tuſcia copias Fridericus accerſiverat. Sed nihil ibi magnifice actum. Nam cum Romani Theutoneſque colloquia ſimul miſcerent, Imperator in ſuſpicionem adductus, Piſas ſe contulit; deinde Alamaniam petiit: ubi cum reperiſſet Henricum filium adverſus ſe conjuraſſe, fœdere cum Civitatibus Lombardiæ percuſſo, quæ Patri erant infeſtæ; litteras a Pontifice petiit, quibus Alemaniæ Principes parere ſibi contra filium juberentur. Nec negavit Apoſtolica benignitas, quanquam perfidam Imperatoris mentem perſpectam haberet. Henricus autem a Patre vocatus; obtenta fide publica ad eum venit. Apud quem proditionis damnatus, interventu Principum; ut vita ſibi relinqueretur, obtinuit. Sed in Apuliam miſſus, dum in cuſtodia retineretur, juſſu Patris ſtrangulatur. Joles dum forte obierat prior Friderici coniunx, itaque Conſtantiam Regis Caſtellæ ſororem ſibi conjungere ſtatuit. Quod cum perficere nequiret, affinitatis vinculo prohibente, ex diſpenſatione Apoſtolica voti compos eſt factus; moxque in Italiam rediens Patavinos in ſuam poteſtatem recepit. Cujus rei auctor fuit Accelinus, qui ex Germania ducens originem, per idem tempus in Gallia Transpadana plurimum poterat. Quatuor Cardinales ad ſe miſſos, qui, pacem ab Avo Civitatibus Longobardiæ redditam ut cuſtodiret, magnis orabant precibus, contemtos vacuoſque remiſit. In agro Brixiano caſtella quædam vi capta diripuit atque incendit. Mediolanenſes cæteraſque Civitates contra ſe conjuratas, in armis occurrentes, magno prælio excepit, ſtravit, profligavitque: victoria potitus ingenti, & ſpoliis ditatus. Petrum Teupolum Ducis Venetorum filium, qui tum Prætor Mediolanenſium fuit, in eo prælio captum in Apuliam miſit, necarique in vinculis juſſit. Azonem Eſtenſem, proditionis inſimulatum, domo pepulit. Quibus ex rebus iterum a Romano Pontifice excommunicatus eſt, & qui juramento ei erant aſtricti, religione ſoluti ſunt. Quod cum ei apud Patavium nunciatum eſſet, vocatis in concionem Proceribus, Petrum de Vineis Cancellarium ſuum orationem habere imperavit, qua Gregorium inique agere oſtenderet, qui ſe nihil tale merentem excommunicaſſet. Exin Mantuanos Parmenſeſque petens, in Tuſciam tranſivit, & Lucanis viſitatis Piſas rediit.

Interea Eccelinus Marchiam Terviſanam armis occupavit; Ferrariamque Friderico ſubegit. Brevi tamen in poteſtate Imperatoris manſit. Nam Legatus Apoſtolicus, Venetorum, aliarumque Civitatum, quas fœderatas appellabant, accitis auxiliis,

liis, cum obſidionem ante muros haberet, vocatum ad colloquium Salinguerram Eccelini ſororium, qui cum præſidio inerat, abrupta fide publica intercepit; eaque re deſtitutam auxilii ſpe Civitatem in deditionem recepit, atque Azoni Eſtenſi Romanæ Eccleſiæ nomine gubernandam commiſit. Fridericus autem apud Piſas immoratus, in omnibus ferme Tuſciæ Civitatibus factiones induxit. Tumque potiſſime *Guelforum* & *Gibellinorum* inter ſe odia tota Italia exarſerunt. Florentini Nobiles, qui Friderico favere videbantur, a populo ejecti ſunt. Ex Piſtorio Cancellarii accepto Friderici præſidio Panziaticos expulerunt. Senenſes autem & Aretini, Perufinorum odio imperata Friderici ſine controverſia faciebant. Entius interea Sardiniæ Rex Tifernates, Eugubinos, Nucerinos deditionem facere compulit. Perufinum, Aſiſinatem, Tremannum, Tudertinum, Spoletanum agrum ferro atque igne vaſtavit. Poſt hæc incenſus in Pontificem Gregorium atque in Eccleſiam Fridericus, exercitum in urbem duxit. Adverſus quem, cum Romani cruce ſignati pro Eccleſia pugnantes exiviſſent, quotcunque ex eis Imperator cepit, aut quaternis in crucis formam confodi vulneribus, aut eorum capita quadrifariam inſtar crucis reſcindi juſſit. Campaniam depopulatus, Caſſinenſe monaſterium diripuit. Beneventum cepit, direptumque mœnibus privavit. In Picentes ducens Aſculanum agrum vaſtavit. Ravennam, quæ ſibi antea diu reſtiterat, improviſo adiens occupavit. Soram Samnitum quondam urbem, ad fontes Liris fluvii ſitam, incendio delevit. Luceriam Apuliæ civitatem, ejectis populariter Chriſtianis, habitandam Sarracenis tradidit: his magiſtratus in Chriſtianos conceſſit. Templariorum & Johannitarum bona per Italiam diripuit. Siciliæ Pontifices in vincula conjecit, plures neci dedit. Tunicii Regis fratrem, qui Baptiſmi cupidus Panhormum venerat, ne baptiſaretur inhibuit. Saracenos lege tutos fecit, ſi forte Chriſtianum læſiſſent: quod ſi Chriſtianus Saraceno contumeliam irrogaſſet, id capitale ſancivit: fœminas forma præſtantes, virgines, nuptas eripuit: utque ſui commilitones id admitterent, palam permiſit. Concilium, quod apud Lateranum Gregorius indixerat, ſummo conatu impedire adorſus eſt, terra marique aditus obſtruens. Cardinales e Genua Romam tendentes per Piſanos & Entium filium intercepit, atque in carcere amariſſimo retruſit. Faventiam annua obſeſſione vexatam per deditionem obtinuit. Agrum Bononienſem, Mutinenſem, Reginumque late vaſtavit. Bononiam etiam generali ſtudio privavit: id Patavium tranſtulit. In Parma receptus adverſam ſibi factionem ejecit; qui populariter Placentiam migraverunt. Quibus cladibus Italiam afflictantibus, etiam illi comes adjuncta eſt horrenda & miſerabilis fames, quæ multos mortales extinxit.

Dum hæc aguntur, defuncto Gregorio nono Celeſtinus quartus ſuffectus eſt. Qui cum ſeptem & decem dies in Pontificatu vixiſſet, Innocentio quarto, natione Genuenſi, gente Fliſca, & Imperatoris ante Præſulatum amico, locum fecit. Vacavit tamen Apoſtolica ſedes octo &

decem menſibus. Quod cum Friderico renunciatum eſſet, idque gratum ſibi cuncti arbitrarentur, reique novitate geſtirent; Atqui ego, inquit Fridericus, nihil intelligo, cur lætari poſſim: cum Cardinalis nobis amiciſſimus eam ſit dignitatem adeptus, quæ illum hoſtem acerrimum reddet. Tractata eſt pax inter eos quatuor menſibus, quæ cum minime conveniſſet, neque jam tutum Pontifici videretur, Romæ manere; Genuam abiit indeque Lugdunum petiit, cum Philippi Regis Franciæ amicitia uteretur: indictaque apud Lugdunum generali Synodo Fridericum eo vocavit, his reſponſurum, quæ illi objiciebantur; cum de Religione Chriſtiana male ſentire videretur. Is Thadeum Sinveſſanum jureconſultum eo miſit, qui venturum Imperatorem ſuamque cauſam coram acturum aſſerens, moras necteret. Sed non ſucceſſit dolus. Nam cum auditum eſſet, medio tempore Fridericum ad invaſionem Brixianorum properare, ſententia depoſitionis in Concilio adverſus eum lata juſſi ſunt Electores ſucceſſorem eligere. Quod ubi Fridericus reſcivit, diruptis ædibus amicorum Innocentii, qui Parma effugerant, petere concilium ſtatuit. Auxilio Ducis Burgundiæ fretus, & ſuaſionibus ejus inductus, e Parma movens armatorum togatorumque comitatum ſecum duxit, qualem quantumque poſtquam declinare cœpit Romana poteſtas, nullus aut iter agens aut domi manens Imperator habuiſſe viſus eſt. Parmæ vero Entium dimiſit, qui & illam urbem tutaretur, & rebus Italiæ conſuleret. Ille, ut Pater abiit, Quintianum Opidum Brixianorum oppugnare ſtatuit. Quo cum perrexiſſet, mox extorres agrum Parmenſem inuaſere, egreſſoſque fideles Imperatoris ad pugnam conflixere, patriaque ſine mora potiti ſunt. Qua re cognita, Fridericus, qui jam Thaurinum transgreſſus erat, mutato conſilio ad obſidionem Parmæ reverſus, aliis undique collectis, armatorum ſexaginta millia adverſus rebellem urbem adduxit; caſtra, quæ omnes copias continerent, latiſſime metatus: eaque foſſa valloque cinxit: ſtatuit, eo loco, Parma, ſi ſuperi darent, victa atque dirupta, urbem erigere, quæ *Victoria* vocaretur. Nec moratus belli exitum, caſtra ipſa *Victoriam* appellavit, deſignavitque Cathedrali Eccleſiæ campum in quo fundaretur: Cujus Patronum de more Chriſtiano Sanctum Victorem elegit: nummos quoque ibi percuſſos Victorinos appellavit. Tracta eſt autem obſidio duobus annis; bellum atrox variumque, univerſæ Italiæ perniciosiſſimum; cum obſeſſis ex tota Italiæ Guelfi, obſidentibus Gibellini auxilia mitterent. Fuit autem urbs Victoria, vario gentium & rerum inuſitatarum commercio ac multitudine frequentata: cum ex Aſia, Ægypto & Africa novi indies homines adventarent, nova veſte, novis utentes moribus. Animalia etiam vidit urbs Victoria, poſt florentes Romanas opes & theatrales non viſa ludos: Elephantes, Dromedarios, Pantheras, Leones, Pardos, Linces, & urſos albos; Canes horribili aſpectu, hinc magnitudine incredibili, inde extrema puſilitate; aves quoque rapaces incognitas, bubones barbatos, Girifalcos albos, ſpecioſiſſimas captivas dono miſſas, & concubinas, &

Spa-

Spadonum greges: quibus viridaria, vineas, hortos, conſitiones lautiſſime patuerunt.

Dum hæc aguntur, Electores Imperii Landgravium Thuringiæ Alemanorum Romanorumque Regem creant. Quem Conradus, Friderici filius rebus Germaniæ præpoſitus, a poſſeſſione Theutonici regni armis deturbat. Accreverunt tamen illi fautores non pauci, cum Innocentius adverſus Conradum ejuſque Patrem prædicari crucem præcepiſſet. Sed homo annis plenus & jam belli laboribus ineptus, moriens eam provinciam Wilhelmo Comiti Hollandiæ, qui ſibi ſuffectus eſt, brevi reliquit. Urgentur interea Parmenſes, durior atque aſperior indies obſidio ducitur. Legatus Innocentii urbem ſumma vi defendit. Fridericus quos ad pugnam exeuntes intercipit Regienſes, Mutinenſes, Placentinos, Bononienſes ac etiam Etruſcos, ante urbis portas obtruncari laniarique jubet: aliquos vero balliſtis majoribus, quas vocant Briccolas, ſemivivos in urbem projici, ſupplicioque ſimili etiam mulieres affici, ſi quæ in manus veniant. At cum jam Parmenſes nulli eſſent metui, obſidenteſque negligentius ſeſe haberent, Fridericus autem per amœna vireta ſiluaſque ſcortaretur; jubente Legato eruptio facta eſt, & trucidatis, qui primo occurrerant, uſque ad portas Victoriæ perventum: neque ibi retenti Parmenſes, dum hoſtes ad ſua quique tuguria arma capturi feſtinant, caſtrorum portas ingreſſi cuncta diripiunt atque incendunt. Corona ibi Cæſaris, magni pretii ornamenta aurea & argentea majora quam Imperatoria capta: urbs Victoria haud bonis cœpta auſpiciis, prius ferme deleta quam fundata. Fridericus fuga ſalvatus in Cremenſem abiit; neque invitatus intravit urbem: veritus, ne populus pœnas expoſceret, quod juventus Cremonenſis apud Parmam cæſa ſua culpa Carrotium amiſiſſet, paulo poſt in Placentinos duxit; Monaſteriumque ſanctæ Columbæ ſecus Donimum Opidum deſtruxit. Et in Etruriam tranſiens, duxit in Florentinos; in eos iram evomiturus, qui ſoli pene ex tota Tuſcia ejus imperium detrectabant. Vbi cum ad portas urbis deveniſſet, denegato ingreſſu, id ſibi ceſſum eſt, ut Gibellina factio rerum in Florentia potiretur, Guelfis ejectis: quorum pars dum in exilium pergit, in Friderici manus incidens crudeliſſime laniata eſt; pars ad Comitem Rudolfum Vrſinum confugit, Ramerum ſecuta, ex ea familia natum quos vocant bonos montis: ſed neque ibi tutum refugium invenere. Nam Fridericus eos inſectatus caſtello Vrſaria vi expugnato Rudolfum aqua necavit: Rainerum & qui cum eo erant potiores excœcavit. Interim Entius Faventiæ dimiſſus, dum Bononienſes bello infeſtat, ab eis capitur, & in vincula conjectus diu maceratus interiit.

De Obitu Friderici duplex opinio eſt. Eum Panhormi deceſſiſſe tradunt; cum imperaſſet duos & XXX. annos: alii apud Ferenſulam ſeu Florentinum in Apulia gravi & periculoſa ægritudine diu laboraviſſe affirmant; a Mamfredo adoleſcente, ex Concubina filio cum jam convaleſceret, ſuffocatum: qui os jacentis ſtrato compreſſerit. Quod credere ardu-

duum eſt. Niſi quod parricidio perire haud alienum eſt, qui parricidium ipſe perpetravit. Vtcunque ſit, conſtat, Fridericum, paulo antequam moreretur, Mamfredum inſtituiſſe Varentinorum Principem, eumque principatum longe majorem feciſſe, quam prius fuerat; anno primo & quinquageſimo ſupra mille ducentos poſt Chriſti Dei noſtri & Salvatoris ortum. Fuit autem Fridericus vir magnorum operum: armorum gloria clarus; & liberalitate inſignis, facundia & animi magnitudine excellens: honeſto corpore, ſed moribus occulte lubricis, neque religionis amator; quippe qui Eccleſiam perſecutus eſt, & Tartaros Vngaros advocaſſe creditus; quoniam Bela Rex Vngariæ parere ſibi recuſaret. Nam eo Imperante Tartari, qui & Scythæ dici poſſunt, Vngariam ingreſſi fratrem Regis Colomannum occiderunt, & in Poloniam tranſeuntes Henricum Ducem Sleſiæ trucidarunt; ambasque provincias ita attriverunt, ut in hanc uſque diem ejus calamitatis veſtigia extent. Paulo poſt hujuſcemodi cladem, Auſtriæ Ducatus, ut poſtea ſuo loco dicetur, ad Imperium devolutus eſt. Quem Fridericus annos circiter quinque per Legatos ſuos adminiſtravit.

Cum obiiſſet Fridericus, ex filiis ejus tantum ſuperſtites erant Conradus, ex Jole Regina Hieruſalem conjuge prima ſuſceptus, qui paternum in Germania tuebatur; & Mamfredus ex Concubina natus, acris ingenii adoleſcens, non ſpecie ſolum corporis ſed animi dotibus & litteris exornatus: qui mox ſepulto patre in Neapolitanos duxit; eoſque infenſe perſecutus eſt, cum portas advenienti ſibi clauſiſſent, illis vero conſilium erat, legitimo hæredi conſervare Regnum. Haud dubium exiſtimantes, quin Mamfredus Neapoli potitus, fratrem excluderet. Cui nec populorum favor, nec animus ad invadendum regnum deeſſet. Quod beneficium imparem poſtea gratiam reperit. Nam Conradus In Italiam veniens, Accellini Romanenſis, cujus tunc opes in Tranſpadanis Italiæ Regionibus florentes erant, auxilio fretus, ingentibus copiis Adriatico mari advectis, & demum per Apuliam & Campaniam, quam terram nunc laboris appellant, tractis, Neapolim obſedit. Neque ullis flecti precibus potuit, quin cives tanquam reos Majeſtatis plectendos duceret. Octavo itaque menſe, fatigatam bello, & fame laborantem urbem obtinuit: muros magna ex parte diruit, nobilium ædes evertit: decem primarios cives laqueo appendit; alios gravi ære mulctavit. Capua, quæ Neapolitanis conſenſerat, muris pari modo. Aquinum vi captum diripuit atque incendit. Quæ res nobile illud ingenium, & divinam quodammodo mentem ſanctiſſimi Viri Thomæ Aquinatis, in lucem prodire fecit: cujus vis alioquin in opibus atque deliciis emarcuiſſet. Nam Parentes ejus nobili loco nati, primarii Cives & Opulenti, cum bonis excuſſi patriam amiſiſſent, hunc puerum apud Caſſinenſe monaſterium commendarunt: in quo ille dum pueritiæ rudimenta deponit, religionis Zelum induit; & ordinem tandem Dominici profeſſus, ea edidit opera, quæ Philoſophi noſtri temporis Theologique ferme omnes & admirantur,

&

& inprimis ediſcere curant. Atque ita bonitas magni Dei, ex magno ſæpe malo maximum elicit bonum. Et Aquinum Chriſtianæ quidem religioni nunquam tantum vigens utilitatis contuliſſet, quantum profuit exciſum.

Fuit autem Conrado, ut ad eum redeamus, inclementia atque ambitio non minor, quam Patri; temeritas vero multo major, & tamen ſecundo poſtquam venerat, anno, potitus eſt omni Trinacria & toto Siciliæ citra Pharum regno, mirabili fortunæ afflatu & ſuperum favore. Sed quam facile ad ſummum pervenit, tam ſubito cecidit. Extinctus enim mox e vita ſubtractus eſt, non ſine Mamfredi infamia, quem corrupiſſe auro Medicos, ut venenum fratri propinarent, creditum eſt. Improba regnandi cupiditas, quæ nec fraterno nec paterno cedens affectui ſceleris loco pietatem ducit. Condidit tamen Teſtamentum Conradus, Antequam vita excederet: Conradinumque fratris filium hæredem inſtituit. Conradini Pater Henricus fuit, ex Conſtantia Regis Caſtellæ ſorore natus, quem Fridericus, ut ante diximus, in Apulia necari juſſit. Mamfredus autem æmulo regni altero ſublato in alterum fraudes nectit. Nam tabulas inſtitutionis ſuppreſſit, & conſcios omnes veneno extinxit. Sed cum Innocentius Quartus ex Lugduno reverſus, Neapolim, quæ jam mœnia reparaverat, ſeſe contuliſſet, ad eumque ſalutandum Optimates Regni conveniſſent, Mamfredus quoque cum his affuit; Pontificem tanquam Regni dominum veneratus: obtinuiſſetque procul dubio Pontifex totius Siciliæ Imperium, niſi mors felicibus ejus ſucceſſibus invidiſſet. Neque enim diu apud Neapolitanos dimoratus Innocentius finem vivendi fecit: clariſſimus Pontifex, qui Fridericum, tantum Imperatorem, dignitate dejicere non timuit; & qui Cardinalibus rubei pilei geſtamen primus indulſit: litterarum cultor; & juris conſultiſſimus. Huic dum Cardinales Alexandrum quartum ſufficerent, Mamfredus, quam jam pridem meditatus erat rebellionem, in lucem efferens, accerſitis Sarracenis, qui Luceriam obtinebant, copias Pontificis, quæ apud Fogiam in ſtativis erant, primo impetu delevit, & Conradini Tutorem gerens, ut favorem populorum eo nomine venetur, in alia Apulorum opida incurrit. Alexander Neapoli abiens, relicto ibi Octaviano Vbaldino Cardinali Legato, Anagniam petit, primaque publici conſiſtorii concione Mamfredum hoſtem Eccleſiæ declarat, eique communionem fidelium interdicit. At ille Patris veſtigia ſecutus, Eccleſiam contemnens in Neapolitanum ſtatim duxit; Legatum, qui urbem tenebat, obſidione claudit; nuncios in Tuſciam Longobardiamque mittit, qui partes Gibelinas in ſpem erigant. Nam Guelfi, ut primum Friderici mortem cognoverant, ſublatis animis in Gibelinos deſævierant. Et Florentini quidem, Guelfos jam pridem extorres, conſentientibus Gibellinis, in urbem reduxerant; unumque Reipublicæ corpus ex ambabus partibus conſtituerant; Antianosque, qui poſtea magiſtratus diu manſit, tum primum creaverant. Sed brevi concordia uſi, Vbertos factionis Gibellinæ Principes, & qui cum eis ſentiebant,

urbe pepulerant; Vbaldinos vallis Mugelli nobiles magnis damnis affecerant; in Piſtorium, Lucam, atque Aretium, Guelfos reduxerant: Piſanos apud Heram fluvium ingenti ſtrage conflixerant: Volaterranos armis victos ſubegerant. Adverſus Senenſes, qui exſules ſuos benigne ſuſceperant, arma moventes, pro muris urbis caſtra locaverunt. Jam Mamfredus rebus ſecundis elatus, ſubornatis aliquibus, qui ex Germania venientes Conradinum immatura morte defunctum dicerent, & de falſis litteris fidem nigris veſtibus exigerent, regem Siciliæ appellari ſe juſſerat; ac Legati copias, auro corruptas, ab eo recedere ſuaſerat. Cum Senenſes a Florentinis oppreſſi miſſo Farinata Legato, uno ex Florentinis extorribus, ab eo auxilium petivere. Miſit autem Mamfredus cum Farinata unam tantum cohortem equitum Romanorum. Quæ manus militum ut ad pugnam egreſſa eſt, mox ante portas Senenſes obtruncata a Florentinis & crudeliter lacerata eſt; vexillumque regis raptum,& luto involutum: nil tamen Florentini ulterius auſi ſunt. Nam ſatis damnorum illatum eſſe Senenſibus arbitrati domum rediere. At Mamfredus ea contumelia motus, Johannem ingentis animi magnique conſilii ducem cum quinque millibus equitum.... Quo cognito, & Florentini collectis undique Guelfis, ingentes iterum copias in agrum Senenſem duxere atque ad Arbiam fluvium, quarto ab urbe milliario, collatis ſignis depugnatum eſt: Florentini horribili ſtrage debellati ſunt: ex quibus tria millia cæſa, quatuor millia capta, cum Carrotio, ſignis militaribus, in urbem delata. Cujus rei gloria Provintiano Salvano, nobili loco apud Senenſes nato, maxime attributa eſt: qui vaffframento ſuo Florentinos in bellum traxit, miſſis Florentiam mercatoribus, qui properandum ſuaderent; ne cives longo bello afflicti urbem traderent. Quod niſi ita feciſſet, Jordani, qui quinque tantummodo menſibus morari juſſus erat, in regnum rediens, deſtitutos auxilio Senenſes in Florentinorum arbitrio reliquiſſet. Sed victis prælio Florentinis Guelfi populariter urbe relicta Bononiam migravere. Jordanis Mamfredi nomine gubernanda Florentia potitus eſt. Dies pugnæ ſextus & decimus Septembris fuit; annus vero poſt Chriſti Salvatoris ortum ſexageſimus & ducenteſimus ſupra milleſimum.

Inter hæc Wilhelmus Imperator, dum Friſonum contumaciam domare pergit, ab eis in prælio cæſus eſt. Electores de ſucceſſore diſcordes, alii Alfonſum Caſtellæ Regem; alii Richardum Cornubiæ Comitem Regis Angliæ fratrem eligunt. Alexander, dum Genuenſes reconciliare Venetis nititur, apud Viterbium vita excedit. Vrbanus quartus ei ſucceſſor datus, natione Gallus ex urbe Trecenſi: is, qui ſolennia quotannis præcipua ſacratiſſimo Chriſti corpori celebranda inſtituit. Quo ſedente in beati Petri throno, cum Jordanis ad Mamfredum e Florentia rediiſſet, Guido novellus ejus locum tenuit. Qui non contentus terminis ſibi commiſſis, Aretium, Piſtorium, Lucamque deturbatis Guelfis, in poteſtatem accepit, atque ita omnis ferme Etruria aut ſubdita Mamfredo fuit; aut adeo amica, ut ab ejus voluntate nullo pacto diſcederet. Eccelinus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

linus quoque & Obertus Pelavicinus Mamfredi partes ſecuti, Italiam, quæ inter Alpes & Apenninum jacet, magna ex parte armis ſibi ſubjecerant. Quibus rebus anxius animi Vrbanus Pontifex, cum aliter Eccleſiæ conſulere nequiret, Legatum in Galliam tranſalpinam miſit, qui ſalutiferæ crucis præmia his promitteret, qui adverſus Mamfredum & partes ejus arma ſumerent. Carolo quoque Regis Franciæ conſobrino & Genero ac Provinciæ Comiti ſpem Regni Siciliæ fecit, ſi cum copiis in Italiam veniret. Sed cum Carolus ad rem tantam non parvo tempore indigeret, Guido Antiſidorenſis Epiſcopus, & Robertus Comitis Franciæ filius, Richardusque Vindociæ Comes raptim exercitu coacto in Italiam penetrarunt. Et cum jam Eccelinus in bello Mediolanenſi apud Adduam vulneratus, Soncini mortem obiiſſet; Oberti copiis in Gallia ciſalpina proſtratis, ad Pontificem tunc Viterbii morantem, ſignati Cruce pervenerunt. A quo in Campaniam miſſi, Saracenos inde, quos Mamfredus immiſerat, parvo negotio fugavere. Sed non erant hæ copiæ, quæ Mamfredum Regno deturbare poſſent. Et Guido novellus interea patrimonium beati Petri in Tuſcia, veluti tempeſtas quædam validiſſima, populabatur. Itaque vocare iterum atque iterum magnis pollicitationibus Carolum placuit. Qui dum ſe itineri accingit, Vrbani morte audita, in patria retinetur. Succeſſor deinde Vrbano Clemens quartus ſuffectus eſt: cui prius Guido Fulcodii, nomen fuit. Is Jureconſultus excellens & in Parlamento Regio primarius Advocatus eſt habitus: uxorem duxit & liberos ex ea ſuſtulit, ſed cælebs factus ad Eccleſiam ſe contulit, Podienſemque conſecutus Epiſcopatum, cum Pontificem egregium ageret, ad Narbonenſem transferri metropolim meruit. Exin Cardinalis creatus, in Angliam miſſus eſt ab Vrbano Apoſtolicæ ſedis Legatus, ut Henricum Angliæ Regem Simoni Comiti Montisfortis conciliaret. Ex qua Legatione ſummus eum Pontificatus extraxit. Is Mamfredi potentiam ac ſententiam veritus, habitu diſſimulato tanquam Monachus cum paucis comitibus Perufium venit; ibique ſe primum manifeſtavit. Ad quem Cardinales venientes, eum ſolenni pompa ſuſceptum Viterbium deduxere. Quod cum Karolus accepiſſet, mox Maſſilia ſolvens cum XXX. triremibus felici vento in Tyberim delatus eſt, & Senator urbis creatus eum magiſtratum per annum geſſit, ſuas moratus copias quas terreſtri itinere ſequi juſſerat. Interea apud Lateranum, Regni Hieroſolymitani ac Siciliæ e manu Clementis corona ſublimatus eſt, & una conjunx Beatrix Regis Franciæ filia. Regnum vero ea conditione datum, ut neque ipſe, neque... Romanorum Imperium aut quærerent aut oblatum reciperent; cenſus nomine duo de quinquaginta millibus aureorum quotannis Apoſtolicæ Cameræ penderent.

Quibus ſic conſtitutis, exercitus Karoli jam paratus atque magnifice inſtructus ſuperatis Alpibus in Italiam deſcendit; & apud Mutinam Florentinos extorres ſeſe offerentes inter ſuas turmas conſcripſit: & citato itinere, ut Carolus mandavit, per Sabinos in Campaniam penetravit. Vbi compertis cruce ſignatis in

unis caſtris commorati ſunt, ad quos paucis poſt diebus Karolus cum juventute Romana, quæ ſponte militiæ nomina dedit, ſpe plenus profectus eſt. Mamfredus his cognitis ad ſanctum Germanum ſe contulerat, eos ne ſaltus penetraret hoſtis, armis defenſurus. Sed mutato conſilio retrocedens in patentibus campis apud Beneventum belli fortunam experiri decrevit. Secutus eſt Karolus & tranſacto Liri fluvio, quem nunc Garelianum appellant, in Beneventanum duxit. Subſtiterunt ambo exercitus, ut ſe primum viderunt; & in manifeſto rerum diſcrimine anxii Duces, alter alterius arma, ſigna, ordines conſpicati, frigidum circa præcordia ſanguinem traxere. Exin militum contumeliis & tubarum clangore calefacti pugnandi copiam fecere. Commiſſum eſt atrox prælium ſumma contentione, qua Ducum virtus univerſis turmis conſpicua fuit; qui dum longo certamine medias inter acies pugnant, nunc huc nunc illuc inclinare victoriam coegerunt, priuſque Karolus, cum laboranti ſuorum turmæ ſubveniret, equo dejectus occubuiſſe creditus eſt: Quæ res Mamfredum inani gaudio exultantem extra ordinem pugnare impulit: qui magnam ſtragem edidit, donec comparente præter ſpem Karolo, ab hoſtibus circumuenti, & ipſius Mamfredi ſecuta occiſio eſt. Karolus certa potitus victoria, onuſtus diviti præda, brevi tempore regnum Siciliæ univerſum obtinuit; præter Luceriam Saracenorum; quam diu vexatam vix tandem poſt necem Conradini, de quo mox ſubjiciemus, in poteſtatem redegit.

In hoc prælio, Germanorum Sarracenorumque maxima cædes facta. Jordanis, de quo ſupra meminimus, & Petrus Ubertus, Florentia extoris, Nobiles alii, magno numero capti. Mira res: quinque Friderici filios (neq; enim plures illi fuiſſe legimus) acerba mors abſtulit. Primum, qui Patris nomen redditurus erat, Fridericum jam Regem Tuſciæ deſtinatum, decennem interiiſſe tradunt. Henricum Pater ipſe necari juſſit. Conradus veneno, ut creditum eſt, fraterna fraude propinato periit. Mamfredum hoſtilis gladius interemit. Entius a Bononienſibus captus in carcere contabuit. Auditaque patris, fratrum, & nepotis Conradini morte, triſtem animam exhalavit. Divina hæc judicia. Sæpe in filiis Patrum crudelitas vindicatur.

Interfecto, ut diximus, Mamfredo, Conradinus ejus Henrici filius, quem necatum a patre diximus, generoſæ indolis adoleſcens in Svevia educatus, jam de paterna hæreditate anxius, quo pacto Regnum Siciliæ vendicaret, cum propinquis atque amicis conſilia agitabat. Ad quam miniſter ei opportunus oblatus eſt Henricus, Regis Caſtellæ frater; cujus Soror Conſtantia patrem ſuum Henricum Friderico pepererat. Erant per idem tempus in Hiſpania ulteriore, quam hodie Caſtellam vocant, tres germani: Alfonſus, qui Regni gubernacula tenens, ut prius retulimus, Imperator electus erat; Henricus, Fridericuſque. Hos tanquam ſibi æmulos & res novas molientes Alfonſus patria ejecerat. Qui ad externas opes confugientes, Fridericus in Africam, Henricus in Galliam, tranſiverant. At Henricus, cum fruſtra Regem Franciæ contra fratrem in-

invitaſſet (erat enim utrique conſanguineus, & pacis conſilia magis quam bella ſuadebat) in Angliam navigavit: ſi forte Richardum imperii competitorem adverſus Alfonſum armare poſſet. Sed cum hic quoque fruſtra niteretur, in Germaniam ad Conradinum pronepotem ſe contulit. Quem cum voto ſuo conſentientem inveniſſet, clam fœdus cum eo pepigit; &, conſiliis de re univerſa diſcuſſis, Genuam petiit, atque inde navigio Piſas. Ubi primoribus in conſtitutam cum Conradino machinationem tractis, ad Pontificem Viterbii morantem tranſivit. Cui de fratris ſuperbia atque ambitione queſtus, errabundum ſeſe Apoſtolicæ benignitati commendavit. Inde Romam religionis obtentu accedens, primarios factioſoſque cives largitionibus ſibi allexit. Nec diu moratus, Pontificem repetens, diſſimulatione verborum, cujus artifex eximius erat, vitam ſe apud Romanos protervos efferatoſque homines nullo pacto ducere poſſe, affirmavit. At Carolus, qui tum forte Viterbium appulerat, ex Pontifice, ut homini nobili, conſanguineo ſuo, regni ſtirpe nato, Senatoriam dignitatem crederet, ac vel renuenti mandaret, prorſus extorſit. Subiit itaque velut invitus magiſtratum Henricus, & cum jam machinationis fundamenta jeciſſet, Conradinum, uti maturaret litteris adhortatus eſt; Piſanoſque pariter admonuit, ut claſſe, quam bello contra Genuenſes XXX. triremium paratam habebant, Romanum peterent portum. Quo facto, Capitium ibi Neapolitanum, in regno Siciliæ citra Farum non minoris gratiæ quam nominis, ſuſcipientes, ut erant juſſi, in Africam navigarunt. Ad quos e veſtigio Fridericus Senatoris Frater ſeſe recipit, & Sarracenorum non parva manu mercede conducta & navibus impoſita, ad littora Siciliæ delatus, Conradini pronepotis titulum, quem brevi affuturum affirmabat, præ ſe ferens, magnos inſula motus concivit. Conradinus vero jam Veronam applicaverat, quem plurimi ex Alemania reguli ſequebantur: inter quos præcipui fuere, Comes Palatinus Rheni, & Marchio Badenſis matre genitus Auſtrali. Sed dum Conradinus plus juſto Veronæ conſidet, Palatinus Comes & alii non pauci anathematis Apoſtoſtolici metu, ſive militiæ longioris tedio, retro in Germaniam rediere. Non tamen ob eam cauſam cœptum iter neglectum eſt. Nam cum Senenſes Piſanique, & alii ex Etruria Gibellini, ſimulque Senator Vrbis, frequentibus nuntiis Conradinum evocarent; & jam Siciliam, præter Panhormum, Syracuſas atque Meſſanam, in ſuam veniſſe ditionem, Sarracenos Lutherienſes excurſionibus infeſtare Gallos, cunctaque littora inter Cajetanum & Salernum claſſe inquietari a Friderico, nuntiarent; Germanus exercitus, per Papiam & montem Appenninum, qua Carecti nobiles dominantur, ad mare Liguſticum delatus, Piſana exceptus claſſe incolumis in Etruriam venit. Apud Piſas ingentes ei honores exhibiti ſunt; multique ad eum Gibelinarum partium duces ſalutatum venere. Sed cum iter per Aretium ageret, Mareſcallum Caroli Regis, Guelforum copiis ſuiſque armis inſtructum ei viam intercidere cupientem obviam habuit. cum quo congreſ-

ſus, primo impetu Guelforum acies fudit, & cæſis quamplurimis ipſum quoque Mareſcallum interfecit, ſubegiſſetque procul dubio univerſam Tuſciam, ſi paulo amplius immorari & Guelforum reliquias perſequi voluiſſet. Conjunxerant enim ſeſe adoleſcenti Gibelini, non ſolum Etruſci, verum etiam Longobardi, & Romandioli; quorum ductor Guido Foreranus fuit, Guelforum implacabilis hoſtis. Sed trahebant infelicem juvenem ſua fata: qui cum ad cædem raperetur, ad certam regni poſſeſſionem ſe pergere arbitrabatur. Tranſitus ei quoque prope Viterbium fuit, quem cum Pontifex Clemens gloriabundum ac tumidum quadrato agmine incedentem ex palatio ſuo contemplatus eſſet, ſpiritu quodam afflatus prophetico, ad eos qui ſibi aſtabant converſus, Videns, inquit, ſplendidas acies & juvenem animis fidentem miſereor nobili ſanguini, quem pro majorum ſuorum delictis pœnas daturum intueor. Hic etenim ſicut agnus ad victimam cædemque ducitur. At Conradinus iter proſecutus, cum veniſſet ad pontem Milvium, Senator & Vrbis primarii cives, cunctique Magiſtratus, non aliter eum venerati ſunt, quam ſi fuiſſet Imperator eorum; nam longo præcedente agmine, populi multitudine, optimatibus ad frenum incedentibus, ſolenni pompa in Capitolium ductus eſt. Conduxerat Henricus Senator mercede non contemnendam Hiſpanorum manum, Romanorumque plurimos partim præmio partim ſpe prædæ pellexerat, ut Conradinum ſequerentur. Rebus itaque conſtitutis, relicto Guidone Forerano, qui cum præſidio Capitolium cuſtodiret, exercitum & magnum & armis egregie inſtructum per Tiburtinum, ac Equicolorum Marſorumque montes, in ea campeſtria Conradinus Henricuſque deduxere, qui Palatini campi appellantur, hinc Fucino lacu, inde montibus altis circumdati. Ubi cum ab exploratibus didiciſſent, Carolum in propinquis agere, tanquam e veſtigio pugnaturi, ordinatis aciebus quadratum agmen incedere juſſerunt. Carolus in valle reducta copias coegerat, in quam Conradini oculis proſpectum collis circiter X. ſtadiorum longitudinis auferebat. Cum Theutonicus exercitus quatuor millia paſſuum in hoſte patentes campos proceſſiſſet, Carolus X inde ſtadio ad concavæ Vallis fauces primam ſuorum aciem oſtentavit. Erat ejus exercitus longe minor, quam Teutonicus: nam copias dividere coactus, alias Friderico in Sicilia, alias in Apulia Sarracenis opponens, reliquas ſibi retinuerat. Cumque viribus atque multitudine vincere non ſperaret, ad prudentiam aſtumque confugit. Alardua ei Comes Neapolitanus eques, qui a pueritia vſque ad ſenium cum Germanis Regibus ſtipendia fecerat, reique militaris artem & quibus utendum eſt dolos egregie callebat. Is Carolum monuit, ut parte copiarum intra vallem retenta, reliquas in aciem ordinatas cum Mareſcallo ſuo regiis ornato inſignibus in prælium cogeret, ipſe gregarii militis ſago indutus, e tumulo quodam veluti e ſpecula rei exitum proſpectaret; cum tempus exigeret, ſi ſuos fugere cerneret, ſuppetias mitteret. Factum eſt ut Alardus monuit. Conradinus vero, Hiſpanis Italiſque in fronte collocatis, Germanos ſibi equites

tria

tria millia cum ſignis in ſubſidia retinuit; Henricum Senatorem nulli ordini obligavit, ut omnia providens diſponenſque laborantibus ſubveniret. Sic utrimque diſpoſitis rebus, Mareſcallus ornamento regio conſpicuus tam ſuos milites quam hoſtes fallens, prælium init: pugnatur animis utrimque ferocibus: & quamvis pauci contra multos Gallici ſtarent, virtute tamen Mareſcalli diu anceps prælium trahitur. At cum Hiſpani atque Itali Mareſcallum Regem eſſe crederent, in eum omnes impetum facientes circumventum denique confecerunt. Tunc orta ſubito in Theotonicis alacritate, in Gallis mœrore, effuſa ab his fuga cœpta eſt, & tanquam cæſo rege deſperatum. Theutones, veluti profligatis hoſtibus, jam nihil aliud quam ſpolia colligenda eſſe, arbitrati, ſolutis ordinibus fugientes inſequuntur; Conradino cum pueris & debilibus circa ſigna relicto. Tum Carolus, Alardo commonente, ex inſidiis erumpens, magna procella in hoſtes fertur: & obviis quibusque vel ſtratis vel diſſipatis, fortunæ faciem immutavit, ut, qui victus videbatur, inſigni de hoſtibus victoria potiretur.

Conradinus & Marchio Badenſis, adoleſcentes ætate atque infortunio pares, ubi exercitum ſuum fuſum videre, nec jam ſpes ulla ſalutis relicta eſſet niſi fugæ, per devios montes agaſonum tecti cucullis feceſſerunt: atque octavo demum die ad Aſturam pervenerunt: ubi compertum piſcatorem magnis pollicitationibus induxerunt, ut ſe piſcatoria ſcapha, aut in Piſana littora; aut in Senenſia deferret. Cumque pecunia nulla his eſſet, Conradinus annulum loco pignoris piſcatori tradidit. Ille per ſimulationem commeatus in ſcapham deferendi, ad proxima delatus, annulum oſtentans, de valore a peritioribus percunctatus eſt. Inter fabulandum vero, & adoleſcentes ad ſe veniſſe facie liberali & indumento ſordido manifeſtavit; & quid quæſiverint, quidue promiſerit, palam expoſuit. Ob quam rem ducti in ſuſpicionem opidani, alterum illorum Conradinum eſſe, quem inter cæſorum cadavera non inventum Carolus ſumma diligentia perquiri mandaviſſet, piſcatorem ſecuti infeliciſſimos Adoleſcentes ceperunt, & ad Carolum vinctos deduxere. Henricus quoque Senator, de fuga apud Reate retractus, in poteſtatem Caroli factus eſt. In bello, Gerardus comes Piſanus, & alii Germani atque Itali Proceres, novem, capti; quorum illuſtre genus & opes florentes habebantur, qui anno uno in carcere apud Neapolim obſervati ſunt. Exin, cum deliberatio de captivis haberetur, Comes Flandriæ Regis gener & conſanguineus, vitam generoſo ſanguini dimittendam, Conradumque matrimonio obligandum cenſuit. Idemque omnes ſuaſere, quibus animus nulli obnoxius cupiditati fuit. Alii vero numero plures, publico judicio plectendos dixere, qui regni pacem turbaſſent: Vicit apud crudelem Regem ſententia ſævior. Die itaque judicio dicta, in foro civitatis, quod ad portam Carmelitanam ſpatioſum eſt, qui poſtea columnam marmoream erexerunt, purpurei ac ſericei panni in terra extenti ſunt; eoque captivi adducti, miſerabile ſpectaculum. Circumſtabat populus urbis, tantæ nobilitatis infelicem deflens

fiens casum, ad quem etiam vicinarum civitatum plebes confluxerant. Nemo sine lacrimis speciosos forma juvenes, quorum majores Imperio potiti essent, jamjam morituros inspiciebat: tamque miserabilis horum interitus visus est, ut ipsis etiam lacrimas excusserit, qui ejus iniquitatis auctores erant. Primusque Marchio Badensis christiano more Sacramentis Ecclesiæ receptis, candidam cervicem lictoris gladio præbuit. Cujus præcisum caput adhuc Mariam Mariamque sonans, Conradinus e terra elevans atque deosculatus, & ad se stringens, fletu ejulatuque clamitans; Heu nobilis adolescens, inquit, heu frater, ad hæc ego te præmia e paterna domo, e matris complexu detraxi. Siccine te possum intueri, qui, dum mihi Regnum quæris, vitam amittis? O dulcis societas quam amare dissolveris? O amantissime comes, ubi vox, ubi sensus est? cur non respondes? cur tacés? jam transivisti miser, ego miserior e vestigio sequor. Tibi hæreditas mihique necem peperit. Hæc judicia, hæc impie gentis jura! at, videant hoc superi, & si digna patimur, æternum hoc regnum Gallicis faxint: Sin causa mortis injusta est, in Aragonenses hanc coronam transferant; de tam scelerata gente pœnas summant! Nam & ego, si quid juris in Regno Siciliæ apud me est, Petro Aragonensi ultima voluntate relinquo, Atque chirothecam in medium projecit, veluti signum traditi regni. Illam postea miles quispiam colligens, Regi Aragonum tradidit. Moxque Conradinus, & deinde Gerardus, & postremo reliqui obtruncati sunt. Et, ne carnifex de fusione tam alti sanguinis uspiam se jactitaret, ipse quoque alterius manu carnificis cæsus est. Vltimus igitur generis Fridericorum Conradinus, hoc modo extinctus, & nobilissimus ille sanguis finem fecit. Crediderim ita cœlesti numini placuisse, cui persecutores Ecclesiæ grati esse non possunt: constatque, sæpe progenitorum scelera in nepotibus vindicari. Verum neque Karoli impunita crudelitas mansit. Vix enim post Conradini cædem anni tredecim præterierant, cum non ferentes Gallicam insolentiam Siculi, correptis armis omnes per insulam Gallos in unis vesperis trucidarunt, & Insula in potestatem Petri Aragonensis facta est. Nec multo post Karolus Secundus, filius hujus, navali prælio captus in Cathaloniam deductus est. Et, ne veteribus insistamus, ætate nostra universum ad Aragonenses, ipsorumque fortunatissimum & sapientia clarissimum Alfonsum Regem, defecit: tanquam Deo exequi cura præcipua fuerit. Atque hactenus de Fridericis memorasse sufficiat. Quæ nos idcirco retulimus, quoniam Suevus & Australis sanguis invicem conjunctus fuit, matrimoniaque sæpe inter has domos celebrata sunt. Nunc ad ipsos Australes redeundum.

*Federicus Imperator* (1) *Hernesti ducis Austriæ filius mortuo patre tutelam ejus & Alberti fratris impuberum, Fridericus patruus susceptt. Ab eo missus tandem ad regimen, ordinatis*

(1) *In editione deerant integra novemdecim folia manu scripta cum dimidio, quæ exstant in Codice Cæsareo I. a fol. 1. p. 2. usque ad fol. 21. p. 1. & continent, uti videbis, vitam atque res gestas Imp. Friderici priusquam simul & de uxore ducenda & de Romana corona recipienda seriam deliberationem instituit.*

*tis terrarum gubernaculis, felici navigatione Hierosolymam petiit. Vnde reversus, cum patruus vita excessisset, Sigismundum patruelem in tutelam recepit, nec diu post Albertus, qui Sigismundo Cesari & in Bohemia & in Hungaria successerat, apud Hungaros, calore fessus, & dissenteria comminutus, vitam exhalavit, relicta Elizabet Imperatoris filia uxore sua pregnante. Ob quam rem mox Hungari legatos ad Wladislaum Poloniæ Regem miserunt offerentes regnum si ad se festinaret; at dum ille itineri sè accingit, Regina filium peperit, quem mox sacro fonte renatum Ladislaum vocavit, atque e vestigio in Albaregali Dionysius archiepiscopus Strigoniensis coronavit, eumque militari balteo Nicolaus Vaivoda cinxit. Sed cum Poloni Regis adventus nuntiaretur, mox pupillum, & regni coronam Elizabet ad Fridericum misit, sciens quia regnum turbaretur. Australes interea apud Viennam convenientes, cum Federicus terram, si Regina femellam pareret, si vero masculum, tutelam sibi debere diceret, cum testamentum Alberti factum diceret & quo cautum esset, si masculus sibi nasceretur, eum Posonii nutriendum, atque VIII. tutores ei dandos, duos ex Hungaria, duos ex Bohemia, ac totidem ex Austria & Moravia. Considerantes id testamentum esse contra consuetudines domus Austriæ, neque tutum esse in Hungaria nutriri pupillum, cum novus Rex induceretur, in eam sententiam cum Federico venerunt, ut tutelam ipse pupilli susciperet, sive masculus, sive femella nasceretur, atque si femina esset, eam ex consuetudine domus Austriæ, quemadmodum & alias jam natas, nutriret, & nuptui traderet, terramque suo ex arbitrio veluti naturalis dominus regeret. At si masculus in lucem prodiret, tutelam ejus haberet, terramque ex consilio XII. virorum regeret, qui ex tunc nominati sunt, sibique ut tutori fidem omnes terrigenæ præstarent. Sed ut primum pubertatem puer attingeret, eum Federicus extra manum daret, & ad dominium suum reponeret, & si Federicus ulterius eum retinere vellet, tunc omnes terrigenæ absoluti & liberi a quavis promissione, fide vel juramento intelligerentur & essent. Sic australes Federicum ad administrationem tutelæ receperunt, & præstitis juramentis ac promissionibus feuda ab eo acceperunt, & clerici & seculares electis XII. viris qui consilium gererent. Nec diu post principes electores apud Francofordiam convenientes, cognita Alberti morte Federicum in Romanorum regem paribus votis & consonantibus elegerunt. Sed divisa tunc ecclesia fuit, duoque de summo Pontificatu contendebant, Eugenius, qui Martino successerat, & Felix, quem plerique patres sub nomine concilii ex duce Sabaudiæ eremitam, sive anachoretam factum ad summum pontificatum accersiverant, & huic terra Sabaudia & Suicenses, Basilienseque & Argentinenses parebant. Teutones neutralitatem quandam servabant. Eugenio reliqua Christianitas obediebat. (1) Lites quoque tunc Federico erant adversus Albertum fratrem, qui portionem hæreditatis petebat, & illum Comites Ciliæ fovebant. Sed Federi-*

(1) *Lites non erant de paupere regno, pro lana enim pastores litigabant.*

*dericus ordinatis domi rebus & belli præfectis conſtitutis, Francofordiam ſe contulit, atque deinde in Aquisgrani XVII. principibus præſentibus coronatus, ad Francofordiam rediit, & quamvis illic ſuum animum in rebus eccleſiæ multi perquirerent, nemo tamen alti pectoris ejus ſecretum attingere potuit. Venit autem ille per Rhenum ad Baſileam ſed non intravit, ivit Borgundiam viſitque Ducem illum magnum, & in Sabaudiam viditque filiam* (1) *Amedei viduam, quam ille cum magna dote promittebat, ſibi ſi ut Papæ parere vellet. Deinde per Suicenſes iter faciens Baſileam venit, non tamen conſeſſum patrum viſitavit & ad Felicem ſecreto venit, deinde Conſtantiam pergens, cum ſeparaſſet a Suicenſibus Turicenſes, in Atheſim ſe contulit, atque inde domum reverſus, cum ſui medio tempore Albertum fratrem & Comites Ciliæ commiuiſſent, qui Labacum obſidentes repulſi ſunt, cum Fratre in gratiam rediit. Comites autem Ciliæ in eas pactiones venit, ut Principes Imperii illi remanerent, ſed morientes ſine maſculis heredibus ex lumbis ſuis provenientes, omnis eorum principatus ad Federicum ſuoſque rediret hæredes, quodque Comites ipſi perpetuo obligati fœdere nullo unquam tempore, aut Federicum aut heredes offenderent, & illi quidem Comites fidem Federico juramento præſtiterunt. Interea temporis Wladislaus Hungariam ingreſſus in regem receptus coronatusque fuerat, Reginamque multis affecerat cladibus, cum ab ea omnes fere Barones regni deſciviſſent, Juliamusque Cardinalis ſancti Angeli jam ſancte Sabinæ factus in regnum Eugenii juſſu venerat, ut regnum pacaret. Ille matrimonium inter Wladislaum & reginam praticabat, quamvis longe annoſior Regina quam Rex eſſet, ſed habent ſuam quoque miſeriam reges, ut uxores non ſibi ſed regno ducere cogantur, illi tamen concubinis & adulteriis ſcelus expiant. Sed obiit mortem regina, priuſquam matrimonium concludi poſſet. Wladislausque auctus potentia, ne regnum ſine lege quæſitum, ſine utilitate retinere videretur, adverſus Turchos per Johannem Waivodam aliquot prælia feliciter geſſit. In regno tamen aliquot adverſabantur ei, Archiepiſcopus Strigonienſis, Gislra Bohemus & nonnulli alii Barones, qui ſe nomine Ladislai regis retinebant, quibus auxilia petentibus a Cæſare negata ſunt, quia ſuſpecta ſemper Hungarorum fides Cæſari fuit; vocavit tamen eos ad Poſonium, ipſe Hamburgam ivit, tractavitque cum his aliqua. Tum quoque & Julianus ad eum venit, Poloni ægre tractatus hujusmodi ferebant. Deinde venit Cardinalis Viennam & legati Regis Poloniæ, ſed infectis rebus abierunt, deinde cum regnum Hungariæ turbaretur aſſiduis incurſionibus, neque Auſtria vel Stiria turbine carerent, inducia inter Federicum Imperatorem & Regem Poloniæ, qui ſe tunc Regem Hungariæ appellabat, & eum ut Regem ſuum Hungari recognoſcebant, in hanc ſententiam ad biennium actæ ſunt. Pax ut eſſet utrinque, tutumque mercatoribus & omni homini iter: quod ſi quis ex Auſtria vel Stiria in Hungariam, aut ex Hungaria in Auſtriam vel Stiriam prædaretur dammumve inferret, eum ambæ partes contererent; liceret tamen parte lege etiam ſuapte*

(1) *Noluit non viſam uxorem ducere, quamvis hæc principum miſeria ſit.*

*ſuapte viribus prædatorem compeſcere. atque hæ induciæ biemales ſæpius cum regno prorogatæ ſunt. Per idem tempus ad Principes Electores Federicus Norimbergam profectus eſt, ut eccleſiaſticæ paci conſuleret; ſed minime res perfici potuit, jam tribus electoribus ad partes Felicis inclinatis. Suicenſes eo tempore magnis conatibus Turicenſes infeſtabant, civitatem domui Auſtriæ amicam, quod hi fœdus rupiſſent quod haberent cum eis. Quibus volens Federicus occurrere, Carolo Regi Francorum ſcripſerat, velle ſe Suicenſium conatus reprimere, qui nobilitatem Alamaniæ conculcarent, cupereque armatas ab eo copias habere, rogansque, ſi militem ab eo peteret, ut illum venire permitteret, ſuo ære militaturum, forte fortuna tum litteræ Regi redderentur, pax inter gallicos & anglicos concluſa erat, milites multi erant in Gallia oneroſi terræ magis quam neceſſarii. Viſum eſt tempus datum & occaſio præſtita qua regnum relevari poſſet, e veſtigioque Ludovicus Regis primogenitus, qui Delphinus Viennenſis appellatur, juvenis bello exercitatus, ac nutritus in armis, omnem militem in Alamaniam ducit. Tunc aliquibus ſe vocatum ab Imperatore in auxilium domus Auſtriæ dicit, aliquibus nobilitatem adverſus plebem veniſſe ſe defenſurum, quibusdam vero, quicquid trans Rhenum eſſet, ad Galliam ſpectare dicebat, ſuumque regnum eſſe, velleque id vindicare ajebat. Subditi domus Auſtriæ per Alſatiam non habentes qui ſe adverſus rabiem Suicenſium tuerentur, Delphinum avide ſuſceperunt, eique caſtra & oppida aperuerunt, at efrenis militiæ rabies plus quam Suicenſes recipientibus obfuit, quando rapinis & cædibus, adulteriis omnia complebant, id tamen placuit amicis Auſtralium, quod quatuor millia Suicenſium, qui ſibi non longe a Baſilea occurrerunt Delphinus proſtravit. Durum id bellum & atrox fuit, ubi Suicenſes pedibus ſtantes, galli ab equis pugnabant, atque quatuor adverſus unum Suicenſem galli præliabantur, ob quam rem temeritate ſua magis quam virtute hoſtium illi ceciderunt. Hæc cum narrata eſſent Norimbergæ, inviſa omnibus principibus fuere, periculoſum eſſe putantibus, externam gentem intraſſe Imperium, ac ferociſſimos Alamaniæ populos contriviſſe. Timendum, ne galli germaniam occuparent. Tunc Imperator adverſus Delphinum exercitum decrevit & delectum haberi, Ludovicumque Palatinum Comitem belli ducem, qui aquilas ferret, elegit, ipſe in Auſtriam reverſus eſt, quæ finitimorum incurſionibus vaſtabatur. At Delphinus cum irritatam germaniam videret, ſpoliatis qui ſuam ſecuti fidem fuerant, per montes, qui Borgundiam ab Alſatia dividunt, in galliam reverſus eſt, extremos terminos exercitus accolarum incurſu perdidit. Federicus cum jam annis aliquot Auſtriam tutorio nomine rexiſſet, & primo cum conſilio XII. virorum, quemadmodum promiſerat, deinde illis ſe ſubtrahentibus curæ, IIII & XX. primos terræ proceres deligi curavit. Deinde cum & hi nollent in eo magiſtratu perſeverare, ſolus regimen in ſe accepit, omnesque ei paruerunt, neque quisquam contradixit, tutorem ſe geſſit, & feuda dedit, & militem coegit, geſſitque curam omnem. At Hungari per idem tempus, quamvis pacem temporaneam & juratam cum turchis cum haberent, elati victoriarum fortuna, quas Jo. pepe-*

*pepererat, hortante Juliano Cardinali, qui ab Eugenio inſtructam claſſem in Heleſpontum miſſam ajebat, eccleſiæ ac ducis Borgundiæ ſumptibus, nec juramentum valuiſſe dicebat contra ſalutem chriſtianæ religionis factum. Vladislaum regem in bellum duxerunt, ſed magnas vires ſecum ferentes majores invenerunt. Nam turchus ingentem exercitum trans mare adduxerat, quem cum Johannes in conſpectu habuit, mox fuga ſalutem quæſivit. Vladislaus in bello occubuit, ac prælati & barones plurimi, nam XL. millia Hungarorum eo die cæſa feruntur, quamvis Turchorum ingens multitudo ceciderit. Julianus quoque Cardinalis in eo bello periit, de quo variam famam referunt, alii inter præliandum occiſum, alii bello vulneratum effugiſſe, atque ex vulnere periiſſe, conſtantior tamen fama eſt, ipſum, dum fugeret, equumque putaret, ab Hungaris, qui & ipſi fugiebant, percuſſum, illuſtrem ſpiritum, qui multis annis Baſilienſem conventum rexerat, emiſiſſe. At Federicus medio tempore ſequenti æſtate cum latrones aliquot ex Hungaria caſtra Ladislai Bani occupaſſent, multisque damnis & prædis afficerent Stiriam & Auſtriam, tum rogatis Hungaris, eos ut compeſcerent, neque illi facerent, ſed ſibi permitterent corripere nocentes, exercitu coacto in Hungariam profectus, caſtra latronum obſedit, vique obtinuit, atque LXXX. illorum ſupplicio furcarum affecit. At Hungari cum Regem amiſiſſent, diu manſerunt adhuc illum vivere putantes, ſed ſpe poſita, cogitantes, quem ejus loco ſuſciperent, non viderunt pacari poſſe regnum, niſi Ladislaum Alberti filium acciperent, cui adhuc pars Regni obediebat; fateri tamen eum Regem nolebant, quoniam Regnum non ſucceſſione ſed electione deberi dicebant. Verebantur enim proditorum nomen, ſi eum Regem faterentur, qui alterum Regem ſecuti fuiſſent. Convenit igitur univerſum Regnum apud Peſtem, ibique Ladislaum Regem ſuum elegerunt Alberti filium, atque inde ad Federicum miſerunt, petentes, ut Regem his daret, quem elegiſſent, nam & coronare eum apud Albam vellent, & juramentum ei præbere. Ad eam rem venit Cardinalis Strigonienſis, Nicolaus Vaivoda, & aliquot regni proceres ad Viennam, bisque Federicus obviam ivit. Diu res agitata eſt in conſilio. Tandem Auſtralibus ſuadentibus reſponſum eſt, Ladislaum non indiguiſſe electione, qui ſucceſſione Rex eſſet, neque coronandum eſſe inunctum, puerum adhuc & infantem non dandum extra manus eſſe propinquioris conſanguinei. Quieſcerent donec adultus eſſet. Illi indignantes abierunt. Poſt hæc Federicus ad res eccleſiæ converſus de pace agere inſtituit. At Eugenius, cum accepiſſet Theodericum Colonienſem & Jacobum Treverenſem Archiepiſcopos & Electores Imperii Felicis fovere partes, nutrire neutralitatem, adverſari romanæ ſedi, ambos depoſuit, & archiepiſcopali dignitate privavit, quæ res illi magno impedimento fuit. Nam bene nati præſules & amicis fulti, quamvis jure, non tamen facto eccleſias dimittebant, & acrius Eugenii partes impugnabant. Horum igitur opera conventus apud Francfordiam inter Principes habitus eſt, in quo decretum eſt, niſi Eugenius depoſitionem Archiepiſcoporum annullaret; decretum Conſtantienſis concilii acceptaret atque profiteretur; germanice nationi oportune*

*tune ſecureque & ſtabiliter providere-*
*tur: omnis natio ab Eugenio deficeret,*
*Felicemque ſequeretur. Hoc autem ſe-*
*crete inter ſe ſtatuerunt, ſilentiumque*
*jurejurando indixerunt, mittentesque*
*ad Cæſarem Legatos, ea lege aperire*
*juſſerunt mandata Cæſari, ut non am-*
*plius quam ſibi & ſex conſiliariis pate-*
*facerent. Erat autem mens eorum*
*Legatos eosdem ad Eugenium mitte-*
*re, qui hæc peterent, orabantque Cæ-*
*ſarem, ut amplecteretur eorum viam,*
*atque, cum his mitteret, in reditu eo-*
*rum, ſi Eugenius amplexus fuiſſet le-*
*gationem benigne, nationem fautu-*
*ram & obedituram ſibi neutralitate*
*depoſita, ſin vero, ad partem adver-*
*ſam convolare velle, tenendamque die-*
*tam in Kl. Septembris apud Franc-*
*fordiam, ubi ea fierent. In eam rem*
*ſex Electores fœderati & jurati erant.*
*Per idem tempus Thomas Bononienſis*
*Epiſcopus, qui poſtea Petri cathedram*
*ſortitus eſt, & Johannes Caruaial, qui*
*ad Cardinalatum aſcendit, Eugenii*
*legatione apud Cæſarem fungebantur,*
*qui & neutralitatem deponi & obe-*
*dientiam romanæ ſedi reſtitui petebant,*
*atque duos præſules, de quibus antea di-*
*ximus, juſte depoſitos affirmabant. His*
*noluit Cæſar revelare decreta Princi-*
*pum, ſed dixit, nondum fieri declaratio-*
*nem poſſe, oratores Principum Romam*
*ituros, miſſurumque ſe cum eis legatum,*
*non eſſe inutile eos quoque ex ſe alterum*
*Romam ire. Legatis autem Princi-*
*pum dixit Cæſar, non placere ſibi de-*
*poſitionem Archiepiſcoporum, neque*
*ſurrogatos eis gallicos, bene facere*
*Principes, qui eorum indemnitati &*
*nationis utilitati conſulerent, velle ſe*
*ad hæc concurrere & mittere ad Eu-*
*genium cum eis: illud autem indignum*
*eſſe, quod ſe Papæ judices conſtituerint,*
A *cum dicerent, niſi ſperata fecerit, ab*
*eo ſe defecturos, quaſi non Papam &*
*Papam eſſe in eorum arbitrio reſideret.*
*Videri Cæſari, ſi Papa non pareret,*
*alias vias honeſtiores eſſe ſuſcipiendas,*
*nam eo modo & ſcandalizari nationem,*
*& ſciſma naſci in eccleſia certiſſimum,*
*quod ſua vi cuperet eradicare atque*
*extinguere, priusquam adoleſceret: nam*
*mala cum oriuntur, facile opprimun-*
*tur, adulta non poſſunt ſine magno*
*labore diuelli. Quo reſponſo illi mox*
*iter ad urbem ſuſceperunt. Cæſar vo-*
*cato Ænea Senenſi ſecretario ſuo, ſe-*
*creta Principum ei aperuit, juſſitque*
B *Papam accedere, ac viam pacis ei ſua-*
*dere, pericula exponere, & mentem*
*Principum; orare, ut Electores ſuos*
*reſtitueret, Cæſarem ſibi in omni re*
*auxilio futurum. Is itineri ſe commi-*
*ſit, atque Bononienſi antiſtiti, qui &*
*ipſe Romam ibat, comitem ſe dedit.*
*Legatum principum aliquibus diebus*
*præceſſere, ſed Romam non ante ſe*
*per diem ingreſſi ſunt. Bononienſis,*
*etſi non poterat omnia ſcire, quæ lega-*
*ti principum afferebant, tamen ima-*
*ginabatur, & opinabatur multa. Is*
*Eugenium inſtruxit, ne legatos ante*
C *ſe audiret, quod factum eſt, ortaque*
*difficultas eſt de litteris legatorum,*
*nam Treverenſis & Colonienſis nomi-*
*na, ut Jacobi & Theoderici, auditurus*
*Pontifex non erat. Sed illi cauti fuerant,*
*neque ſe ſuſcribentes litteris aliud di-*
*xerant, niſi ſanctitatis tuæ devoti*
*Romani Imperii Principes electores.*
*Cum admiſſi ad conſpectum eſſent,*
*prior Æneas locutus eſt, rogans Pa-*
*pam, ut principum legatos & audiret*
*benigne, & his ſe ſe tractabilem præ-*
*beret, quæ res Cæſari eſſet futura*
*gratiſſima, & romanæ ſedi utilis, ex*
*qua pax eccleſiæ oriretur, poſt eum*

*Henricus Leubin plebanus Norimbergenſis, qui poſtea protonotarius factus eſt, pauca dixit, totum orationis pondus Gregorio Hamburgenſi, viro facundo, & apud Theutones doctiſſimo commiſſum eſt. Fuit autem Gregorius pulcro corpore, ſtatura eminenti, facie læta, illuſtrioribus oculis, capite calvo; ſed neque linguæ, neque motibus temperans, ſui cerebri, nulli auſcultans, ſuorum morum, ſibi vivens, in omni re libertatem præferens, obſcæno cultu, nihil verecundiæ habens, cinicam vitam commendans. Hic orationem arrogantia plenam habuit: dixit Germaniæ principes unitos eſſe, eadem velle & ſapere, Archiepiſcoporum depoſitionem amarulento tuliſſe animo, petere, ut caſſetur annulleturque, ut auctoritas conciliorum approbetur, ut nationi oportune conſulatur, electores ad Kl. Septembris habituros Francfordiæ conventum, atque ut Papam reſpondiſſe cognoverint, deliberaturos. Eugenius ad hæc ſuo more graviter & pauca reſpondit. Ait ſe magnis ex cauſis Archiepiſcopos depoſuiſſe, maxime vero Jacobum Treverenſem, qui a ſe ſublimatus & erectus de pulvere recalcitraſſet. Auctoritatem conciliorum nunquam ſe parui feciſſe, ſed apoſtolicæ ſedis dignitatem eminentiamque defendiſſe. Nationem nolle ſe gravare, ſed conſulere optime: quia tamen res eſſent graves, deliberandi & maturius reſpondendi tempus aſſumpſit. Interea vocati ad Cardinales legati, cum nullam auctoritatem haberent, niſi audire atque referre, viſum eſt Eugenio reſponſum dare; prius tamen ad partem Æneam audivit, & mentem Cæſaris intellexit, quæ hujusmodi fuit. Videri neceſſarium Archiepiſcopos reſtitui, non autem caſſari privationem. Tum nationi oportune provideri. Deinde decretum* Frequens *Conſtantienſis Concilii recipiendum eſſe. Ea ſi Eugenius faceret, futurum, ut tota natio & neutralitatem deponeret, & ad Eugenii rediret obedientiam. Sin autem, quamvis Cæſar nunquam Eugenium deſerturus eſſet, tamen electores mala eſſe mente multa machinaturos mala. Timendumque grande ſciſma. Eugenio grata legatio Æneæ fuit, atque eum tunc in ſecretarium admitti fecit, dixitque, ſe conſilium amplexurum Cæſaris. Interea legati electorum affecti tædio murmurabant, neque ſine timore fuerunt, quod nimis rigide ſe locutos ſentiebant. Gregorius juxta montem Jordanum poſt veſperas deambulans, caloribus exæſtuans, quaſi & Romanos & officium ſuum contemneret, dimiſſis in terram caligis, aperto pectore, nudo capite, brachia diſcoperiens faſtidibundus incedebat, Romamque & Eugenium & Curiam blaſphemabat, multaque in calores terræ ingerebat mala. Eſt enim aër romanus theutonicis infeſtiſſimus. Nam corpora humecta & ſanguine plena exæſtuant, quæ dum illi temperare volunt, vinum ingerunt. Ideo ergo, quia plus ſanguinis habent, quam Italici, & plus meri ebibunt, plus calore cruciantur. Vocati ad pontificem legati, reſponſum acceperunt, quia mandatum non habent tractandi & concludendi quæ oporteret, miſſurum Eugenium ad conventum electorum, reſponſurumque petitionibus eorum pro dignitate romanæ ſedis. Quo accepto conſcenſis equis legati abierunt. Æneas tamen apud Eugenium remanſit expectans Antiſtitem Bononienſem, ut cum eo Francfordiam peteret. Sed cum iter ambo*

re-

*recepiſſent, Bononienſis apud Parmam ægrotus X. diebus manſit, deinde per Sabaudiam ignotus ad Ducem Borgundiæ prolapſus eſt, ut conſenſum ejus obtineret circa reſtitutionem Archiepiſcoporum, nam ejus conſanguinei ad illas eccleſias Treverenſem & Colonienſem promoti erant, neque tantum principem Eugenius contemnere in animo habuit. Æneas per alpes Tridentinas ad Vlmam venit, ubi repertis Cæſaris Oratoribus cum his Francfordiam petiit. Jam principes aliquot electores aderant. Cæſar ad eam conventionem legatos miſerat Petrum Auguſtenſem & Silveſtrum Chiemenſem Epiſcopos. Jacobum Badenſem, & Albertum Brandenburgenſem marchiones, Gaſparem Slik Cancellarium, Æneam Secretarium, & Artongum Secretarium. Omnisque Cæſaris cura in eam diætam collata erat. Nam ſex electores obligati ſimul adverſus Eugenium videbantur Cæſarem ſpernere, itaque ſummum Cæſari ſtudium erat, fœdus electorum ſolvere, & aliquem ad ſe trahere, ut Eugenio & ſibi conſuleret. Contra enim omnes electores nihil audebat agere; neque adverſari Eugenio volebat. Itaque neque ſolus Eugenium ſequi audebat, neque cum electoribus illi adverſari volebat. At Electores eo animo erant, ut ſi Eugenius non ſatisfeciſſet petitionibus, ab eo penitus deficerent, quamvis Imperator nollet. Eam ob cauſam legatis ſuis id mandati Cæſar dederat, ut fœdus electorum omnino rumpere tentarent, & aliquos Electores ad ſe trahere ſtuderent; quod ſi duos ex eis habere poſſent, declarationem pro Eugenio facerent, ſin autem, declarationem omitterent. Cum ergo conventus jam magnus eſſet, Legatique Electorum ab Roma reverſi Eugenium criminarentur, qui ſe male vidiſſet, graviterque reſpondiſſet, omnium opinio erat, conventum illum pro Felice facturum declarationem, aut ſaltem pro concilio. Eratque illic Ludovicus Cardinalis Arelatenſis, cum aliis ex Baſilea, qui ſe jam victoriam habere in manibus arbitrabantur. Legati Cæſaris admodum triſtes erant, & maxime quia Bononienſis non veniebat, qui principibus reſpondere pro Eugenio debebat. Erat autem ibi Joannes Caruajal homo Hiſpanus, & Nicolaus de Cuſa theutonicus, magni ambo viri & docti, qui abſentiam Bononienſis, quibus valebant modis, excuſare nitebantur. Cum autem incipiendus tractatus eſſet, viſum eſt Electoribus Dei primum invocandam eſſe præſentiam, miſſamque de Spiritu Sancto celebrandam in communi, quæ res magnum propemodum ſcandalum paritura videbatur. Ludovicus enim Cardinalis Arelatenſis, quaſi jam planum eſſet negotium, & ſuæ parti ceſſum eſſet, intereſſe miſſæ quaſi Legatus voluit, atque crucem ante ſe habere, & populo benedicere, eique magna pars Electorum favebat. At legati Cæſaris exſurgentes, neutralem adhuc nationem dicere, Legatum non eſſe recipiendum, niſi declaratione facta, aut ſe abituros, aut Arelatenſem legationis inſignia poſiturum. Treverenſis Archiepiſcopus accuſare legatos Cæſaris, qui legatos Eugenii nationis hoſtes admittere vellent, legatos amici concilii recuſarent, res erat in controverſia, ſed major erat favor Arelatenſis. Jamque deſperare legati Cæſaris videbantur, niſi armati cives in medium proſilientes, bono animo eſſe legatos Cæſaris juſſiſſent, nam ſe fa-*

*facturos, quod ipsi imperarent, qui non Electoribus, sed Cæsari essent jurati. Ob quam rem animati Cæsaris oratores institere atque obtinuere, ut Arelatensis insignia legationis omitteret. Post hæc vocati sunt in auditorium Legati, qui Romæ fuerant, ut referrent, quæ acta Romæ essent. Gregorius id munus obivit, quæcunque dura Eugenius dixerat, in medium retulit, dulcia omisit. Illum nationi germanicæ infestum, suæ cervicis hominem, nullis movendum rationibus asserebat. Cardinales quoque universos accusabat, qui nationem gravare cuperent, Conciliorum auctoritatem spernerent, romanam curiam saginare studerent, cum unicuique suum vocabulum dedisset, Bissarionem Cardinalem græcum, quoniam barbam gestaret, hircum appellavit. At, cum pergeret maledicere, ab Ænea reprehensus est, quod mala accurate referret, bona nulla exponeret. Atque ipse, quibus modis res Romæ gesta fuerat, paucis absolvit. Exinde legati Cæsaris summo studio conati sunt Maguntinum archiepiscopum ex fœdere cæterorum Electorum abducere, sic enim & Federicum marchionem Brandenburgensem ab illis extraxisse putabant, qui fidem Archiepiscopi secutus fœdus intrarat, multa in eam rem praticata sunt. Johannes de Lisura fœderis & auctor & defensor Maguntinum in sententia tenebat. Cumque res diu inutiliter tractaretur, ad pecuniam tandem recurrere oportet, cui raræ obaudiunt aures. Hæc Domina curiarum est, hæc aures omnium aperit, huic omnia serviunt. Hæc quoque Maguntinum expugnavit. Non quod sibi quicquam promissum fuerit, sed inter quatuor ejus consiliarios duo millia florenorum rhenensium erogata*

A *sunt, quæ bono animo Cæsar solvit, ne se spreto, Electores ad partem concilii Felicisve declinarent, quam summam Nicolaus postea per Æneam Federico remisit. Hi ergo Consiliarii non veritatis amore sed auri dulcedine pellecti Archiepiscopum Maguntinum ad voluntatem Cæsaris inclinabant. Sed nolebat Pontifex ille juratum fœdus abrumpere sine causa justa, quærebatque modos honestiores. Cumque legati Cæsaris non possent menti ejus satisfacere, Æneas modum commentus est, qui receptis notulis, secundum quas se Principes obligaverant, nisi*

B *Eugenius illas admitteret, velle se eum deserere, omne venenum ex his ademit, novasque notulas composuit, per quas & Archiepiscopi depositi restituerentur, & nationi oportune provideretur, & auctoritas conciliorum salvaretur. Illasque dixit sua opinione Eugenium non negaturum. Jam Thomas Bononiensis advenerat, qui consensum Ducis Borgundiæ super restitutione Electorum obtinuerat, missus Æneas est cum novis notulis ad legatos Eugenii scisciturus, an eas Eugenius amplecteretur, quod si faceret, possibile esse, ne quid ille Francfordensis conventus adversus eum statueret. Thomas & Nicolaus Cusanus bonam spem fecere, Johannes durior videbatur, ob quam rem etiam verba asperiora inter Æneam & illum fuere. Reversus tamen Æneas spem dedit, notulas Eugenio placituras. Eas igitur Maguntino ostenderunt, dicentes, iniquum esse ab Eugenio discedere, qui notulas illas concessurus esset honestatis & justitiæ plenas. Tunc Maguntinus bona fide se dixit intrasse fœdus, sibi dictum fuisse, nihil Electores ab Eugenio velle, quod non esset*

C *bone-*

*honeſtum, at ſi jam his non contentarentur, ab honeſtate recederent. Placere igitur ſibi, ut notulæ in publico legerentur, quæreretur que vota multitudinis. Id quoque legati Cæſaris approbarunt; prius tamen notulas ab Ænea confectas Maguntinus, Brandeburgenſis, Magiſter Pruſſiæ, Archiepiſcopus Salzburgenſis, & Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & plures Alamaniæ principes ſubſcripſere. Cumque ventum eſſet in concionem, major pars notulas approbavit, Treverenſis & Colonienſis & Dux Saxoniæ adverſi fuerunt. Palatinus dubius manſit. Sic territi tres Electores nihil concludere auſi ſunt. At legati Cæſaris cum Maguntino Brandenburgenſi & aliis novum fœdus fecerunt, ſtatueruntque in futuro nativitatis Dominicæ feſto ad Eugenium mittere, atque ab eo petere, uti notulas approbaret: quod ſi faceret, mox nomine nationis obedientia ſibi præſtaretur, ſin autem, rurſus ad deliberationem res adduceretur. Hac deliberatione recta Treverenſis & Colonienſis confeſtim abierunt, ſolutusque conventus eſt. Arelatenſis cum his, qui ſecum ex Baſilea venerant, in latrones incidit, ſed ipſe fuga elapſus ſalvatus eſt rebus amiſſis. Cæteri omnes in captivitatem ducti ſunt, neque ſine magno damno poſtea dimiſſi. Legati Cæſaris ad eum reverſi admodum commendati ſunt. Legati etiam Eugenii Thomas & Johannes ad eum venerunt, commendaruntque geſta in Francfordienſi conventu, petiverunt quoque, ut forti animo Cæſar eſſet. Hi ſcripſerunt Eugenio rerum ſtatum, maleque ſuccedere ſibi intimarunt, niſi, quæ legati Cæſaris afferrent, acceptatum iret. Collegium Cardinalium diviſum erat, videbaturque magna pars adverſari his, quæ Francfordiæ concluſa erant, atque hi erant maxime Theologi, qui omnia graviora faciunt; ob quam rem Ludovicus Aquilegienſis, & Johannes Morinenſis Cardinales ſuadent Eugenio, ſi velit eccleſiæ pacem habere, novos ut Cardinales aſſummat, qui reſiſtere contradicentibus poſſint. Sic ſuaſus Eugenius quatuor Cardinales creavit, Archiepiſcopum Mediolanenſem, Abbatem ſancti Pauli præſentes, & Thomam Bononienſem ac Joan. de Caruaial abſentes & in itinere ad ſe redeuntes. Interea Johannes Vaivoda Gubernator Hungariæ, cum diu petiviſſet regni coronam atque confines, neque id obtinere poſſet, dicente Cæſare, coronam apud regem manere debere, caſtra vero juſto bello acquiſita non eſſe reddenda, niſi expenſis redditis; magnum armatorum exercitum in Auſtriam duxit, longe lateque populatus, villas & aperta loca omnia combuſſit, & quamvis altæ nives eſſent, tentoria tamen in campis ante novam civitatem fixit, neque frigore ullo terreri potuit. Nemo illi obviam factus eſt, quia non erat in Auſtria par equitatus. Cæſar Viennæ ſe continebat. Qui plurimum excedebant, dixerunt, Hungaros habuiſſe XX. Millia equitum, qui minus X, millia: cum hac tamen tanta manu nullum opidum expugnavit, nullamque arcem lucrari potuit. Neque magis ulla re nocuit, quam incendio. Imperator tamen aggreſſus occulte per ſuos milites caſtellum, quod vocant Hornſtein,* lapidem cornu *evertit atque diruit. Tandem vero Johannes nulla re memorabili facta in Hungariam rediit. Non tamen inter hæc Federicus res eccleſiæ neglexit, ſed Æneam atque Procopium equitem*

*Bohemum ad Eugenium misit, hisque facultatem dedit, si Eugenius notulas Francfordiæ concluſas acceptaret, ut nomine ſuo obedientiam ei reſtituerent: qui cum Senas veniſſent, in feſto nativitatis, maguntini & aliorum principum legatos ex condicto illic offenderunt, atque cum bis Romam profecti ſunt, ubi maximo cum honore recepti fuerunt, Eugenio obviam mittente omnes Curiæ Prælatos præter Cardinales. Johannes de Lyſura jam mutatus erat, & in legationem Maguntini venit. Cum veniſſent in conſpectum Eugenii, Æneas orationem habuit nomine omnium, quæ & Papæ & Cardinalibus gratiſſima fuit. Sed Eugenius ab ea die lectum ægritudinis incidit, ex quo nunquam ſurrexit. Delecti fuerunt Cardinales aliquot ad tractandum cum legatis nationis. Res per aliquot dies protracta eſt, tandem notulas Æneæ Eugenius ex conſilio Cardinalium acceptavit, tumque legati omnes ad eum in cubiculum ingreſſi ſibi jacenti & morti proximo obedientiam præſtiterunt. Isque in manus Æneæ litteras apoſtolicas dedit, præfatus ſe jam non ægre moriturum, quod eccleſiam, antequam vita excederet, ſuo ſplendori reſtitutam videret. Nam Teutonicis ad obedientiam reverſis, nullas jam vires nocendi Amedeo ſupereſſe videbat, vbi vero ex Thalamo ſive cubiculo Pontificis oratores exierunt, Cardinales publicum Conſiſtorium tenuere, in quo rurſus obedientia reddita eſt Eugenio, & lectæ ſunt Cæſaris litteræ, quæ id affirmabant. At cum Æneas inter eos, qui cum Cæſare ſe declarabant, & obedientiam præſtabant, magiſtrum Generalem B. Mariæ Theutonicorum nominaret, Procurator ejus, qui tum A forte aderat, Andreas Prutenus Plebanus in Danzich ſcientiæ Theologicæ non imperitus, reſtitit; putavit enim ſuo ordini injuriam fieri, quaſi neutralis fuiſſet, cum in romana curia dudum ante ſemper Eugenio obediviſſet. Sed retudit ejus petulantiam Æneas, qui eundem Andream fuiſſe Francfordiæ & litteras tractatus per oratores Cæſareos acceptaſſe, ſubſcripſiſſe, atque ſigillaſſe oſtendit. Quibus ex rebus omnes eum jure reprehenſum dixere, qui cum honeſte tacere cum honore potuiſſet, maluit cum rubore loqui, dignaque bis hominibus pœna eſt, qui pedem in duo B bus trudere calcibus volunt, cum tamen ſciant, duobus Dominis teſtimonio veritatis non facile ſerviri poſſe. Finito conſiſtorio mox tota urbe incenſi ſunt ignes, & quaſi de magna victoria nuntium veniſſet, & tubis & campanis ſignificata lætitia eſt. Sequenti die proceſſio ex ſancto Marco uſque ad ſanctum Johannem Lateranenſem per Cardinales & omnem clerum facta eſt, reliquiæque Sanctorum publice delatæ, ibique Jo. Cardinalis Morienſis in altari ſummo divina celebravit, vir magni conſilii & ingenii velociſſimi, qui C plurimum in ea concordia laboraverat. Actæ ſunt igitur Deo gratiæ ingentes, qui eccleſiam quaſſatam & laceram reduniſſet, ac divi Petri naviculam pene fluctibus ſuccumbentem ex profundo pelagi in tranquillum portum duxiſſet: factus quoque ſermo eſt, in quo cum Eugenius tum Federicus Cæſar divinis pene laudibus celebrati ſunt. Abhinc vero diebus quindecim Eugenius cum morte pugnavit, ſexta decima die victus, invictum animum Deo reddidit, atque in baſilica ſancti Petri loco, qui Vaticanus dicitur, apud Eugenium tertium ſepultus eſt. Neque*

*que gloriam ſepulcri quæſivit, qui priusquam moreretur, neque ſculpi ſibi lapides, neque levari in altum Sarcofagum, ſed humi ſuum corpus ſepelliri mandavit, ſciens quia facilis eſt jactura ſepulcri. Cardinales tamen ei honorificas exequias novem diebus perſolverunt. Eugenio, priusquam ſedem Petri aſcendiſſet, Gabriel nomen fuit, apud Venetos ex plebe ſed divitibus ortus mercatoribus, quibus vita functis adhuc adoleſcens, cum Antonio Corario nobili Veneto & coæquali ſuo, diſtracta paterna ſubſtantia, & in pauperes erogata religioſam vitam accepit. Exinde cum Angelus Corario Antonii patruus tempore ſchiſmatis ad papatum aſcendiſſet, quem Gregorium XII. appellaverunt, & hic nepotem ſuum ad Bononienſem eccleſiam promoviſſet, ne ſine comite religione exiret, Gabriel quoque vocatus eſt ad curiam, ac Senenſi eccleſiæ præfectus. Nec diu poſt ambo ad Cardinalatus excellentiam evecti ſunt, tantumque ambo dilexerunt, ut gemini vocarentur, dum Conſtantiæ in concilio generali agebant. At Gabriel divina ordinatione ſervatus, cum Martinus obiiſſet, Papa quintus, aliorum nulla, & ſua maxima ſpe ad pontificalem cathedram vocatus fuit. Tumque rubigo & indignatio inter geminos orta eſt, cum major altero alter viſus, qui dum erant æquales, nulla potuerunt adverſitate disjungi. Hic in papatu bellum mox cum Columnenſibus habuit, quos admodum humiliavit. Præfectum urbis novas res molientem capite plecti juſſit. Fulginates & Vrbinates tyrannos delevit, Comitem Antonium Piſanum ſuſpendio affecit. Apud Bononiam Antonium de Bentivoglis ſuſpectum regimini morte multavit, cum Rege Aragonum, cum Senenſibusque bellum geſſit. Cum Concilio Baſilienſi perpetuas lites habuit: a Romanis per ſeditionem captus, cum negligentius cuſtodiretur, fuga lapſus per Tyberim & Mare tyrrhenum Florentiam venit, exinde Bononiam & demum Ferrariam, ubi cum Græcis tractatum unionis inchoavit, & reverſus Florentiam finivit, ibique Patriarcham & Imperatorem Græcorum ad unionem reduxit, & Cardinales barbatos aliquos creavit, inter quos Biſſarion Nicænus vir doctiſſimus fuit, qui poſtea legationem apud Bononienſes magna prudentia obivit, & brevi tempore latinas litteras edidicit, adeo ut Ariſtotelis multa opera in latinum verterit. Eugenius quoque cum Philippo bellum habuit, poſtea ei reconciliatus eſt, cum rediiſſet Romam, Sigiſmundum Cæſarem, priusquam Roma fugeret, coronavit, duo apud eum potentiſſimi fuere, Johannes Vitelleſcus, qui & Cardinalis & Patriarcha Alexandrinus fuit, cordatus homo & audax, quem Eugenius ſuum Cæſarem appellabat, cum is aliquando Regi Aragonum terrori eſſet, ſed hunc poſtea accuſatum in carcerem conjecit, &, ut fama fuit, veneno extinxit. In cujus locum ſuffectus Ludovicus Patriarcha Aquilegienſis & ipſe Cardinalis adeo crevit, ut Eugenius titulum papatus, hic gubernationem haberet. Fuit autem Eugenius (1) alti animi, injuriarum tenax,*

(1) *Fuit autem proceri corporis & facie venuſta, ſpeciemque habuit dignam principe, ſed in Apoſtolatu magnis ægritudinibus attritus eſt, & quamvis aquæ potor vinum horreret, podagram tamen patiebatur, quamvis negaret eo ſe morbo teneri.* MARGO.

*nax, delatoribus aures præbuit, avaritiam calcavit, bonoris cupidus fuit, ubi ſententiam imbuit, non facile mutari potuit, religioſis viris admodum favit. Is Æneam, priuſquam moreretur, in ſubdiaconatus officium recepit. Dum moreretur, Alfonſus Rex Siciliæ & Aragonum Tyburtum venit, qui cognita morte nihil novitatis fecit, quamvis exercitum haberet, ſed ut religioſus princeps ſeſe continens legatos ad Cardinales miſit rogans, ut Succeſſorem Eugenio eligerent eccleſia digmum. Si quis impedimento eſſet, favorem obtulit contra illum: ad quem Cardinales miſſi duo gratias egerunt. Structo conclavi X die poſt obitum Eugenii Cardinales ad eligendum ingreſſi ſunt. Tum legati Cæſaris Æneas & Procopius eques, ad cuſtodiam conclavis cum cæteris regum legatis conſtituti ſunt. Dum res ventilatur electionis, Stephanus de Porcariis eques romanus ſolicitare plebem & in libertatem vocare cæpit, dicens omnem ſervitutem turpem, fædiſſimam autem, quæ præſbyteris præſtaretur, rogabatque romanos, dum Cardinales clauſi eſſent, aliquid audere pro libertate, ſed fuerunt qui ei reſtitere graves viri, Romam, niſi curiam Apoſtolicam haberet, ſpeluncam eſſe latronum dicentes, neque homines habere qui libertatem tueri poſſent: nihil funeſtius eſſe Romanis, quam perdere Papam, viſum eſſe experimentum, cum Eugenius captus eſſet. At Stephanus hic poſtea ex urbe pulſus eſt. Cumque Bononiæ relegatus eſſet, tandem quia malis actus fatis & ære onuſtus alieno, quieſcere non poterat, Romam clanculum rediit, factaque cum pleriſque conſpiratione, inuadere urbem ſtatuerat, & dominatum ſacerdotis ſummi abolere. Sed præventum eſt conſilium ejus, conſilio ut aiunt Jo. Cardinalis Sancti Angeli, atque ipſe & ſequaces capti & affecti ſupplicio ſunt. Ipſe in Caſtello ſancti Angeli laqueo vitam finivit. Cardinales vero dum electionem agere feſtinant, in varias ſententias incidunt, major pars Proſperum de Columna eligebat, virum nobilem & virtute præſtantem, ſed huic Vrſinorum amici & Veneti duo adverſabantur. Inter alios qui plures voces habuerunt, fuerunt Dominicus Cardinalis Firmanus gravis pater & doctrina plenus, & Johannes Cardinalis Portugallenſis, lætus & jucundus homo, nemo tamen XII. voces habere poterat, ut duas videretur collegii partes adeptus. Demum vero, dum contentio eſt vehemens præter ſpem omnium Thomas cardinalis Bononienſis electus eſt. Sed ipſe quodammodo certus ejus rei fuerat ex ſomnio, quod ſibi nocte, quæ mortem Eugenii prcæeſſit, evenerat. Nam ſibi per quietem viſus fuit ad Eugenium in thalamum veniſſe, qui exuens veſtimenta ſua eum induerit, ac deinde birretum, quod in capite habebat, detrahens capiti Thomæ impoſuiſſe, & accepta manu ejus dixiſſe: Sede hic: ego ad Sanctum Petrum ibo: tu meum locum in hac cathedra tenebis, quæ res Thomæ rem certam quodammodo de pontificatu fecit, ſicut ipſe poſtea in cubiculo ſecreto Enea preſente & duobus Vlricis Sonnenberger & Rider Cæſari narravit, cum Cæſar ipſe ſuum ſomnium referret, qui nocte, qua Thomas ex Auſtria receſſit, Romam iturus ſomniavit, ſe manibus Thomæ Imperatorem coronari, quod ſibi mirum videbatur, quia non a Papa, ſed ab epiſcopo coronaretur, ſed audito eo*

*in Papam electum, tum certum ſo-*
*mnium credidit, & fixum mente geſ-*
*ſit, ab eo ſe coronam accepturum.*
*Hic Thomas electus in papam Ni-*
*colaus quintus vocatus eſt, cui mox*
*rex Aragonum & Italia tota obedien-*
*tiam dedit. Tum quoque & Hiſpa-*
*ni & Galli & Teutones & quicquid*
*Chriſtianitatis eſt ad ejus devotionem*
*venit. Nam & Amedeus Sabaudiæ*
*dux, qui apud Baſileam papatum ar-*
*ripuerat, ubi Germanos ad Nico-*
*laum declinaſſe accepit, fractus animo*
*pacem petiit, & accepta per ſuum*
*territorium ad vitam legatione, pa-*
*patum reſignavit, contentus in car-*
*dinalatu vivere. Hic Nicolaus The-*
*odericum Colonienſem & Jacobum*
*Treverenſem, quos Eugenius depo-*
*ſuerat, ſuis dignitatibus reſtituit.*
*Patrimonium eccleſiæ, quod tyranni in-*
*ter ſe partiti fuerant, ex integro recu-*
*peravit. Annum Jubilæum conceſſit,*
*Imperatorem & Auguſtam, ut ſuo loco*
*dicemus, coronavit: fuit autem corpore*
*parvo, ſed animo maximo. Hic ex*
*Lucanis originem duxit, quamvis apud*
*Sarezanam honeſtis ortus parentibus*
*pueritiam egerit. Senis ac Bononiæ*
*litterarum ſtudio incubuit, commen-*
*datus autem Nicolao epiſcopo Bononi-*
*enſi, qui poſtea Cardinalis ſanctæ Cru-*
*cis creatus fuit, in ejus familiam rece-*
*ptus eſt, apud quem adeo crevit, ut*
*omnem domum ſolus regeret, cum eo*
*in omnibus legationibus fuit, quas ille*
*multas, & magnas obivit. In civitate*
*Pariſienſi magiſtratum theologiæ ſu-*
*ſcepit. In diſputationibus & ſubtilis*
*& vehemens fuit, nullum ei genus*
*litterarum incognitum, hiſtorias ma-*
*xime calluit. Ingenium ei velox, &*
*memoria tenax, quod raro concurrit.*
*In diſputationibus Græcorum magnum*

*nomen aſſecutus eſt, vivente Cardinali*
*cum promoveretur ad eccleſiam urbina-*
*tem, noluit acceptare, illo mortuo, cum*
*Cardinalis Aquilegienſis eccleſiam ſibi*
*commendatam Bononienſem reſignaret,*
*libens accepit, ſed quamvis ei Bononi-*
*enſes poſſeſſionem darent, eum tamen*
*intrare Bononiam, aut ibi permanere*
*non permiſerunt. Epiſcopus factus*
*in Alamaniam bis miſſus eſt per Sa-*
*baudiam, incognitus ad Borgundiam*
*tranſivit, & ad unionem eccleſiæ ve-*
*hementer intendit, quæ res ei cardi-*
*nalatum conceſſit. Quantum vero*
*animo hic valeret, & quam vaſtus ſit*
*ejus animus, ejus ædificia monſtrant,*
*quo nemo aut magnificentius aut cele-*
*rius aut ſplendidius quam ipſe edifica-*
*vit. Nam turres & muri per eum*
*conſtructi nulli priſcorum operum vel*
*arte vel magnitudine cedunt. Ad*
*hæc accedit eloquentia, & laudatæ re-*
*ſponſiones ejus, quas ex tempore dat.*
*Divina ſæpe & libenter celebravit.*
*Ad hæc non nihil mali erat, nam ſi-*
*bi nimium credidit, neque facile alie-*
*num conſilium ſequebatur. In ponti-*
*ficatu mox podagram & arthriticam*
*incidit, cujus ante fuerat expers, ne-*
*que medicis auſcultare voluit vinum*
*prohibentibus, dicens, neque præceſſori*
*ſuo profuiſſe vino abſtinere, neque cap-*
*ponibus, ſeu pullis gallinaceis, aquam*
*bibere qui podagram paterentur. Pri-*
*uſquam cardinalatum aſcenderet, erga*
*inferiores elatus fuit, erga ſuperiores*
*humillimus. Hoc ergo in papam aſ-*
*ſumpto, Æneas ac Procopius ad Cæ-*
*ſarem redierunt, cui grata electio*
*Nicolai fuit. Ac propterea mox Æ-*
*neam & Artongum ad Aſciaffburg*
*tranſmiſit, ubi conventus cum magun-*
*tino præſule, & aliis pleriſque princi-*
*pibus tenendus erat, miſit etiam ad*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*alios electores, atque omnes in ſuam ſententiam traxit, ut Nicolaum relicto Felice ſequerentur. Interim & Cardinalis Sancti Angeli Legatus Nicolai ad Federicum venit, qui magno receptus honore cum natione germanica nomine Sedis apoſtolicæ concordavit, atque modum ſtatuit, qui ſervandus eſſet in futurum, & circa collationes beneficiorum, & circa cauſas. Is quoque venientibus Hungaris ad Viennam, & querelas agentibus, concordare tentavit, & non potuit, ivit autem in Hungariam & poſtea in Bohæmiam, ſed cum pertinaces hereticos inveniſſet, ab eis indignatus receſſit. Tranſiens autem Coloniam, inter archiepiſcopum & ducem Cliuenſem pacem fecit, qui diu certaverant, deinde totam Alamaniam in reverentia Nicolai confirmavit. Dum hæc aguntur, Philippus Maria Dux Mediolani clarus fama princeps, cum prius oculum perdidiſſet, ex diſſenteria non relictis legitimis hæredibus mortem obiit, teſtamento autem Alfonſum Regem Aragonum hæredem inſtituerat, at eo ſepulto, mox populus Mediolanenſis arma ſumpſit, atque inconſulta temeritate dominatum ſibi arripuit, vocatoque Franciſco Sfortia Vicecomite, ſtipendium ei dederunt, ut civitates, quæ deſciviſſent, armis ad obedientiam compelleret, ea eſt enim humani generis ſtultitia, ut ſe quisque libertate, alium ſervitute, dignum exiſtimet. Verum Papienſes ad Comitem ipſum defecerant, Placentini ad Venetos, Aſtenſes & Alexandrini ex parte ad ducem Aurelianenſem, alii ad alios, cum ſe in libertate tueri non poſſent, defecerunt. Igitur Comes Placentiam expugnabat; Bartholomæus Bergamenſis, dux exercitus alterius, apud Alexandriam ſuperbientes & inſoleſcentes Gallos magno prælio delevit. Inter hæc Federicus legatos ad Mediolanum miſit Federicum Epiſcopum Secovienſem, Æneam electum Tergeſtinum, Gaſparem Slik Cancellarium, Johannem Ungnad Magiſtrum Cameræ, Jacobum de Caſtro Romano nobilem equitem, & Pancratium Riſciad conſiliarios ſuos, qui jus Imperii peterent: nam ducatus mortuo Philippo abſque legitimis hæredibus ad Imperium devolutus erat. Hos Mediolanenſes velut dominos honoraverunt. Sed cum dominium peteretur, aiebant, Mediolanum imperii quidem eſſe, ſed ſuis legibus relictum, nihil Imperatoribus debere, præter quingentas libras imperialium annuas, ſic enim in pace Conſtantiæ diffinitum fuiſſe tempore Conradi Cæſaris affirmabant. Hic quoniam ad res Mediolanenſes ventum eſt, tempeſtivum videtur aliqua de hujus urbis fortuna referre, quæ apud veteres hiſtoriarum ſcriptores invenimus, hæc urbs antiquiſſima eſt, & a Gallis olim condita dicitur, cum romana res floruit, ſub imperio Romanorum fuit: hic multi Cæſares ſuam curiam tenuerunt, maxime Valentinianus & Theodoſius. At poſtquam Romana ſublimitas inclinavit, intrantibus Italiam Longobardis, in eorum poteſtatem omnis terra redacta eſt, quæ prius Gallia ciſalpina a Romanis dici ſolebat, atque a Longobardis Longobardia dicta eſt, regnumque ibi Longobardorum conſtitutum eſt, cujus caput Mediolanum fuit. Verum cum Longobardi eccleſiam Romanam infeſtarent, Pipinus rex Francorum, & Carolus ejus filius eccleſiæ ſubvenientes Longobardos attriverunt, non tamen*

*tamen extincti sunt, sed ad Reges usque Theutonicos perdurarunt, atque ab his exterminati fuerunt, regnumque tunc Longobardiæ apud Imperium retentum, quod Imperatores Theutonici nunc per se nunc per alios administrarunt, Mediolanum autem & cæteræ civitates Lombardiæ sæpius rebellarunt, & a Federico barba rubea mirum in modum correptæ fuerunt, maxime autem Mediolanum, quod funditus delevit. Sed optimo loco civitas condita quamvis deleta, deleri non potuit, mox quoque reparata est, & in pristinam ubertatem reducta. At cum sæpe civitates Lombardiæ a Regibus Theutonicis deficerent, quod eorum mores ferre non possent, tandem apud Constantiam imperante Conrado pax facta est, & leges datæ Longobardis, secundum quas viverent. Maxima quidem libertas eis data est, non tamen inter illas Mediolanum fuit, quod per vicarios Cæsaris administrabant, diu vicariatus apud nobiles de Turri servatus est, sed Henricus VII. cum intrasset Mediolanum, persuasus a Vicecomitibus, nobiles de Turri non esse Imperio fideles, novasque res moliri, atque Imperatorem occidere velle, vicariatum ab eis abstulit, deditque Vicecomitibus. Patulæ sunt enim malis suasoribus aures principum, neque aliud facilius credunt, quam proditionem, delatus autem, priusquam audiatur, extinguitur. Vicecomites, cum diu vicariatum Mediolani tenuissent, tandem dominium usurparunt, inter quos multi memorabiles Principes fuerunt, maxime Johannes, qui, cum esset urbis Pontifex, susceptа tutela pupillorum fratris filiorum, totam Italiam ad terrorem compulit, non enim contentus Lombardiæ A limitibus in Tusciam transmisit exercitum, ac Pisas, Senas, Perusium, Lucam in potestatem suam redegit. Florentiam obsidione cinxit, post cum Barnabas dominatum arripuit, homo sævus & implacabilis, qui cum Johannem Galeaz fratris filium & generum veneno perdere statuisset, ab eo captus & in carcerem conjectus apud Trecimum in vinculis diem finivit. Johannes autem Galeaz, cum auctus potentia omnem Lombardiam in potestatem suam redegisset, ac Bononiam, Pisas, Senam, Lucam, Perusium occupasset, Florentiam obsessam teneret, B apud Venceslaum Cæsarem, qui fuit Caroli quarti filius, gratiam invenit, qui pecunia sive precibus corruptus Mediolanum in ducatum erexit, ac Galeaz & qui ex eo nascerentur legitimos hæredes Duces Mediolani creavit, ob quam rem Principes electores illum ab Imperio amoverunt, ac Ropertum de Bavaria sibi substituerunt. Quem, dum Romam pergeret, magnumque comitatum secum duceret, Galeaz, qui Venceslao parebat, neque adversus eum coronari quemquam volebat, aggressus bello confregit, atque inglorium & victum in patriam C redire compulit, cui non diu post mortuo, Jodocus Marchio Moraviæ & Venceslai frater successit, sed hic quoque intra semestre defunctus Sigismundo Cæsari locum fecit. At defuncto Galeazio, Johannes filius in ducatu successit, vir pulcro corpore, sed humanitatis omnis expers, cupidus sanguinis & fera quavis immanior; quem non pudebat manu propria insontes occidere, hic dum suos insequitur, neque custodibus corporis parit, ab ipsis occisus est, quos sui corporis existimabat esse custodes. Digna ultio, ut nullos fide-*

*fideles inveniat, qui nullis eſt ipſe fi-*
*delis. Hoc mortuo frater ejus Philip-*
*pus ducatum invaſit, qui, ut poſſet mi-*
*lites in armis continere, relictam Fir-*
*xini civis, qui magnus apud patrem*
*fratremque fuerat, admodum pecunio-*
*ſam, ſed annis gravem duxit uxorem,*
*cujus auro retentis militibus Mediola-*
*num obtinuit, at uxorem paulo poſt*
*quaſi adulterii ream & duas ancillas,*
*ut ajebant, criminis conſcias gladio*
*juſſit interimi, exinde virginem quan-*
*dam nobilem Mediolanenſem apud ſe*
*admodum commendatam in curiam vi*
*recepit atque corrupit, ex qua natu*
*eſt Blanca, quæ demum Franciſco*
*Sfortia Vicecomiti nupſit. Deinde*
*filiam Amedæi Ducis Sabaudiæ duxit*
*uxorem, dum bello Veneto premere-*
*tur, cum qua vel nullam vel modicam*
*conſuetudinem habuit. Hujus viri*
*varia fortuna fuit, perſecutus fratris*
*percuſſores uſque ad unum ad mortem*
*compulit, Lombardiam omnem in po-*
*teſtatem redegit. Genuam Liguriæ*
*potentiſſimam urbem, a qua pater ab-*
*ſtinuit, ſubjecit ſibi. Saonam Alben-*
*gamque & omnes illas oras Maris*
*Liguſtici, Bononiam, Imolam, For-*
*livium occupavit, poſtea eccleſiæ Ro-*
*manæ reſtituit, exercitum in Tuſciam*
*mittens gravi bello Florentinos attri-*
*vit. Qui cum non poſſent ejus vires*
*ferre, Venetos in belli ſocietatem ex-*
*civerunt, duri erant Veneti, neque*
*terreſtrem pugnam libenter accipie-*
*bant. Sed movit eos Franciſcus Car-*
*mignola, magnus armorum ductor,*
*qui a Philippo fugiens cum veniſſet Ve-*
*netias, ait ſe ſcire Philippum, ſi Flo-*
*rentinos vinceret, mox Venetos ag-*
*greſſurum, quia Italiæ regnum appe-*
*tat, atque a debilioribus incipere, ut*
*iis victis fortior factus fortioribus par*
*fiat, atque ſuperior. Florentini quo-*
*que, cum in Senatu Venetorum cau-*
*ſam ſuam agerent, eosque tardos remiſ-*
*ſosque cerneret; quid cunctamini in-*
*quiunt Veneti? Nos ſi Philippo ſuccum-*
*bimus, illum Italiæ Regem conſtitue-*
*mus, vos cum Cæſare victi efficiemini.*
*His igitur motus Venetorum Senatus*
*hortante Franciſco Carminiola, qui res*
*Lombardiæ optime norat, bellum non*
*laceſſiti, Philippo intulerunt, atque pri-*
*mo aggreſſi Brixiam per proditionem*
*obtinuerunt, ob quam rem coactus*
*eſt Philippus exercitum ex Tuſcia re-*
*vocare, diu pugnatum eſt, at cum*
*victus Philippus omnem equitatum ami-*
*ſiſſet, Franciſci Carmignolæ opera ſu-*
*ſtentatus eſt, qui omnes captivos exu-*
*tis armis remitti juſſit, quæ res Fran-*
*ciſco invidiam apud Venetos peperit, ex*
*qua poſtea in ſuſpicionem adductus &*
*proditionis accuſatus, capitali ſenten-*
*tia damnatus eſt. Hujus belli pax facta*
*eſt auctore Cardinali ſanctæ Crucis.*
*Fovit tamen pacem Philippus; nam cum*
*fraude ſubreptam Brixiam recuperare*
*debuiſſet, ne Mediolanum perderet,*
*Bergamum victoribus addidit. Hic*
*duce Angelo de la Pergula Suicenſes*
*(1) magno conatu Italiam ingreſſos*
*apud Belizonam in alpibus crudeli bello*
*& Sanguineo delevit, nam Suicenſes*
*amplius quam mille trucidati ſunt.*
*Cœpit & ſecundum bellum (2) cum*
*Venetis & Florentinis, in quo Venetos*
*in valle Tellina proſtravit. In Pado*
*ma-*

(1) *Hoc de Suicenſibus præcedit.* MARGO.

(2) *Exinde cum Florentini tyrannum Lucanum Paulum Domſii invaſiſſent, Franciſcum Sfortiam auxilio illi miſit, qui cum comperiſſet Paulum cum Florentinis paciſci, per Antonium Petrucium Senenſem animoſum equitem inſidias prævenit, & Paulum cepit, Lucam autem liberam dimiſit, ſed nec diu poſt cum Florentini*

*magnam eorum classem vi cepit, ductores eorum apud Imolam bello vicit, & in captivitatem recepit, duo ei belli præcipui Duces fuerunt, Nicolaus Picennus, & Franciscus Sfortia, qui cum sese ferre non possent, magnis cladibus Philippum affecerunt. Sigismundus hoc tempore Mediolanum venit, coronatusque apud Sanctum Ambrosium, nunquam videre Philippum potuit, ob quam rem non parva inter eos simultas fuit, nam postea Eugenio se junxit Sigismundus, qui Venetis contra Philippum auxilia mittebat. At Philippus misso Piceno in Tusciam, & Francisco in Marchiam, omne patrimonium ecclesiæ occupavit, atque ipsum Papam in urbe captum ad fugam compulit. Sed Franciscus ab eo deficiens ad Venetos transiens res Philippi turbavit, qui, si fidem servasset, Italiam illi subjecisset. Hic tyrannos Lombardiæ multos oppressit, & occidit gladio. Alfonsum Regem Aragonum & Johannem Regem Navarræ omnemque nobilitatem Regni Siciliæ & Aragonum navali bello victam apud Insulam Scantiam in captivitatem redegit, sed animo magno omnes sine prætio liberos & multis muneribus donatos remisit, inauditam & apud nullos historicos relatam liberalitatem exercens. Hic, quamvis uno bello Venetos, Florentinos, Mantuanos, Sabaudienses, Pulavicinos, Suicenses & Montisferrati Marchiones adversus se haberet, forti animo restitit, tutatusque Regnum est. Secundum bellum quod cum Venetis & Florentinis gessit, arbiter Franciscus Sfortia terminavit finesque regni Venetorum usque ad flumen Adduam protendit. Ipse promissam Blancam duxit uxorem, & Cremonam nomine dotis accepit. Sed liberalitas Philippi magno ei detrimento fuit; nam Genuam & universam Liguriam rebellantem amisit. Itaque afflictus in senio ægre se habuit, anxius tamen tertium bellum cum Venetis accipere conatus est, in quo, cum se dietim succumbere cerneret, & morbo corporis attritus, & anxietate animi vexatus animam exhalavit. Qua re percepta legati, utante diximus, Cæsaris Mediolanum venere, qui ubi diu ac diu de dominio tractarent, cum efferatam libertate multitudinem ad æquitatem reducere non possent, ab inde recesserunt. Erat autem intentio Mediolanensium regere Mediolanum, neque alium supra se habere, nisi Cæsarem nomine, cui ob reverentiam dominii in annos singulos auream pateram quingentorum aureorum offerebant. Legati vero ducatum morte ducis ad Imperium devolutum ex integro petebant, passi tamen fuissent ordinari in civitate regimen ex civibus, dum pars vectigalium major ad Cæsarem venisset. Hic quoniam res Mediolanensis cæpta est, cum Cæsar duabus vicibus postea illuc Legatos miserit, usque ad finem prosequenda res videtur. Non multo post, cum Franciscus Sfortia Placentiam vi cæpisset exposuissetque prædæ, atque in agrum Brixianum se contulisset, elati successu rerum Mediolanenses, Franciscum*

*tini Lucam obsedissent atque ad famem compulissent Nicolaum Piccenium Philippus misit, qui magno prælio Florentinos devicit, Lucam liberavit, agrum Pisanum invasit, Senenses in bellum impulit, agrum Aretinum vastavit, atque in tantam desperationem Florentinos adduxit, ut nisi denuo Venetos in Lombardia movere bellum suasissent, actum de ipsorum libertate fuisset.* MARGO.

*ciſcum opprimere ſtatuerunt, tractantes cum Venetis ejus ruinam occulte. Qui ubi dolos præſenſit, prior in Venetorum amicitiam ſe ſe recepit, atque in has leges cum eis venit, ut ad obtinendum Mediolanum auxilio ei eſſent. Sicque mox infeſtis ſignis Franciſcus ad Mediolanum divertit. Mediolanenſes territi tanta rerum mutatione Carolum de Gonzaga & Franciſcum Piceninum in urbem vocarunt, atque cum his civitatem defenderunt. Interim Federicus, cum attritos eos cerneret, rurſus ad eos miſit Artongum de Cappel & Johannem Hinderbach juris interpretes, ſi fortaſſe mentem recepiſſent & ad imperium reverti vellent, offerens his auxilium, ſi ſuum Dominium recognoſcerent. At civitas eo tempore in tumultu fuit, nam plebs timens, ne nobiles Franciſco Sfortiæ ſe ſubmitterent, ab his regimen accepit, & occiſis novem nobiliſſimis civibus omnem poteſtatem in ſe recepit, nihil in tanto motu concludi potuit: ſed miſerunt Mediolanenſes Bartholomæum Regna ad Cæſarem, qui tentaret ejus animum. Intererea & ad regem Aragonum, & ad ducem Sabaudiæ legatos miſerant, nec minora illis quam Cæſari promittebant. Illo audito, cum omni die magis ac magis civitas Mediolanenſis opprimeretur, Cæſar tertio tentare eos voluit, miſitque ad eos Æneam epiſcopum Tergeſtinum & Arthongum, qui cum magnis periculis Comum veniſſent, non poterant ulterius ire ſine magno comitatu, cum Franciſcus Sfortia omnia inter Mediolanum & Comum occupaſſet, diligenterque obſervaret, ne legati Cæſaris urbem intrarent, qui ſibi prædam e faucibus eriperent. Itaque duobus de viginti diebus manere Comi eos oportuit, antequam comitatum haberent. Medio tempore rurſus regimen urbis mutatum eſt, & a plebe in nobilitatem receptum, quæ res Comiti ſalutem attulit, nam, qui nolebant Imperium, in carcerem conjecti fuerunt. Cum autem Legati Cæſaris non poſſent ſecurum habere conductum; et cum periculo ire Mediolanum decreverunt. Itaque procuratis aliquot peditibus & equitibus nocte iter aggreſſi ſunt, & ducente Deo omnes excubias fefellerunt, pauloque poſt ortum ſolis Mediolanum ingreſſi ſunt. Cum veniſſent ad Senatum, petiverunt populum congregari, cui Cæſaris mandata referrent. Inter X. viros qui ſummam reip. gerebant, Guarnerius de Caſtilione fuit, vir doctus & facundia exuberanti, qui per leges non licere ait convocare populum: ad quem cum Æneas reſpondiſſet, nullas illius urbis leges ligare Cæſarem, ſeque juſſum eſſe, id petere, dixiſſet, omnes magiſtratus, qui aderant, convocandum populum ſtatuerunt, ut in ſequentem diem mandata Cæſaris audiret. In curiam igitur cum magna multitudo conveniſſet, narravit Æneas breviter, quibus ex cauſis jam bis Cæſar Legatos ad eos miſiſſet, utque neque primi neque ſecundi petitiones obtinuiſſent, quæ tamen juſtæ fuiſſent. Nam civitatem illam ejusque regimen ad Imperium pertinere, nemo dubitaret. Non tamen eveniſſe illis bene, qui Cæſaris mandata parvi feciſſent, ſed cecidiſſe eos ex alto gradu, jamque oppreſſos eſſe, & obſidione circumdatos, potuiſſe igitur Cæſarem illos dimittere, & fortunæ ſuæ relinquere, ſed miſertum eſſe nobiliſſimæ civitatis, & civium, qui libertatis amore decepti fuiſſent, velle ad huc eis opem ferre, atque hoſtem repellere, ſi ipſi reſipiſcant,*

*ſcant, & Cæſarem, ut eſt Dominus, recipiant, nam facile ſibi ſit, comitem Franciſcum repellere, qui amicos habeat & pecuniam, qui a Sabaudia uſque in Iſtriam cum patrimoniali dominio Italiam cingat, qui & Sigiſmundum patruelem & Suicenſes in Comitem præſto armare poſſit, ipſe in Venetos, niſi pedem retrahant, per Forum Julii irruere poſſit, & alios in Italia Principes Imperii fideles in auxilium devotæ civitatis poſſit adducere. Itaque hortabatur eos, ut conditionem acciperent, neque amplius libertatis dulcedine fallerentur, quam diu retinere non poſſent. Scirent tamen ſub Imperio veram eſſe libertatem, ubi naturalis Dominus juſtas leges dicit, neque ulli gravis eſt. Ad hæc moderate & facunde Guarnerius non pauca reſpondit, multumque de bono libertatis dixit. Tandem concluſit, civitatem deliberaturam & daturam aliud reſponſum. Ea die ad hoſpitium Legatorum magnus civium concurſus fiebat, & quaſi jam reſp. ad Cæſarem veniſſet, Legatos ejus ſalutabant. Sequenti nocte populi trium portarum in arma ſurgentes, vivat Imperium clamabant, quod ſi quartæ portæ plebs aſſurexiſſet, acta res erat; nam ſex portarum populis civitas gubernabatur, concurriſſet quoque pars major, niſi præſides civitatis accurrentes ſiſtere populum juſſiſſent, dicentes ſe quoque Imperium velle, ſed honeſto modo cum legatis procedendum eſſe, ut honor civitatis ſalvaretur, ſicque tumultus compreſſus fuit. Tunc & Carolus de Gonzaga ad Legatos venit, incuſans Gubernatorum fallaciam, qui populum ſeduxiſſent, quod ſi Legati alteram publicam audientiam peterent, venturum ſe cum plebe ſibi amica promittebat, excitaturumque tumultum, moxque populum Imperium vocaturum. Sed Legati id ſibi minime commiſſum ajebant, ut in civitate tumultum facerent. Si cives ſuapte ingenio parere vellent, recepturos ſe Cæſaris nomine obedientiam, ſin vero, domum ituros relaturosque res geſtas, quod poſtmodum Cæſari viſum foret, id faceret. Tunc Carolus animo motus non fuit amplius his amicus. Cives quoque illum ſuſpectum habuere, qui Legatos Cæſaris toties accederet. Suſpicionem autem auxit, quod inter loquendum Legati dixerant, ſi civitas Cæſaris mandata reciperet, Gubernatorem inſtituere vellent hominem Italum & civitati gratum, quem illi mox Carolum intellexerunt, qui erat omni plebi acceptus atque deinde inſidias ei parabant. Cum autem Legatis reſponderent, ajebant ſe Cæſaris eſſe ſubditos, velleque ſibi parere ſalvis eorum privilegiis, petebantque ut eis Cæſar adverſus hoſtem ſolatia ferret. At cum Franciſcus eos amplius atque amplius premeret, Nicolaum de Arzimboldis ad Legatos miſere, qui jam receſſuri erant, atque has Cæſari leges offerebant. Placere Mediolanenſibus Gubernatorem accipere natione Theutonicum, qui Cæſaris nomine in civitate jus diceret. Senatum vero retinendum, qui regimen urbis haberet, qui civitatem cuſtodiret, ac jus pacis & belli haberet. In cæteris quoque civitatibus, quas tunc poſſiderent, Gubernatores accipere vellent, quos Cæſar nominaret, ſed ab illis appellationem eſſe volebant ad gubernatorem Mediolanenſem, ab illo vero provocari non poſſe. Pro civitate Mediolani offerebant annis ſingulis Cæſari auri quinquaginta millia florenorum, de cæteris civitatibus medios redditus ei præſtare volebant. Tum quo-*

*quoque id adjiciebant, si quam civitatem in Lombardia Mediolanenses suo milite vicissent, eam ab Imperio in vicariatum perpetuum obtinere volebant, præstituri exinde censum annuum, qui decens videretur. Feuda omnia nobilia in manum Cæsaris offerebant, volebant tamen vasallos post juramentum, quod Cæsari præstarent, etiam civitati fidem jurare, quod ei non essent noxii, atque hæc omnia offerebant, si Cæsar auxilium his præberet, quo Franciscum ab obsidione repellerent. Hæ conditiones non videbantur Legatis aspernandæ, non tamen illas amplecti poterant, quibus integrum Dominium mandatum erat expetere, sed dixerunt se Cæsari ea relaturos, atque responsum missuros, moxque conscensis equis, cum haberent litteras securitatis a Francisco Sfortia, ad eum venerunt, quem in castris sexto milliario repererunt, atque cum eo Legatos Venetorum & Florentinorum. Exercitus ejus vix viginti millium fuit, cum quo civitatem centum millium hominum obsedit. Sed erant sui pugnandi periti, vulgus civitatis ineptum & divisum erat. Ingressi ad eum, cum secretam audientiam petivissent, mox ille omnes emisit, mansissetque solus cum Legatis, nisi Cancellarium ipsi remanere jussissent. Oratio Legatorum Cæsaris in hanc sententiam fuit: dicebant, civitatem Mediolanensem morte Philippi, qui sine legitimis hæredibus decessisset, ad Imperium devolutam, indignum videri Cæsari, quod is civitatem Imperii invaderet, qui tamen ab Imperio insignibus esset ornatus, quique pridem Cæsari obtulisset, ad sua se stipendia venturum, si vellet, atque juvaturum Cæsarem ad obtinendum Ducatum Mediolani. Vtcunque tamen res se haberet, si adhuc Franciscus Imperio servire vellet, atque juvare ad obtinendum Ducatum, magnas ei Cæsar conditiones faceret. Ad ea Franciscus: verum esse ait, quod se Cæsari obtulisset, nam tunc & Veneti sibi & Mediolanenses erant infesti, ob quam rem status suus ruinæ subjacebat, nisi cito sibi ipsi consuleret. At cum Cæsar nullum sibi responsum dedisset, neque ipse amplius expectare posset, inter duos inimicos minus insolescenti, & magis potenti se conciliavit, atque in Venetorum gratiam venit, quibus sese obligavit insequi Mediolanenses, qui fidem ejus fefellerant & sibi mortales parassent insidias. Itaque bellum sibi justum adversus eos esse, qui tamen non essent Imperio fideles: ajebat præterea, se invenisse in castro Papiensi Philippi litteras, quibus uxorem suam hæredem omnium Dominiorum reliquisset; non debere Imperatorem ægre ferre, quod Mediolanum acciperent, nam se in eo Dominio fidelem futurum Cæsari, & facturum quodcunque alius qui illud Dominium esset habiturus, multumque commendari Cæsari jubebat, atque his dictis remisit legatos. Hic, quia de Francisco loquimur, non est abs re pauca de ipso loqui & ejus originem & vitam exponere. Homo fuit eminentis staturæ, & habitudinis carnosæ, albus, commixta rubedine, læta facie, calvus, oculis illustrioribus, toto corpore pulcher, facundiam cum prudentia conjunxit. Hic filius Sfortiæ fuit extra matrimonium natus. Sfortia ex villa, quæ vocatur Cotignela, non longe a Faventia humili loco natus est. Sunt, qui eum relicta domo in militiam profectum, primo mulionem, postea mangonem fuisse, atque*

*cum*

*cum esset manu promptus, & audax ac prudentia non mediocri ad equestrem militiam ascendisse. Quæ sequuntur certa sunt. Crevit homo, Duxque multorum factus, in regno Neapolitano armis sibi magna Dominia vendicavit. Nam & Beneventum & Mamfredoniam, & Trojam in potestatem suam redegit. Sedente Martino Papa quinto, Dux ecclesiasticæ militiæ fuit, multaque bella feliciter gessit, sæpiusque cum Braccio tyranno Perusino conflixit. Ad extremum, cum illum quæreret, detrectantem bellum, dum Vulturnum flumen trajicit exercitum, forte puerum, quem amavit, periclitantem in undis aspexit; cui dum ferre opem vult, ipse sibi nocuit, atque cum illo pariter voragine fluminis absortus, quamvis sæpe quæsitus, nunquam visus est. Cum hoc Johannes Ptolomæus Senensis Æneæ patruus militavit, qui Sfortiam in exercitu suo tantæ auctoritatis fuisse referebat, ut, quicquid futurum diceret, milites crederent. Ajebat etiam, temuisse illum quindecim diebus universum exercitum in aspera silva, neque fuisse, quid equis darent, nisi quercinas frondes. Milites autem parum panis habuisse, atque propterea, cum milites murmurarent, abiturosque se dicerent, processisse illum in medium, hortatumque commilitones, ut patienter ferrent, nam post biduum omnes frondes, quas equis dedissent, in aurum reddituras eis, adeo efficaciter dixisse, ut nullus verum dubitaret, quod ipse dixerat, nec mentitus est, nam tertia die, victis hostibus, ditissima & opima spolia retulerunt. Post mortem ejus milites ætatem filii contemnebant, qui tunc adolescens fuit Franciscus. Sed ille vocatis eis in concionem paternos libros quibus omnes debitores erant, asferri jussit, & in medium comburi, promittens nova stipendia, qui secum militare vellent, amaturumque se eos semper, qui patri fideles essent, deditque omnibus & standi & abeundi libertatem. Tum forte Philippus Mediolani aurum ei miserat, quo posset comitatum retinere atque alere; milites, ut liberalitatem adolescentis & prudentiam cognoverunt ætate majorem, omnes se cum eo & mansuros & morituros jurarunt. Franciscus in servitio ecclesiæ perseverans Braccium paternum hostem & ecclesiæ crudelem inimicum apud Aquilam bello vicit & captum Martino tradidit. Verum neque hujus hominis fortuna reticenda est, qui ex parvo gradu in altum ascendit statum. Fuit Braccius nobili apud Perusinos, sed paupere familia natus, militia ejus prima in sex equis cæpit. Sinistrum ejus latus aridum ac præmortuum erat, facundia præcipiti, &, ut Perusina est, jocosa fuit, blandus alloquio, crudelis opere. De clavibus ecclesiæ, de Christo, de Deo nihil tenuit, ut qui animam cum corpore extingui epicurea dementia credidit. Crevit hic in regno Neapolitano auctusque magnum conflavit exercitum. Carolum Malatestam, nobilem & magnum armorum Ducem apud Perusium bello fregit, inde Perusium in suam potestatem redegit, Asisium occupavit, Tudertum, Spoletum, multasque urbes sibi subegit, Florentini, Senenses, atque Lucani tributum ei quotannis pendebant. In regno Neapolitano multa Dominia pervaserat. Cum Philippus Dux Mediolani sui eum exercitus ductorem constituere vellet, magnasque sibi opes offerret, omnes conditiones sprevit, ut qui se non minorem Duce putabat,*

*ac ſe brevi Regem futurum cenſebat. Legi ante ſe veterum facta ſemper ad menſam jubebat, neque ullius hiſtoriam avidius, quam Julii Cæſaris, audiebat, ut qui ſe futurum illi parem conjectabatur. Ad extremum cum Aquilam Brutiorum nobilem urbem obſideret, exiſtimans ſe ibi Martini copias conflicturum, atque deinde Romam venturum, ut diximus, victus eſt, hic ſolitus erat dicere, ad eam ſe velle Martinum inopiam reducere, ut ſex miſſas pro nummo argenteo cantaret. Quem, cum Florentinus quispiam argueret, qui fuit apud eum auctoritate potens, miror inquit, ſi me talia dixiſſe credis, nam quo pacto ego in ſex miſſas nummum dabo argenteum, qui neque in mille darem æreum. Captus hic a familiaribus Ludovici de Michelotiis quamvis multa his promitteret, ſi ſe liberarent, obtinere non potuit, ductus in tentorium hoſtis, cum ſe captum vidit in poteſtate inimici, nunquam locutus eſt, ſive quia non potuit in gula vulneratus, ſive quia indignatus ſprevit effari, paulo poſt mortuus, in agro cum beſtiis ſepultus eſt, quia excommunicatus & hoſtis eccleſiæ fuit. Apud ſanctum Laurentium in vineis diu cadaver ejus in ſpelunca jacuit. At cum Nicolaus de Forte Bracciis poſtea ſupplicaſſet Eugenio, ut in ſacrum locum oſſa ejus deferre poſſet, isque annuiſſet, quia teſtes fuerunt, qui eum ante mortem contritionis ſigna oſtendiſſe falſo dixerunt, exhumata ejus oſſa & Peruſium delata ſunt, atque in eccleſia principali magno cum honore collocata, at, dum civitatem intrarent, tanta ſubito cecidit cælo grando, ut omnes Peruſinorum agros & vineas excuſſerit in præmium religioſæ ſepulturæ. Sed, ut redeamus ad Franciſcum, hic paulo poſt ad Philippum venit, diuque ei ſervivit inter primos belli duces, multaque laudata in bellis fecit, adeo ut Philippus ejus virtute allectus unicam ejus filiam extra matrimonium natam, quam unice amavit, ei in conjugium ſpoponderit. Verum cum Nicolaus Picennius, qui ex commilitonibus Braccii fuerat, atque Braccianos milites ſub ſe habebat, relictis Florentinis ad Philippum veniſſet, duxque univerſi exercitus Mediolanenſis creatus eſſet, invidia inter eos crevit. Quoniam perpetuum odium inter Braccianos & Sfortianos fuit. Cumque ambo non compatierentur, Franciſcus cum ſuis Sfortianis in agrum Picenum miſſus eſt, ut eam regionem Eugenio adimeret, qui tunc erat hoſtis Philippi. Nicolaus cum Braccianis in Tuſciam atque ducatum profectus eſt. At Franciſcus quaſi turbo quidam agrum Picenum invaſit atque omnem Marchiam ſibi ſubjecit, & quia Nicolaus vicinus erat, ſæpius inter ſe decertarunt, parumque abfuit, quin totis viribus ad invicem pugnarent. Tumque viſum eſt Franciſco, quod Philippus Nicolao quam ſibi eſſet favorabilior, atque omnino alienatus ab eo ad partes Venetorum defecit. Cumque Nicolaus revocatus ex Tuſcia Venetos premeret, Franciſcus ex Marchia in auxilium Venetorum veniens eorum dux creatus, magnas clades Philippo intulit. Nicolaus jam Veronam intraverat volentibus civibus, ſed veniente Franciſco mox effugit, reliquitque rurſus Veronam Venetis. In tantum autem Franciſcus Philippi partes afflixit, ut eum coegerit, & filiam tradere, quam jam negaverat, & eum pacis arbitrum accipere, qui dicta*

*pace*

pace Blancam accepit, & Cremonam nomine dotis, ibique nuptias celebravit. Exinde in Marchiam reversus, cum pace torperet, amori operam dare cœpit, atque inter virgines conjugis puellam Novariensem, nomine Perpetuam dilexit, atque per lenonem corrupit, quam cum gravidam animadvertisset, nobili cuidam equiti despondit, jussitque nuptias in quodam opido, ubi arx fortissima fuit, apparari, nam ibi sponsus domicilium habuit. Cum vero sponsa duceretur in oppidum, jussa est e vestigio arcem petere, neque postea videndi sponsam suam copiam habuit sponsus, sed Franciscus ad eam sæpe noctu cum paucis veniebat. Illa jam more dominæ se gerebat, habens ancillas & famulos, non potuit res idcirco latere; sensit dolos Blanca, atque illam, dum aucupatum cum accipitre pergit, missis percussoribus occidere statuit. Quatuor forte fuerunt, qui eam venantes invasere, quorum unus eam in brachio vulneravit, sed ipsa urgens equum calcaribus manus eorum forti animo effugit, deinde venationibus post habitis, in arce clausam se continebat, sed neque sic fœmineos dolos evadere potuit, cum die quadam lavisset capillos, quos habuit albissimos, atque illos ad solem siccaret inter murum arcis & antemurale, idque explorassent insidiatores, duo ex his sub specie rusticorum portam accedentes, atque petentes intromitti, quasi aliquid castellano dicturi, janitorque semiportam aperuisset, illi irruentes janitorem ad terram prostrarunt, atque visa Perpetua mox eam truncaverunt, occisamque reliquentes mox effugerunt: neque illi postmodum visi sunt. Sed certo scitum est, id scelus Blancæ fuisse, quæ pellicem ferre non poterat. Id cum agnovisset Franciscus dolore inæstimabili correptus, nullam poterat consolationem recipere, sed dies noctesque suam Perpetuam appellabat, jurabatque se conjugem occisurum. Saluti Blancæ fuit, quod absens erat. Franciscus autem ira feruidus eam ad se venire jussit, quæ etsi norat virum iratum, omnesque sibi dissuaderent iter, tamen mox conscenso equo ad eum venit, nec vocari ad præsentiam expectavit, sed virum in consilio manentem accessit, qua visa omnes abierunt, eamque cum conjuge solam reliquerunt, ibique cum alter alteri quereretur, sine arbitris facta est pax, tamen postea nunquam sine dolore potuit Franciscus Perpetuæ meminisse. Hic cum Venetorum fautor videretur, Philippus cum Eugenio concordavit, qui etiam Alfonsum regem Aragonum ad sese accepit, unde misso exercitu contra Franciscum, eum rursus ex Marchia pepulit, ita ut pauca ei in Marchia remanerent, nam qua facilitate Marchiam acquisivit, eadem amisit, undecim tamen annis ea potitus est. Tum quoque & dominia, quæ in regno Neapolitano habuit, patris viribus aquisita perdidit, adeoque ad inopiam deductus est, ut qui septingentos officiales consuevit ad castella dimittere, jam vix decem mittere posset. Tum tamen Florentinorum & Venetorum ope sustinebatur, quorum auxilio facto exercitu novem milium inter equites & pedites Tusciam & patrimonium ecclesiæ invasit, credens Papam Roma pellere, sed Patriarcha & alii Cardinales Papam hortantes, collecto exercitu Comiti restiterunt, neque is potuit aliquid agere. Deinde, cum rur-

*rursus Veneti opprimerent Philippum atque usque Mediolanum ad XII. miliarium pergerent, mortuo Nicolao Picenino, vocatus est Comes, ut ei auxilio esset, qui dum relictis Venetis sese præparat, Philippus, ut ante diximus mortuus est, Alfonso Aragonum rege hærede post se designato. Tunc populus in libertatem se vindicavit, castrumque in civitate magnum & fortissimum, victis pecunia custodibus everterunt, ingens scelus, opus egregium demoliti sunt, sed mira ultio Dei: qui destruxerunt, Francisco supplicarunt, ut repararet, & ignarus populus, qui ad ruinam volens locavit operas, ad reparationem invitus coactus est. Morte Philippi, ut diximus, Lombardia turbata fuit. Comani, Novarienses, Alexandrini & Terdonenses Mediolanensium jugum acceperunt. Astenses ad ducem Aurelianensem defecerunt. Valentini ad ducem Sabaudiæ. Placentini & Laudenses ad Venetos. Parmenses fœdus cum Mediolanensibus percusserunt. Papienses in sese steterunt, donec Comes Franciscus stipendium Mediolanensium accepit, hic enim cum veniret in auxilium Philippi, postquam ille obiit, dux exercitus Mediolanensium factus est, stipendiumque ei ea lege promissum est, ut quas civitates armis acciperet, Mediolanensium potestati subjiceret. At Papienses, ut in partibus esse Comitem sensere, missis ad eum legatis ei sese dediderunt, quos cum Mediolanenses peterent, dixit, eos non armis victos, sed suapte voluntate dominatum Comitis subiisse, vicitque ex pacto Mediolanenses: quæ res Guarnerio de Castilione admodum imputata est, qui pactiones cum Comite nomine Mediolanensium percusserat. Comes postea Placentiam obsedit (1) & vi expugnavit, captis, qui intus erant, præsidiis Venetorum, & civitate in prædam militibus data. Ibi assuefacti cædibus juvenes, in sanguinem humanum miro modo sæviebant. Fuit illic adolescens, dum Comes in civitate resideret, qui nocte in triviis civitatis explorans, qui soli transibant, undecim viros interfecit, tandemque captus & confessus scelera mox suspensus est. Comes post hæc in agrum Brixinensem cum transisset, magnisque cladibus Venetos afficeret, timentes Mediolanenses, ne auctus potentia & nomine fidem falleret, ipsi potius fallendam fidem censuerunt, & traditoris in se potius nomen recipere volverunt, quam traditionem pati. Itaque relicto Comite cum Venetis fœdus inire quærebant. Sed præsensit dolos Comes atque maturavit se Venetis jungere, cum quibus pacta, ut diximus, fecit. Venienseque contra Mediolanum, omnia eis eripuit præter Comum uno impetu, atque obsidionem ante civitatem posuit. Tuncque legati Cæsaris ea pacta obtinere poterant, ut ante diximus, sed non habentes potestatem, ad Comitem transierunt, atque per Comum reversi sunt ad Cæsarem, quem in Carinthia apud sanctum Vitum invenerunt, qui ut audivit conditiones, non improbavit eas, sed more illorum, qui post factum sapiunt, optavit, se dedisse plenam potestatem legatis, sed neque tunc diligenter ag-*

(1) *Hic dum Mediolanensibus servit, una die copias Venetorum omnes fudit apud Casale majus multumque Venetos debilitavit, tunc Mediolanenses timere Comitem cœperunt.* MARGO.

*aggressus est rem, nam si in tempore misisset Mediolanensibus auxilia,*(1) *adhuc civitatem haberet, sed fuerunt, qui in rem imperii non suaderent exponendam pecuniam, quæ tandem in alios transitura fuisset. Itaque dum mensibus fere duobus Cæsar deliberat quid agendum sit, Mediolanenses fracti viribus, & fame vexati, Venetos orant, ne se perditos velint, sed civitatem in suam societatem recipiant, quæ pacis amans nolit aliena & suis contenta sit. Tum Veneti veriti forsitan, quod postea secutum est, ne Comes urbe obtenta contra se arma verteret, fœdus in hunc modum accipiunt: Civitas Mediolani ut libera sit Communque in potestate habeat. Franciscus Comes Parma, Placentia, Papia, Terdona, Novaria contentetur, cætera senatui Veneto cedant. Comes ne amplius quam duo milia equitum & peditum mille teneat, totidemque Mediolanenses ad sui status tutelam. Veneti sex milia equitum & tria peditum in armis habeant,*(2) *vel dic certum numerum & se majores: quindecimque dies comiti statuunt, has ut conditiones accipiat, si renuat, hostis populi Veneti, Mediolanensisque sit, & communibus viribus comprimatur. At Comes irritatus his pactionibus nequaquam annuit, sed amplius urgere civitatem decrevit, magnus hominis animus, qui & Mediolanensium & Venetorum viribus aut superiorem, aut parem se credere potuit, cui nec multi milites essent, neque auri copia. Sed norat oculatus homo conditiones Mediolanensium, speravitque se prius opprimere eos, quam Venetorum auxilia haberent. Florentini quoque & Jamuenses ei auxilio fuere, qui non liberum Mediolanum intelligebant, sed in potestate Venetorum futurum. Videbatur quoque eam fuisse populi Veneti mentem, ut Mediolanum sibi subjiceret. Nam, etsi promiserant civitati victualia, tamen parce omnis auxilii genus ministrabant. Scientes enim Comitem populo Mediolanensi & his qui gubernabant exosum, existimabant, si premerentur a comite futurum esse, ut Venetos in dominos appellarent, ut ab his certius auxilium haberent. Sed contra evenit, nam plebs jejuna quemvis dominum accipit, qui pascat. Igitur fatigata fame multitudine, cum non esset spes auxilii Venetorum, seditio in civitate orta est, auctore Bartholomæo de Vico mercato, si sic vocatur, rursusque surgentes, nobiles ignobiles ex palatio ejecerunt, ac Leonardum Donatum, sive alium, qui Venetorum apud eos legatus erat, in medio foro occiderunt, Franciscumque in civitatem vocaverunt, qui etiam insignia ducalia, tradente populo, suscepit, quæ res neque vim neque colorem habuit justitiæ. Is mox Laudam expugnavit, atque cum Januensibus & Florentinis apertum fœdus percussit, qui prius latenter favebant sibi, aggressusque Venetos, magna eos clade affecit. Veneti, cum Florentinis indignarentur, cum rege Aragonum pacem fecere, & fœdus cum*

*eo*

(1) *Hic Mediolanenses rursum statum mutantes, in curiam armati venientes, Galeottum Tuscanum occiderunt, Petrus de Pasteria per fenestras saltum dedit, Guarnerius pridie domum, se ægrotum simulans, se recepit. Sic nobilibus exclusis plebei & mercatores invasere rem publicam, & cum Venetis tractarunt.* MARGO.

(2) *sic in MS.*

*eo percussere, interque sese statuerunt, ut omnes Florentini ex omni regno Neapolitano omnique ditione Venetorum pellerentur, Florentinos sibi hostes communes persequendos decreverunt, & ut domarent Comitem, fœdus etiam cum Duce Sabaudiæ & Marchione montis Ferrati percusserunt; Comiti vero Marchio Mantuæ adhæsit, qui filiam suam filio Comitis despondit uxorem: & quamvis Veneti potentiores sint, adhuc tamen Comes magno animo in hanc usque diem se defendit; atque hæc de rebus Mediolanensibus libasse sat habeamus, & ad Cæsarem revertamur. Cæsar post* A *mortem Philippi, cum res Austriæ turbarentur, nam Pancratius ex Hungaria frequentes in Austria rapinas exercebat, decrevit hominem corripere, quamvis sedem in alieno regno haberet. Collecto exercitu, Ulricum comitem Ciliæ ei præfecit, qui admotis opido, quod vocant Caloxum, machinis intra paucos dies & opidum in deditionem accepit, & Pancratium ad pacem compulit, suorum dominiorum parte multatum. Hic Pancratius ex parvo apud Sigismundum Cæsarem creverat; post cujus mortem latrociniis intentus & Hungariam & Austriam infestavit, nulli amicus, nullique fidus. Sed Ulricus eum correxit, quamvis adhuc fortunam ferat suis sceleribus inconvenientem. Fuit quoque per hæc tempora castrum in Austria trans Danubium inter paludes situm, quod Vaid appellabant; quod, cum non haberet redditus, dominus ejus ex eo latrocinia exercebat. Uxor hominis formosa fuit & in pectore fœmineo cor virile gestavit, ut vir pro muliere, mulier pro viro putaretur. Hæc amasium & adulterum non ignaro viro domi habens latrocinia imperabat, multisque damnis Austriam afficiebat. Hoc castrum magnis simptibus Cæsar expugnavit, ductis aggeribus per paludes usque ad castrum. Capta mulier ad Cæsarem cum parvo puero veniens impetravit veniam, sed castrum non obtimuit, vitæ relicta est. Itaque mulier in desperationem adducta rursus amantem in fraudem impulit, qui castrum per insidias noctu mulieri recuperavit, rursusque inde spolia commissa sunt, rursusque expugnatum castrum demolitum est; sed qui intus erant fuga salutem quæsive-* B *runt. Dum hæc aguntur, gravis in Suevia & Franconia exorta est turbatio, quam nunc expedire curabimus. Est in Franconia civitas Imperialis Norimberga nomine, quam latino vocabulo montem Noricorum possumus appellare. Hæc ampla urbs & populosa est, privatis & publicis ædificiis ornatissima; flumine intersecta navigabili, quod ex montibus Bohemiæ defluens in Muganum currit, in Rhenum Muganus. Mœnia ejus ultra modum superba, turribus frequentibus munita & fossato cincta profundo, latoque, sed circa* C *civitatem undique steriles sunt arenæ, industria tamen hominum frugiferæ factæ. Hic mercatores admodum multi sunt, & divites & potentes; artifices quoque plurimi, qui ex ære, cupro, stannoque & plumbo laborant, atque in omnem Alamaniam Galliam atque Italiam merces transmittunt. Itaque opulenta civitas invidendas paravit opes. Hæc non est antiqua urbs, sed postquam Ratispona defecit, & Praga aucta est. Situs ejus optimus est, quia in medio quodammodo Alamanniæ locata est. Terra, quæ in circuitu est, a Marchionibus Brandenburgensibus*

*pos-*

*possidetur, qui & Burgravii Norimbergenses appellantur, quasi civitatis Comites. Norimbergenses more hominum, qui quo plura possident, plura appetunt. Opidum..... a Domino ejus emere, quæ res magnæ dissensionis fomes, atque origo fuit. Nam Marchio Albertus opidum sine suo consensu non potuisse vendi dicebat, quod ab eo in feudum haberet, ille contra se liberum nihil obligari sibi dicebat. Erat & alia indignationis materia, quod in villa civitati proxima jurisdictionem Norimbergenses sibi usurpabant, quam Marchio ad se spectare dicebat. Ob quam rem diffidabat eos more Theutonico, nisi desisterent castrum emere, jurisdictionemque remittere: illi contra nihil injuriare se ei dicebant, quod si secus sentiret, offerebant se juri coram Cæsare, qui eorum & Marchionis naturalis Dominus esset. Id cum Albertus respueret, bellumque minaretur, Cæsaris auxilium implorarunt, qui suo de more Marchioni scripsit, ne quam facti viam attentaret, offerens ei judicium de Norimbergensibus, si quid de illis conqueri vellet. Marchio in armis svetus, & arma, quam jura callens; longas & tædio plenas juris vias existimans, mox bellum Norimbergensibus intulit, atque opidum, de quo erat quæstio, per insidias occupavit. Norimbergenses quoque sumentes arma, vicinas civitates in societatem belli adsciverunt. Nec deses Marchio fuit, nam & ipse plurimos Principes sibi conjunxit. Cum Norimbergensibus fuerunt Vlmenses, Augustenses, Rottovillenses, Nerlinenses, Rotteburgenses, Suinfortenses, & aliæ plures civitates, ac Episcopus Herbipolensis. Cum Marchione fuerunt fratres ejus, Albertus germanus Cæsaris, Dux Saxoniæ Wilhelmus, Marchio Badensis, Maguntinus Episcopus, Bambergensis & Hextetensis antistites, Comites de Wirtemberg, quos, cum ante vulneratam causam Cæsar componere studuisset, nullo pacto furentes animos mollire potuit. Quos cum duros intelligeret, finite inquit se se impetant, vexentque, nolunt salvis possessionibus oblatam pacem, exustis agris eam quærent. Bellum igitur gestum est, in quo novem vicibus consertum est prælium, octo vicibus Marchio vicit, una succubuit, is omnia Norimbergensium, quæ extra urbem habebant, more Florentinorum castella exussit, oppidum unum & munitum & magnum vi expugnavit, quod cum plerisque Principibus obsidebat, scalas in quatuor locis apponi jussit, atque ut aliis Principibus faveret, locum sibi & altiorem & munitiorem reservavit, & tamen primus omnium in opidum descendit. Hic libet me singulare facinus hujus hominis referre, quod Alexandri magni gestis non est impar. Cum intellexisset hostes ad se venturos, trans fluvium quemdam illos expectavit, & sciens aquam uno tantum loco peditibus vadabilem, illic præsidium collocavit, quod sagittis transeuntes pedites averteret, ipse cum equitatu expedito ad mille passus ultra aquam mansit. Cum hostes aquam attigissent, equites octingenti transiverunt; pedites, cum non invenirent vadum, undique aditum quærebant, atque illo comperto a sagittariis Marchionis prohibebantur. Marchio vero, ut equitatum hostis in conspectu habuit, tresque præcedentes ad jactum teli currentesque animadvertit, assumptis duobus comitibus in illos impetum fecit, atque magistri civium Augustensium*

*ſium os lancea perforavit. Comites ſui cum hoſtibus in terram ceciderunt. Itaque ſolus ipſe in agmen inimicorum ruens, unus contra octingentos pugnam conſeruit, cæſisque aliquot obviis viam ſibi ad vexillum fecit, quod manibus apprehendens & brachiis, quamvis multi enſes eum percuterent, tamdiu tenuit, donec ſuus exercitus curſu rapido impetum faciens, credens jam occiſum Principem, in vexilla decurrit; ac facta ſtrage victoriam peperit. Marchio undique quaſſatus, ut ſe viciſſe animadvertit, animum recepit, qui ſe prius ſatis glorioſum exiſtimavit, quod apud vexilla hoſtium moreretur. Hæc ex multis ego olim audivi, ſed tandem ipſemet ore ſuo cuncta mihi narravit, inter Viennam & Novam civitatem cum ſimul equitaremus, de pace inter Auſtrales & Viennenſes acturi. In eo bello novem vicibus pugnatum eſt, octies Marchio ſuperior fuit, ſemel ſuccubuit. Agri undique vaſtati ſunt. Domus civium Norimbergenſium, quas in modum arcium extra civitatem ſumptuoſe conſtruxerant, per Marchionem magna ex parte dirutæ ſunt, neque monaſteriis, neque piis quibuſve locis data eſt venia: omnia rapinæ atque incendia conſumpſerunt, adeoque diminuta ſunt omnium bona, ut qui centum aureos ex agris annuos habuit, ad XXX. reductus ſit. At cum Cæſar jam feſſas utrinque partes arbitraretur denuo Legatos miſit, qui ceſſare ab armis juberent, offerrent juris viam, pacem ſuaderent. Quos cum Marchio primum vidit, recte, inquit, adveniſtis, optimum delegiſtis tempus, neque frumenta nobis neque pecuniæ adſunt, pacem amplecti oportet, quia pugnæ non eſt locus. Conventus in Bambergæ ad eam rem dictus eſt. Ipſi poſt varios tractatus, lites aliorum Principum aliarumque civitatum in arbitrium Palatini comitis tranſmiſſæ, inter Marchionem & Norimbergenſes placuit arma ponere, deque litibus omnibus judicium Cæſaris expectare. Qua re Cæſari expoſita decretum eſt, & Marchionem & Norimbergenſes citari, ut ille Norimbergenſibus, Norimbergenſes illi coram auguſtali ſolio in jure reſponderent. At cum Norimbergenſes paruiſſent, Marchio non ſe citatum more Principum, non teneri comparere ait; intererat autem ejus diferre judicium, quantum poterat, more reorum, quia plura caſtra tenebat, quæ ſe reſtituturum judicio arbitrabatur: itaque diffugiebat diſſimulabatque. Norimbergenſes autem, fruſtra illum excuſare ſe ſe, dicebant, qui jam ſe pacto obligaſſet comparere, neceſſarium erat interloqui de citationis vi; ſed quia res magna putabatur, tentatum ſæpe eſt, an amicabili modo componi res poſſet: id cum non ſuccederet, judicium ex termino in terminum more gentis prorogatum eſt.*

FRIDERICI, dum hæc aguntur, duplex animum cura tenebat; & Vxoris, & Romanæ coronæ recipiendæ. Qui, cum accepiſſet in Portugallia tres Regi ſorores eſſe forma præſtantes, & annis nubiles, primamque Leonoram nomine admodum ſpecioſam; Legatos, qui hanc viderent, Georgium Volkeſtorfium Baronem, & Vdalricum Ridrer Jurisconſultum eo miſit. Quibus reverſis, ac mores & formam Virginis commendantibus, ſcriptum fratri eſt, ſororem ſi Cæſari vellet in matrimonium tradere, Legatos ad Regem Ara-

Aragonum ejus avunculum, qui apud Neapolim reſidebat, cum poteſtate mitteret; idemque facturum Imperatorem: ſicque conjugium poſſe concludi. Interea Delphinus Viennenſis Regis Franciæ primogenitus, quoniam uxor ejus prima deceſſerat, hanc ſecundo loco ducere cupiebat. Neque Rex Portugaliæ abnuebat, quippe qui altum Franciæ ſanguinem ſibi honori ducebat. At puella, Imperatorem jam ſe petere conſcia, capta tanti nominis Majeſtate, niſi ſe Cæſar duceret, nullo connubio ſe aſſenſuram, ajebat. Jam enim Imperatricis vocabulo gaudebat, pulcrumque exiſtimabat, Nuptam ſe Cæſaris appellari. Majus enim apud exteros, quam apud ſuos nomen Imperantis habetur. Rex ubi ſororis animum intelligit, Johannem Vernandi Juriſconſultum Neapolim navigare jubet, qui & Alfonſum Aragonum & Siciliæ Regem conveniat, & quod ei placeat, de matrimonio faciat. Fridericus quoque Æneam Epiſcopum Tergeſtinum, qui illo in itinere ad Senenſem Eccleſiam patriamque ſedem translatus eſt, ac Georgium Volkeſtorfium, de quo ſupra retulimus, & Michaëlem Fulendorfium Secretarium eo direxit, ut & matrimonium ſuo nomine cum regia Virgine contraherent, & iter ſibi ad coronam ſuſcipiendam in Italia præpararent. Erat enim Friderici mens, ubi conjugio locus eſſet, accerſire ad ſe ſponſam in aliquo Tuſciæ portu, ſecumque Romam petere & una coronam accipere. Igitur coram Rege Alfonſo, Johanne Cardinale Morinenſi Apoſtolico, Venetorum, Florentinorum, Mediolanenſium, & aliis quam pluribus Civitatum Legatis, ac Duce Clivienſi, qui ex Hieroſolyma redibat, multiſque Regni Baronibus & Principibus aſtantibus, ut imperatum erat, contractum eſt matrimonium: conventumque, uti Portugallenſes Cæſaream Sponſam ſuis navibus ad portum Latinum, quem Cæſar intra Piſas & Neapolim nominaret, ad Kal. Novembris proximas regio apparatu conducerent; ibi eam vel Cæſar, vel qui ab eo eſſent miſſi, ſuſciperent. Dotis nomine nummorum ſexaginta millia promiſſa. Exin feſti dies apud Neapolim habiti, ſupplicationes ideo factæ, ludi quam plures exhibiti populo. Quibus peractis, accedentes legati Regem, ſemotis arbitris ajunt ei, cupere Fridericum ſequenti hieme Romam proficiſci, atque cum conjuge coronari; petereque ab eo, quem patris loco veneretur, quoniam mores Italorum optime noſſet, ſibi ut conſuleret, qua potiſſimum via traneundum eſſet, quaſue cavere inſidias oporteret. Eſſe quoque Friderico gratiſſimum, priuſquam excederet, ſecum convenire, & alloqui de rebus Italiæ, deque repub. Chriſtianorum. Ad ea Rex Aragonum: optime agere Cæſarem; qui de ſuſceptione coronæ ſibi debitæ cogitaret. Iter vero per dominia Venetorum Ferrariamque, demum vero per Æmiliam & agrum Picenum. Lombardiam autem vitandam, quam Franciſcus Sfortia occupaſſet, Tyrannus & novus homo, cui nihil eſſet fide levius. Nec Tuſciam adeundam putabat, in qua Florentini dominarentur, hoſtes Imperii, ac Franciſco juncti fœdere. Venetos autem ſibi amicitia junctos, graves atque conſtantes viros: tutum iter in Æmiliam: ſi quid periculi im-

mineret, ſe offerebat equitum decem millia; qui viam Cæſari apertam redderent. Conveniendi autem ſe non minus cupidum eſſe quam Cæſarem: ſperareque, eo loco ſuas res tunc futuras, ut facile conventus & colloquium detur. Atque his dictis Legatos magnifice donatos remiſit. Qui Romanum Pontificem adeuntes, poſtquam de contracto matrimonio, deque coronationis celebrandæ, quod Cæſar haberet, deſiderio certiorem pietatem Apoſtolicam reddiderunt: quo tempore, quove itinere veniendum Cæſari, conſilium petivere. Pontifex conjugium Cæſare dignum affirmans, magno ſe deſiderio Friderici adventum expectare; ad Coronationem parata eſſe omnia: iter per agrum Venetum videri tutum: poſſe quoque Cæſarem aut per Hiſtriam apud Tergeſtum, aut per Dalmatiam apud Segniam ingredi mare, Anconamque navibus, atque inde per territorium Eccleſiæ Romam petere: Mediolanenſem viam neque laudans neque vituperans: ad Italiam ingrediendam hiemale tempus eligendum Cæſari, dixit; quod æſtivum ardensque Italicum ſolum Theutonicis corporibus multo ſanguine exudantibus noxium atque mortiferum videretur.

Hic annus gratiæ magnus fuit, quem Bonifacius octavus inſtituit (ſive Vrbanus is fuit) cum quieviſſet Eccleſia poſt obitum Friderici ſecundi annis quinquaginta; vocavitque Jubilæum, exemplo ex veteri lege ſuſcepto: ut quemadmodum corporalis, ſic & animalis ſervitus, anno quinquageſimo extingueretur, remitterenturque culpæ & onera peccatorum omnibus, qui limina Sanctorum Apoſtolorum ſincera mente perquirerent. Ingens igitur populi multitudo ex omni Chriſtiano ſolo per hunc annum Romam petebat. Licet autem quadraginta & amplius hominum millia diebus ſingulis per urbem templa foraque vaderent, diſſoni quoque mores, deformes habitus, ac diverſa linguarum genera concurrerent: ſapientia Pontificis actum eſt, ut neque victui neceſſaria defuerint, neque tumultus interciderint. Vnica tamen horrenda viſu & auditu ſtupenda, paucis diebus ante finem Jubilæei, calamitas accidit. Nam cum circa veſpertinam horam, Baſilicam Sancti Petri frequens populi multitudo peteret, neque minor jam inde recepta benedictione rediret; facta eſt in ponte, quem Sancti Angeli vocitant, ingens euntium atque redeuntium concurſatio. Cumque retro hi atque illi a ſupervenientibus urgerentur, premerenturque maxime, accidit alios ruere, alios ſuper ruentes vadere. Cumque nonnulli equis mulisque verherentur, cum jumentis una proſtrati calcatique ſunt. Tantus autem impetus prementium, atque urgentium ſe ſe fuit, ut cadentium cumulus parietibus pontis altior fieret, pluresque in Tyberim inciderunt, miſerabile & horrendum ſpectaculum. Alii calcati interierunt, alii dum periculum hoc fugiunt, in aquam ſe projicientes, abſorpti undis ſuffocatique ſunt, ducenti & amplius in ea preſſura extincti ſunt, quorum corpora diligenter quæſita Romanus Pontifex accurate ſepelivit, exequiaſque ſolennes fecit, Capellam marmoream in eodem ponte paulo poſt conſtruxit, ubi quotannis animabus eorum parentaretur: diuturnum tantæ cladis memoriale, quod amplius quam ducentorum cadaverum una dies acerbum

bum funus habuerit. Sed neque id facinoris reticendum, quod in hoc Jubilæo factum esse constat. In agro Veronensi, mulier nobilis ex Alamania, cum plerisque ancillis servisque Romam pergens, in equites Sigismundi Malatestæ forte incidit: a quibus capta, & cum suis diu ludibrio habita est, comites ejus occisi vixque, tandem impudice habita libertati reddita; non sine infamia Sigismundi, quem mulieris forma captum accensumque libidine id sceleris admisisse, quamplures affirmauere. At Principes, quæ turpiter agunt, in suos retorquent: bonos Reges, malos consiliarios, vulgus ait: impune delinquit magna potestas. Ex comitibus Sigismundi nonnulli capti Venetias missi sunt, qui dominicum vel luerent scelus: sed violata mulier ignoscere quam persequi maluit: ne vindicta majorem infamiam secum traheret. Et primum inter plebes, Imperatoris soror; deinde, Comitis Palatini relicta conjux; post, una ex Saxoniæ Ducibus, dicta; Monialis denique, non ignobilis comperta est: ut fama solet mendacio crescere, ubi verum inquiras.

In eodem quoque Jubilæo, admitente Johanne de Capistrano ordinis Minorum professore, placuit Nicolao Pontifici, Bernardinum Senensem quietis Sanctorum ordinibus ascribere, atque in catalogo beatorum Patrum redigere: quamvis pluribus hic ante annis mundo mortuus, lucidas cæli sedes iniviſſet, ad prædulces nectaris receptus succos. Fuit autem Bernardus apud Senam urbem Etruriæ nobili loco natus: qui postquam litteras didicit, ac Pontificii Juris aliquam peritiam habuit, patrimonio, quod non tenue a Parentibus jam vita functis acceperat, inter Christi pauperes erogato, abnegans seculi pompas ad religionem divi Francisci sese recipit; auctorque paupertatis eximius, tamen ubi ordinem illum labentem & ab institutione primæva longe remotum offendisset, reducere fratres in viam cum diu frustra conatus esset (neque enim indurati majorum conventuum mores flecti poterant) vocatis ad se nonnullis, quos sanioris mentis invenit, seorsum habitare instituit; hisque domos ab urbibus remotas, ex eleemosyna struxit: jubens omnes, ut Patris Francisci voluntas fuerat, nudis pedibus ambulare, vestes laneas sine lino habere, cibo vinoque uti modico, plumas omnes fugere, in sacco dormire, nihil de crastino esse sollicitos, proprii nihil tenere, pecuniam uti venenum malamque pestem fugere, victum eleemosina quærere, humiles esse, divinis officiis intentos, populis Christum & hunc crucifixum cum Apostolo prædicare. Quæ omnia primus ipse implebat, magistrumque non verbo solum sed facto quoque discipulis se suis præbebat; sobrius pater, castus verbis factisque, temperans. In prædicatione vero sermonibusque popularibus, adeo plebibus acceptus, ut alter Paulus crederetur. Quibus rebus brevi adeo religionem auxit, ut quingenta & amplius cœnobia per Italiam sui ordinis a fundamentis erexerit, atque impleverit fratribus, quibus observare Francisci regulam exactum studium est. Mos insuper Bernardini fuit, inter prædicandum nomen JEsu aureis litteris in tabella depictum ostendere, multisque verbis atque clamoribus populorum animos in devotio-

tionem accendere; cunctosque, ut genua flecterent, magnisque vocibus Salvatoris nomen invocarent, vehementi oratione persuadere. Cujus rei novitatem cum plerique improbarent, vocatus est vir Sanctus ad Romanum Pontificem Martinum quintum; jussusque novum ritum relinquere. In quo claruit hominis probitas, puræque mentis sinceritas emicuit. Nam etsi multis sese Bernardinus tueri rationibus posset, cedere tamen Apostolicæ jussioni maluit: ne prædicator humilitatis magistrum se superbiæ comprobaret, illi sedi resistens, cui ligandi atque solvendi creditas a Domino claves non ignorabat. Hunc in nomine JEsu curasse morbos, & alia patravisse miracula, non est ambiguum. Nos eum Senis in foro sexaginta diebus prædicantem audivimus. Cumque die quadam dominica maximus populus convenisset, contigit subito, mutari aerem, ac ex sereno turbidum fieri, ingentesque minari pluvias, jamque auditores omnes in fugam verti. Quod ille animadvertens, manere universos jussit, bonoque animo esse; pluviam minime in eos casuram affirmans, nudo capite preces ad Deum fudit. Quo facto, dissipatis nubibus mox lucidus aër restitutus, tranquillam audientiam præbuit. Quod etsi casu factum videri queat, orationi tamen sancti viri omnes attribuere. Hic postquam totam Italiam prædicando docendoque circuit, tandem apud Aquilam Brutiorum urbem, terrenæ vitæ peracto cursu, ad cœlestem beatamque lucem migravit; ubi corpus ejus sepultum clarere miraculis affirmatur. Hujus plures discipuli remansere, eloquentia præstabiles, & accepti plebibus: præcipui tamen habiti sunt Albertus de Sarteano Senensis territorii, quem Pontifex Eugenius ad Indos misit; Jacobus de Marchia, qui diu apud Vngaros evangelizavit; & Johannes de Capistrano, cujus supra fecimus mentionem. Hunc cum Legati Cæsaris plurimorum vocibus commendatum accepissent, quem virum doctum & Apostolicæ vitæ sectatorem rumor asserebat, litteras Nicolai Pontificis ad eum imperant, quibus in Austriam illi iter mandatur: ibi ex arbitrio Cæsaris Monasteria Minorum aberrantia reformet, pacemque populis prædicet, & viam vitæ in veritate doceat. Quas litteras mox Legati ad Johannem misere. Ipsi ex urbe redeuntes, Senis, Florentiæ, Bononiæ, Ferrariæ, Venetiisque, cum Principibus ac Magistratibus urbium de transitu Cæsaris transegerunt: nec quenquam adversum invenere: universi honorem, aditum, commeatumque Cæsari lætis animis promisere.

FRIDERICUS autem, ex Legatis postquam se maritum Regiæ Virginis, & ad coronam accipiendam nihil impedimenti apud Italos cognovit esse; animum prorsus ad coronationem intendit; Viennam petit, res Austriæ disponit, Sacerdotes duos in Portugalliam dirigit, qui annulo conjugali ex condicto Sponsam subarrent, adventumque suum ad Latinum portum quam celerrime fieri suadeant. Sed hos latrones inter eundum bonis omnibus excussere, remoratique sunt diutius iter eorum: atque inde factum est, ne sponsa ad tempus dictum mitteretur.

tur. Per idem tempus Johannes de Capiſtrano ex apoſtolica juſſione Theutoniam ingreſſus eſt, ac per Carinthiam & Stiriam venit in Auſtriam. Cui Sacerdotes & plebes cum Sanctorum reliquiis obviarunt, eumque velut apoſtolicæ ſedis Legatum, ut veritatis prædicatorem, ut magnum aliquem Prophetam, ut Dei nuntium ſuſceperunt; & quaſi vel Petrus, vel Paulus, aut alius Apoſtolorum, illac iter faceret, omnes accolæ montium deſcendere, Johanni occurrere, veſtimentorum ejus fimbrias avide contingere, ægrotos & male habentes ante pedes ejus afferre; e quibus pleroſque ſanitati redditos rumor fuit. Moratus eſt autem in Nova civitate diebus aliquot, viam Domini prædicans, mortaleſque omnes ad pœnitentiam vocans. Interea magna miraculorum fama Viennam opplevit: adveniſſe Cæſaream (ſic enim Novam civitatem nonnulli vocitant) ſanctum virum, Dei Apoſtolum, qui morbos pellat, qui viam Dei in veritate Dei doceat, qui pecuniam ſpernat, honores fugiat, abſtinentia vivat. Concurrunt tumultuantes ad eum plebes, nec ſe tam diu victuras putant, donec viſere hominem queant: majores natu & principes Civitatis ad eum legantur, qui eum Viennam adducant. Timebant enim, ne vel retro in Italiam cederet, vel in Vngariam alio itinere, poſt habita Vienna, proficiſceretur; quam rem ſibi jacturæ magnæ probrique loco ducebant. Invitatus autem Johannes, Viennam petit. Tantus undique populi motus fit, tantus concurſus, ut nulla capax multitudinis platea inveniatur. Quacunque tranſitus illi eſt; viri ac mulieres impetum faciunt, premere alter alterum, intueri virum, lacrimas lætitiæ devotioniſque mittere, levare ad cœlum manus, benedicere venienti, laudare mittentem, tangere, oſculari, qui prope ſunt, veſtimenta; veluti cœlo miſſum & Angelum Dei reſpicere. Apud minores deinde ſui ordinis, non ſuæ vitæ Fratres, exceptus eſt. Ibi cibaria ſuiſque comitibus publicitus miniſtrata ſunt. Vitam in hunc modum apud Viennenſes duxit: veſtitus domire, ante lucem ſurgere, matutinum, laudes, primam, tertiam orare, divina exinde celebrare; hiſque peractis ſermonem ad populum Latine pronuntiare; poſt hæc interpres, quæ dicta ſunt ab eo, quantum capax eſt, exponere populo: tres aut amplius horæ labi, priuſquam fiat interpretatio; loco ſublimi apud Carmelitas in foro unde ſermocinaretur extructo. Nam capi alibi multitudo non potuit. Finito ſermone ad cœnobium ſui ordinis reverti, ac ſexta & nona completis, infirmos viſere, diu apud eos morari, manus omnibus imponere, biretum ſancti Bernardini, & cruorem, quem illi mortuo e naribus fluxiſſe ferunt, ſingulis ægrotantibus admovere; quos raro intra quingentos fuiſſe conſtat: precari ſupplex pro omnibus, exin cœnare; demum his, qui ſe accedunt, audientiam præbere, mox veſperas dicere, hiſque completis ad ægrotos reverti, atque cum his uſque ad noctem ſe exercere. Tum demum completorio & aliis delectis precibus expletis, corpus quieti dare: minimum eſſe quod ſomno indulſit. Ad reviſendos ſacræ ſcripturæ co-

dices puſillum furari temporis. Sic homo quaſi cœleſtem vitam in terris agere, immaculatam, abſque ſorde, abſque peccato: auſim dicere abſque peccato, quamvis nonnulli glorioſum hominem, jactatoremque ſui, ex rumoribus accepiſſe mercedem dicerent, quibus placere magis, quam Deo ſtuderet. Sed ſunt iniqui judices, qui non in melius, quæ occulta ſunt interpretantur, quando, quæ patent omnia bona vident. Cur virum calumnientur, qui longam vitam in paupertate vixit? qui multos annos docendo plebes abſumſit, in abſtinentia, in laboribus in humilitate perſeverans, ac opera verbis æquans? qui nihil hujus mundi appetivit; qui nulli fuit injurius, ſed ſecundum hoc ſuis cultoribus ipſe reliquit? Parva fuerit merces tantis laboribus, humana laus. Stultus eſt, qui propter rumuſculos hominum ſuum corpus affligi, ſuumque genium fraudat. Ego ſanctum & juſtum hominem, qui calcavit avaritiam, libidinem ſubegit, honores ſeculi fugit, qui contra injuriam, atque iram patientiam objecit, qui fovendis pauperibus ſtudioſum ſe præbuit, qui nullum ſuperbiæ fomitem oſtendit, ſola fiducia futurorum teneri arbitror, retributionemque theſauri cœleſtis expectare, ac cum Paulo dicere: gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ & de cætero repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddat mihi in illum diem juſtus judex. Indicavit autem hoc perpetua hominis lætitia, quem nemo mœſtum vidit, ſed vultu ſemper eodem; ut de Socrate tradit antiquitas. Sciebat enim, mortali ſe culpa liberum, bonis ſe operibus intentum, expectabat diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Quod ſi mundi gloriam quæreret, ſciret ſe Deo non eſſe acceptum; videreturque ſæpe triſtior, conſcientiæ ſtimulis actus. Nam qui laudes ſectantur humanas, ex alieno pendentes arbitrio ſæpe decepti mœrent: ſoli ſunt ſervi Dei, qui perpetua quiete & animi tranquillitate fruuntur. Qualem eſſe Johannem minime dubitaverim; quem puſillum corpore Viennæ vidimus, ætate ſenecta, annos, ut ipſe aiebat, quinque & ſexaginta natum; ſiccum, aridum, exhauſtum, ſola cute neruiſque & oſſibus compactum, lætum tamen & in labore fortem, ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem, altas atque profundas materias abſolventem, doctis ac rudibus ſatisfacientem auribus, mentes demulcentem, ad fœdus, quo voluit, impellentem. Ad cujus ſermonem dietim viginti & triginta hominum millia conveniebant: majorique ipſum attentione, quamvis non intelligerent, quam interpretem audiebant. Cum mos eſſet totum ſermonem Latinis verbis pronuntiare, deinde locum interpretandi facere. At hic, poſtquam novum ſui ordinis cœnobium erexit, in Moraviam profectus eſt: multos Huſſitarum ab errore revocavit. Hunc & Cæſar cupide audivit, multiſque ſermonibus ejus interfuit, ac veſtimentis ſacerdotalibus eum donatum dimiſit. Inter hæc Bohemi ſuo more de rebus acturi communibus, conventum Regni apud Pragam indicunt: ſed cum peſtifera lues eo ſuperveniſſet, apud villam, quam Benedicti appellant, convenere. Fama fuit, ſuum eos Regem repetituros,

ros, nisi obtinerent, alium quæsi-
turos. Id Cæsaris iter in Italiam A
remorari videbatur. Mittuntur er-
go ad eos Legati, Æneas Episco-
pus Senensis, Procopius Eques Bo-
hemus, & duo ex Austria viri no-
biles; qui feroces lenirent animos:
ne pupillum ante annos expeterent,
dum nullo usui Regno esse posset;
expectarent pubertatem, neque du-
bitarent illum, cum dimitteretur, ad
eos inprimis venturum. Grata hæc
legatio Bohemis fuit. Quippe qui B
magis ex debito, quam ex animo,
Regem petebant. Georgius de Po-
debrot fuit, in quem Proceres Re-
gni gubernationem transtulerant; ho-
mo brevis, quadrato corpore, alba
carne, illustribus oculis, moribus pla-
cidis, Hussitarum errore infectus:
alioquin æqui bonique cultor. Quem,
cum nos longo sermone de commu-
nione calicis tentavissemus, magis
deceptum quam pertinacem inve-
nimus.

Eodem tempore Barbara, quæ C
fuit Sigismundi conjux, ex domo
Ciliensi, quamvis senectute confecta,
peste tamen interiit, nobilis genere,
infamis vita mulier: quam sæpe in
adulterio Sigismundus comprehendit:
sed adulter ignovit adulteræ. Nam
& sibi nihil levius, quam violare ma-
trimonia fuit. Barbara vero tam
inexhaustæ libidinis inventa est, ut
non tam crebro peteretur a viris,
quam viros peteret. Ea post viri
obitum in Bohemiam se recepit apud
Grætium Reginæ. Ibique inter gre-
ges exoletorum, concubinosque con-
senuit: in tantamque dementiæ cæ-
citatem prolapsa est; ut sanctas Vir-
gines, quæ pro fide Jesu mortem
subiere, stultas publice compella-
ret, quæ voluptatis gaudia gustare
nescierint. Nihil deinde homini su-
um dicebat, nisi voluptates. Post
hanc vitam aliam esse negabat, &
interire animas cum corporibus, as-
severabat. Sed hanc tam scelestam
fœminam in domicilio Hæreticorum
apud Grætium defunctam, scelera-
ti & abominabiles Hussitarum Sa-
cerdotes Pragam duxere, atque in-
ter sua sacra Regum tumulis con-
didere: digni, qui tam impium funus
peragerent impii.

At Fridericus, ubi res Bohe-
miæ quietas intelligit, oratores ele-
git, quos ad Italiam mittat; Æne-
am, de quo paulo ante diximus, Al-
bertum Potendorffium, Georgium
Volchenstorfium, Barones Austriæ;
Michaëlem Fullendorfium Secreta-
rium; tresque alios equites, nobi-
li loco natos. Hos jubet de trans-
itu suo novos tractatus in Italiam
facere, ac publicam Principum &
Communitatum fidem exposcere.
Cæsarem in festo divi Martini ingres-
surum Italiam, dicere; ut apparen-
tur itinera, hominibus equisque ne-
cessaria disponantur. Exinde Ta-
lamonem petere, ibi advenientem
sponsam suscipere, Senasque condu-
cere; atque his actis, Æneam &
Michaëlem Romanum Præsulem
accedere, de Coronatione rursus,
quæ opportuna viderentur, agere.
Matronæque nobiles & bono sangui-
ne natæ virgines duodecim cum
his proficisci jubentur Imperatrici
servituræ. Ipse interim Fridericus
nobilibus atque Principibus scribit,
quos sibi comites optat, itineri ut
se ocyus accingant. Civitatibus, ut
ex more suos mittant legatos, im-

perat. Res pluribus incredibilis vi-
A ſa eſt. Qui prius ſcriptum bis norant, biſque remoratum tranſitum. At qui Bohemos quieſcere, Hungaros inducias habere biennales, Auſtriam pacatam, floridam Friderici ætatem ſciebant; arma ſumunt, Italiamque petituros multi ſe offerunt, quibus Cæſar benigne ſuſceptis ſtipendia viritim promiſit. Bohemi & Auſtrales in Auſtria, Ungari & Bavari in Carinthia, Svevi, Renenſes, Francones, Saxones, in Ferraria jungere ſeſe Cæſari juſſi: nihil adverſum eſſe, omnia tuta videri. Sed nata eſt ex inſperato res,
B quæ diſturbium attulit, atque omnium malorum, quæ poſtea contigerunt, radix atque origo fuit.

Albertus Auſtriæ Dux, Germanus Friderici, vir animo celſo, conſilio provido, & omnibus moribus egregie præditus, ſed profuſior aliquando quam patrimonii vires ferrent, dum ſuos egere vetat amicos, in egeſtatem prolabitur, ſuaque diſtrahere cogitur. Caſtrum ei in Hungaria fuit, non longe a Nova Civitate, id ſe venditurum proponit. Magnus eo tempore apud
C Auſtrales erat Vlricus Eizinger; qui parentibus quamvis ingenuis, tamen obſcuris in Bavaria natus, cum fortuna ſibi in patria non arrideret, pauper & modicus in Auſtriam venit. Sed homo induſtrius & laboris patiens, in gratiam Alberti Ducis, qui Cæſar ante Friderici cum fuit, cum veniſſet, acceptus in conſilio Principis, res domi belique ducere cœpit; interque rudes & deſides terræ Barones facile crevit, adeoque auctus eſt, ut omnium Cameræ reddituum receptor ſolus diſtributorque fieret. Auſtrales id officii Magiſtratum Hubarum appellant. Hinc ditatus ingentes opes congregavit. Ædes egregias, agros, villas, caſtra coemit, pleraque in pignus accepit: Baronatus quoque titulos emeruit; Alberto, quæcunque dixit, Deorum oracula videbantur. Sunt, qui ajunt, hominem futuræ vitæ incredulum, neque confeſſioni neque communioni operam dare, rem divinam ſpernere, quamvis timore populi Eccleſiam viſitaret; Phitoniſſam quampiam ſequi, quæ ſibi ventura prædicet. Hujus ſeculi voluptates amare, præter famam nihil habere poſt obitum homines, reri. Verum hæc mihi de fide hominis minus explorata ſunt: quamvis ea nonnulli Auſtriæ Proceres me præſente in conſilio Cæſaris affirmaverint. Eizingerus igitur, ut accepit, caſtrum, quod de Lapide timoris appellant, Albertum venditurum, mox eum convenit, atque de ſumma & ſolutionis tempore tranſegit. Super conficiendis emptionis chirographis aliquid contentionis remanſit, neque id diffinitum erat, quod Albertus aurum petebat; Vlricus monetam partim auream partim argenteam promiſerat. Dumque res pendet, Fridericus accerſitum fratrem, ut ſibi quam alteri caſtrum malit vendere, multis verbis onerat; quod ſuis bonis pulchre quadrare videtur. Albertus ait, ſe cum Eizingero venditionem inchoaſſe, niſi is annuat, non videri ſibi retrocedendum; credere ſe hominem facile cedere, ſi rogetur. Mittuntur ad illum Iohannes Vngenadius & duo de Conſilio Alberti, qui reverſi affirmant, Eizinge-

rum

rum Cæſari ſine contentione cedere. Fit venditio, numeratur aurum, traditur caſtrum. At ubi Eizingerus audit, Albertum incuſat, qui venditionem concluſam ſolverit: ſe læſum, deceptum, deriſum queritur. Albertus ſuo ſe conſenſu venditionem in Cæſarem tranſtuliſſe reſpondet; teſtes producit, qui ad eum ierant. Eizingerus conſtantius negat, conſenſum a ſe datum eſſe; gravique damno ſe affectum ait, qui pecuniam ſub fœnore tulerit, atque aliquas poſſeſſiones vendiderit, ut poſſet contractui ſatisfacere, neque quieſcit: quamvis dicatur, non completo contractu licuiſſe Alberto mutare propoſitum. Sed Iohannem Vngnadium multis verbis laceſſit, qui falſum Cæſari atque Alberto retulerit teſtimonium. Fit itaque dubium, cui ſit potior adhibenda fides; cum unus dictum, alter indictum aſſerit, neque id negotii ex more patriæ inter milites aliter diffiniri quam duello ſolet. At par illud militum non tam armis aptum, quam conſilio videbatur: Nulli mens fuit, id probationis genus expetere. Cæſar autem & Albertus, ubi aliter placare hominem nequeunt, quamvis Principes ſunt, quorum voluntas legis nervos habere poteſt, jus tamen coram Baronibus Auſtriæ Eizingero experturos ſe offerunt. Sed neque ſic arrogans homo ſuique fidens querelas ponit: negatque ſe lites cum ſuis ſubire dominis; id periculoſum plenumque odio dicit, petit ſervari promiſſa, aut damna refundi. Verum juſtitiæ poſtquam via refellitur, negotio ſilentium imponitur, querelæque contemnuntur. Cæſar de tranſitu ſuo ſollicitus, Civitates Auſtriæ munit: rebus modum ſtatuit; Rectores legit, qui ſe abſente Auſtriam gubernent, Comites de monte pulchro, patrem & filium, Georgium de Puchaim, Rodigerum de Starnberg, Sigiſmundum de villa aprorum, & alios pleroſque Barones; ex civitate autem Viennenſi ſolum Burgimagiſtrum, judicem & paucos de conſulatu accerſit, hiſque ſuum iter & quid velit eos facere, manifeſtat. Sed male cum paucis tranſigitur, quod multorum eſt. Cives indignati tanquam ſpernerentur, animum inde a Cæſare alienarunt. Eizingerus autem prius ex Vienna tumida mente receſſerat; quod ſe ludibrio habitum & affectum damno videbat; moliturumque aliquid, quo vir intelligeretur, inter ſuos ſeſe minabatur. Neque id Cæſarem latuit, qui animum ejus, ut molliorem redderet, eum cum fratribus inter gubernatores Auſtriæ ſuſcepit, miſitque ſibi nuncios, qui munus ei gubernationis ſuſcipiendum ſuaderent. Sed incaſſum tentatus eſt. Quippe gubernationi, quæ ſine conſenſu terrigenarum decreta fuiſſet, nullo pacto ſe velle immiſcere, reſpondit; aitque, vereri ſe non parum, ne terrigenæ eam gubernationem impugnent, cum Ladislaus ex voto cunctorum ad Viennam non mittatur. Quod ſi miſſus fuiſſet, aut ſe Romam cum Cæſare profecturum dicebat; haud accepturum gubernandi laborem; eo vero negato, facturum, quod bono viro & patriæ ſervienti conveniat. Fridericus vero, qui ſibi jurejurando Viennenſes obnoxios, Auſtraleſque omnes obligatos fidelitate norat, haud arbitrari poterat re-

bellioni posse locum patere. Compositis itaque rebus, ut ex usu ratus est, ad novam Civitatem se contulit, atque itineri ad Italiam faciendo graviter intendit.

Inter hæc Italia jam certior facta de Cæsaris adventu, variis undique completur rumoribus: timere alii, quibus secundæ res sunt: narrare, quæ priscis temporibus accidissent, dum Germani Cæsares Italiam petivere; armis iter quæsitum, nunquam defuisse bellum, rapinas cædesque agitatas, vastatos agros, versas urbes, neque humanis rebus neque divinis parsum; civitatum rectores amotos, novos inductos. Consulendum igitur paci, claudendam Friderico viam, dicere. Qui procul a republica tenebantur, optare celerem introitum Cæsaris; jam finem adesse miseriarum suarum credere. Non laturum Imperatorem superbiam dominantium, moderaturum vectigalia, exclusos urbibus restituturum, sua cuique redditurum, prædicare. Varia igitur agitari consilia; atque uti voluntates sunt, sic sese homines demonstrare. Civitates tamen & Principes, quia publicam fidem dederant, advenientibus Legatis Cæsaris, innovationemque promissorum petentibus, dicto stare decreverunt, rursusque transitum securum, commeatumque promiserunt. Quibus autem gravior videbatur adventus, cum se non posse tantam rem perturbare conspiciunt, summo Pontifici timorem incutere student; haud ambigentes, remansurum in patria Cæsarem, si eum Nicolaus ab introitu deterreat. Per homines igitur, quibus palatium patet, mentem Romani Præsulis avertere tentant: Fridericum juvenem esse, affirmant, animo alto præditum, honoris atque potentiæ cupidum, magna domo natum, amicis, opibus abundantem; vocasse Principes Theutoniæ, splendidam militiam secum ducere: Italos plerumque novarum rerum avidos, Romanum populum ad omnem statum moveri, Imperio favere, clero infestum: Alphonsum Siciliæ Regem urbi vicinum, Imperatricis avunculum, Cæsari opem daturum: qui arma in Italia gerant, omnes Romani Pontificis atque Cardinalium opibus inhiare: in fatis inveniri, Fridericum tertium, cum regnum acceperit, intolerabilem clero futurum, oppressurum Ecclesias, vendicaturum urbem, res facturum ingentes. Prophetatum esse, Nicolaum Papam ante diem XIII. Kal. Aprilis aut obiturum mortem, aut in captivitatem venturum: Florentiæ inter negotiatores, nisi id fiat, haud parvas repromitti pecunias. Nicolaus, etsi pleraque omnia conficta, vanasque fatorum minas ducit, animi tamen dubius, hinc timet, inde cupit; hinc dominatum amittere formidat, inde coronandi Cæsaris gloriam expetit; nisi modo fiat, nescit an iterum ejus gerendæ rei facultatem sit habiturus: scit brevem hominis vitam, ægrotum se diu non posse vitam ducere; in sepulchro suo titulum coronatoris exoptat. Vicit tamen cupiditatem timor, & honori prælata utilitas est: quippe, quod audenti quam timenti plus imminere periculi videbatur. At cum honestas non sineret aperte negari adventum Cæsari; Henrico Senftleben, scriptori Apostolico, non incauto homini neque infido, qui aliis de rebus in Germaniam profecturus erat, negotium

datur,

datur, poſtquam Cæſarem adierit, ei ut ſuadeat, ne Romam properet, maneat totam domi hyemem, æſtate Italiam quærat; tum viris victum equiſque reperiri, hyeme vacua eſſe horrea, Romæ omnia cara, pluviarum diluviis itinera rupta eſſe, difficillimas in montibus vias, animos Italorum novitate adventus ſubiti turbulentos, tempore poſſe placari. Dum Henricus cum his mandatis Patavium tranſit, Germaniam petiturus, legati Cæſaris apud Venetos de tranſitu agebant. Vbi, reſponſo ex ſententia recepto, Ferrariam, deinde Bononiam, Florentiam, Senaſque petivere, neque uſquam male auditi ſunt. Senenſes tamen plus cæteris timere videbantur, qui Æneam nobili loco apud ſe natum, Cæſari acceptum, popularis regiminis inimicum arbitrabantur. Ibi Æneas Romani Pontificis litteras accepit, quibus Romam petere ſine mora jubetur; quod eum audire de Cæſaris adventu Nicolaus deſideret. Is ſibi commiſſum ex Friderico reſpondet, Imperatricem in portu Talamonis ut recipiat, Senaſque conducat: poſtquam id impleverit, e veſtigio ſe Romam iturum. Fuerunt & tunc Romæ nonnulli Theutones, qui Æneam de omnibus, quæ Romæ agitabantur, certiorem reddebant, a quibus de timore Pontificis & de Legatione Henrici inſtructus, in hanc ſententiam Papæ ſcribendum putavit: *Beatiſſimo Patri Nicolao ſummo Pontifici & univerſali Papæ Domino primo ſuo Æneas ſanctæ Senenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus Reverentiam & ſubjectionem dicit. Adivi te Romæ anno exacto, ut noſti, ex Neapoli rediens, Leonoram Regis Portugalliæ Sororem Cæſari deſponſatam ad Kal. Novembris in portum Italicum venturam, Fridericum eo tempore Romam petere, ſimulque coronam cum conjuge velle ſuſcipere, dixi; Cæſareum uti votum juvares, coronationique te accingeres, rogavi; tum vero filio tuo, qua potiſſimum tempeſtate intraret Italiam, quod iter teneret, conſilium dares. Quibus auditis, matrimonium & propoſitum Cæſaris commendaſti, cupidum te ſui adventus oſtendiſti, introitum hieme faciendum ſuaſiſti, inſalubrem Germanico corpori æſtum Italiæ affirmaſti, viam per agrum Venetum commendaſti. Ea Cæſar ex me audivit, cupiduſque aliquando ſuam coronam tollere, ex tuo conſilio & iter & tempus elegit. Nunc certior factus ſum, te ad Fridericum miſiſſe, qui tempus æſtivum expectari ſuadeat, cauſeturque rerum penuriam. Hæc etſi me Friderico mendacem oſtendunt, cui aliter de tua mente ſum locutus; non tamen me magnopere moverent, ſi ea tuæ dignitati, cui omnia debeo, conſona judicarem. Sed ſunt, niſi me fallit opinio, tuo culmini aliena. Quid enim Romanum Pontificem, quam dictorum factorumque conſtantia, magis decet? ſi tua nutant verba, cujus erunt certa promiſſa? Suaſiſti hiemale tempus accipendum; nunc probas æſtivum. Si uni mihi dictum id a te fuiſſet, poſſem videri mentitus, meumque dedecus tuam culpam tegeret. Sed aderant collegæ duo, qui ea mecum ex te audierunt. Non potes quovis pacto non videri varius,(1) nec fortaſſe deerunt, qui Friderici optare mortem dicant, cum tempus inſalubre commendes. Neque illud fidem faciet, quod urbi frumenta cæteraque ad victum neceſſaria deſint. Non latent res*

(1) *Ita in cod. ſecundo; deleta idcirco puncta lacunam in editis indicantia.*

*res Italæ Theutones: ſciunt, quæ apud nos ſunt, moreſque noſtras callent. Norunt anno proximo jubilæum habitum, infinitam populi multitudinem Romæ fuiſſe, neque tua providentia quicquam defuiſſe. Cur modo pauciores res frumentaria non ſuppetet? Non eſt hic annus ſterilior altero. Novæ fruges horrea opplevere. Vereor, ne Cæſar hac tua legatione animum erga ſe tuum mutatum intelligat. At plurima tibi de Cæſare adverſa dicuntur; venire illum armatum, Italiæ Imperium quærere, Clero dominium invidere; multa de Friderico tertio in fatis haberi dictu horrenda. Hæc ſi alios terrent, tuam certe beatitudinem movere non debent, qui hominem intus & in cute noſti: cujus æquitatem, fidem, religionem, non ſatis olim prædicare atque magnificare poteras. Quod ſi eſſet is cleri hoſtis, ut plerique garriunt, quando facilius, oro, clerum opprimere potuit, quam vigente in Eccleſia ſciſmate, ſtanteque Germanorum neutralitate? Si voluiſſet tantum, peſſumibat Eccleſia: cleri majeſtas omnis extinguebatur: nec tu hodie in hoc ſtatu eſſes, in quo te videntes lætamur. Sed miſertus eſt Eccleſiæ matris ſuæ Fridericus; ſumma enixus ope neutralitatem abolevit, ſciſmatis radices evulſit, tibi ut parerent Germani omnes, curavit. Nec præterea uſquam clero melius eſt, quam ſuo in patrimonio. Scis quæ monaſteria fundavit, quas erexit Eccleſias, quanta ſit ejus in te Romanamque ſedem devotio. Putas forſitan bonum Principem malos habere comites; times Romanos, times cæteros Italos, ne pium Principis animum inficiant, noſcentemque meliora, ſuadeant ſequi pejora. Sed non eſt ea mens homini, ad prava ut queat induci. Comites ei venient clari Principes, & alto ſanguine nati Proceres, quibus turbare urbes aut miſcere tumultus neque tutum neque decorum fuerit; qui nomen bonum lucris omnibus anteponant. Quod ſi tumulti quicquam in urbe ſurrexerit, non minus tuam quam Friderici perſonam Germanicus tuebitur enſis. Securior tua Pietas inter gladios Theutonicos quam inter Italos erit. Nam qui arma gerunt Itali, ex plebe ſunt, leves homines, mercenarii, quibus nihil eſt pecunia dulcius: Germani ex nobilitate milites legunt, graves viros ac fidei tenaces; quibus honore nihil eſt antiquius. Nihil eſt, quod vel in Cæſare vel in comitibus ſuſpicari fraudulentum queas. Fata vero, quæ nonnulli in medium afferunt, non habet me dubium, quin tua ſumma ſapientia rideat. Quis enim eſt, qui ſe futuri præſcium dicat? Cui notum eſt, quid veſper vehat? Futuri temporis exitum cæca nube prudens occulit Deus. Nec te libris auſcultare modernorum arbitror prophetarum, quorum dubia verba in omnes partes recipi queant, neque intelliguntur niſi rebus peractis: ut quiſque timet aut ſperat, ſic ſententias interpretatur; quas vir ſapiens nullo in pondere ducit. Quippe aut falſæ ſunt Prophetiæ, & abjicere ac ſpernere illas opportet: aut veræ ſunt, & evitari non poſſunt. Nam quod futurum divina providentia manifeſtat, id fieri neceſſe eſt. Itaque non timet ſapientia fatum. Ratione metitur futura ſapiens, &, ut ſunt homines, ita eos acturos putat. Quibus ex rebus non video, cur tua S. Fridericum timeat; cur ejus adventum impediat. Honoris tui cumulus in ejus coronatione conſiſtit. Vnio tuo tempore facta eſt Eccleſiæ:*

*Ju-*

*Jubilæus annus exactus: inſtat tibi tertia coronationis Cæſareæ laus: quam ſi modo differs, adeo Italiam involutam video, ut, te Pontifice ingreſſurum Italiam Cæſarem, ſperare, qui ſapiat, ſive Italus ſive Theutonicus, valeat nemo.*

Sic Pontifici cum ſcripſiſſet Æneas, Imperatori quoque litteras mittit: quibus *ſe accepiſſe* dicit, *quæ Senftleben ſit juſſus exponere. Legationem ejus ex metu profectam, non ex vero, affirmat. Cæſarem, niſi hyeme tranſierit, æſtatis caloribus impediendum, & Italico bello, cujus ſemina hyeme jacta in æſtate ſegetem productura non dubitentur: dum partes ſilent, facilem patere ingreſſum; neque timendam penuriam, cum neque diu Romæ ſit ſtandum, neque cum multis. Quod ſi neceſſitas ingruerit, rem frumentariam facile poſſe Tyrrheno mari adminiſtrari. Aut igitur ipſa hyeme veniat, aut ſe longo poſt tempore venturum non eſſe intelligat.* Nicolaus ubi ſcripta Æneæ legit, quamvis vehementer commotus, quia ſuis ſermonibus revinceretur, omnino tamen Imperatorem admittere ſtatuit: atque ambagibus procul motis, ſcribit Cæſari: *ſuum ſe adventum cupide præſtolari; optare, ut quam primum Italiam intret, Romamque viſat: omnia, quæ coronatio requirit, præſto eſſe; nihil ſibi honoris defuturum: Se Fridericum, ut filium, ex regione longinqua venientem, avide amplexurum. Si qui ſecus de ſua mente loquantur, hos diſcordiæ malæque Zizaniæ ſatores, neque fide neque auditione dignos. Nam ſibi nullum eſſe ardentius deſiderium, quam Fridericum Romæ quamprimum videre atque amplecti. Veniat quo tempore velit. Quo amplius maturaverit, eo citius Apoſtolico deſiderio ſatisfaciet.* Eaſque litteras, & ipſarum exemplum ad Æneam mittit: mandatque ſibi, ſi ei videatur, illas Cæſari quantocius reſtitui curet. Neque id ab Ænea neglectum eſt.

Eizinger vero, dum iſta aguntur, anxius, quo ſe pacto vindicet, noctes inſomnes ducit: nunc hos nunc illos Barones alloquitur, & quoniam ſuas injurias non urgere alios videt, publicas in medium affert: male gubernari Auſtriam queritur: Regem Ladislaum dure teneri; patriæ pupilloque conſulendum ait. Poſtquam ſentire ſecum aliquos intelligit, conveniendum eſſe, affirmat, cogitandumque in communi, quo pacto Fridericus ex adminiſtratione Auſtriæ depellatur. Placet omnibus convenire. Barones tum forte de Liechtenſtain, in Auſtria Moraviaque potentes, de finibus cum Eizingero litigabant: quæ res conventioni colorem præbuit, ne conventiculum illicitum, monopoliumque videretur. Rogati ſunt enim ex more regionis vicini quique nobiliores, ad litem diffiniendam, in locum cui Meilperg nomen eſt, trans Danubium inter Auſtriæ Moraviæque fines. Eo pergunt omnes, quibus in Cæſarem amarulentus animus rancidaque mens fuit, quibus vel negatæ petitiones, vel punita ſcelera fuerant. Auſtrales enim quamvis natura tenaces nulli quippiam largiantur, tamen ex Principe plurima petunt: quibus negatis, injuriam ſe paſſos, ajunt, reſque novas moliuntur; bonus his Princeps eſt, qui multa donat. At ubi nudum liberalitas reddidit, irriſum omnes deſerunt, atque alium quærunt, quem valeant expilare. Quorum mores dum Frideri-

dericus animadvertit, ab Auſtralibus dives quam pauper maluit derelinqui. Neque donare magna, ſine cauſa magna, voluit. Tenebat ſua pupillique bona, neque diſſipator videri volebat, qui tutor erat. Inde multi indignati, Eizingeri propoſitum ſecuti ſunt: exiſtimantes, Friderico dejecto, venturum alium, qui ſuæ rapacitati morem gerat.

Conveniunt igitur cum Eizingero, ex ordine Baronum Johannes atque Henricus de Lichtenſtain fratres, ac Vilhelmus nepos, Cadoldus Vanger, Georgius Churingius, & Nicolaus Drucſes: Ex militaribus, Georgius Taſchner, Georgius Frizendorffer, Wolffgangus Ruchendorffer, & alii quamplures natu nobiles. Quos Eizinger in hunc modum allocutus eſt: *Ego vos, viri præſtabiles, ſemper animi magni, communiſque boni cultores exiſtimavi. Hinc de repub. nonnihil dicere cum fiducia videor poſſe: quando veſtros animos meo ſimiles intelligo. Mihi ſub Alberto quondam Auſtriæ Duce, qui poſtea regnum Ungariæ cum Romano Imperio tenuit, juventus acta eſt: ab eo auctus, ab eo ſum in veſtrum receptus numerum; haud minimus, ut noſtis, in eo conſilio fui: multa ejus memoriæ debeo. Vos quoque apud eum magnipotentes fuiſtis, nunquam ejus nomen ex veſtra meaque mente poteſt excidere, qui patriæ generique noſtro decori fuit, qui terram in pace tenuit, qui neq; Bohemos neque Hungaros injuriari nobis permiſit. At poſtquam illum fata tulerunt, quam diſpar ſit noſtra conditio, omnes videtis. Abjecti homines Pancratius & Hanchrauter, viliſſimique latrones, impune Auſtriam populantur. Nos, uti par fuerat, Fridericum Cæſarem tutorem Sobolis, quæ naſceretur ex Alberto (nam Regina prægnans remanſerat) accepimus: honeſtati, juri, conſuetudini paruimus. Nato Ladislao coronatoque apud Hungaros, ejus tutelam Friderico cum certis conditionibus permiſimus, obedivimus, ei fideles fuimus. Verum quo ille pacto nos rexerit, pudet dicere. Nam ſi fuiſſemus homines, nequaquam talia tam diu toleraviſſemus. Promiſerat terram Auſtriæ ex conſilio incolarum regere, nihil novi oneris imponere, pupilli bona fideliter adminiſtrare: delegimus qui ſecum in conſilio eſſent: quibus ſpretis, Ungenadium, Neupergium, Zebingerium, quos noſtis homines, ſolos ſecutus eſt; horum uſus conſilio, his omnia credidit: hos elegit neque genere neque virtute præſtantes, qui nobis dominarentur, noſtriſque cervicibus imminerent. Nos ludibrio habiti velut ſervorum genus. Quot vobis ab his contumeliæ illatæ ſunt? Quæ veſtra in conſilio vox unquam fuit, quando ab his invitati eſtis? Quis veſtrum ab his non irriſus affectusque damno reperitur? Sed ferre iſta fortaſſe poſſemus, niſi Auſtria tota peſſum iret. Vectigalia terræ ad Fridericum omnia deferuntur: familia ejus ære noſtro paſcitur, ædificia novæ Civitatis, atque Grezenſia auro Auſtrialico eriguntur: nihil Fridericus, niſi ex Auſtria conſumit, veſtes ſibi, currus, equos, noſtra pecunia comparat. Ladislaus puer nobiliſſimus, cujus hæc bona ſunt, neque veſtitur, neque paſcitur, ut Regem decet: pauper, odioſus habetur. Quo tandem iſta feremus? ſemper nobis Vngenadius, Zebingeriusque, uti mancipiis utentur: & illi in aliena domo diteſcent, nos in noſtra pauperes fiemus? annon Domini noſtri*

*noſtri ſalutem quæremus, & utilitati noſtræ honorique conſulemus? Romam nunc Cæſar petere ſtatuit: gubernatores, qui ſe abſente patriæ conſulant, communis boni hoſtes legit, rapaces, ſuæ nequitiæ conſcios: nulla de nobis mentio facta, ſpreti omnes ſumus. Regius puer aut in arce aliqua concludetur, ad quam nulli pateat acceſſus; aut in Italiam ducetur, æſtus ut illum regionis interimat. At vos, ſi viri eritis, priſtinæ virtutis memores, gubernatoribus obviam ibitis, neque bis parebitis, qui neque lege neque more patrio inſtituti ſunt, neque ultra Friderici mandata recipietis, qui pacta nobiſcum percuſſa violat. Litteras ejus habetis, quibus nos omni obligatione ſolvit, ſi eum rumpere pactiones acciderit. Rupit: liberi ſumus: abuſus eſt conceſſa poteſtate, tutelam male adminiſtravit, onera nobis importabilia impoſuit: licet excutere jugum ejus, & quod reip. noſtroque dominio utile putamus, conſulere. Audete igitur mecum; dum Cæſar Italiam petit, libertatem arripite, gubernatorum juſſa contemnite, regimen ipſi Ducatus accipite; mox Viennenſes cæteræque Civitates ſequentur, quarum animos dudum perſpectos habeo. Prius tamen, ſi placet, legatos ad Fridericum mittamus; ſi forte Dominum noſtrum ad nos mittere voluerit: ſi negaverit, juſtiores apud omnes videbimur, qui non ante manus conſeruerimus, quam verbis amicis jus noſtrum repetierimus.* Hæc ubi Eizingerius expoſuit, laudare qui aderant viri virtutem, probare ſententiam, adjicere pro ſuo captu plura: damnare Cæſaris regimen, jugum abjiciendum dicere, ſubeunda pro libertate quævis diſcrimina: fidem A invicem dare atque recipere; jurare omnes, haud quaquam ſe quieturos, niſi Friderico dominatum aufferant. Ad quem ſine mora quatuor ex ſe mittunt, qui eum apud Novam Civitatem convenerunt, dixeruntque: *Terræ Auſtriæ Proceres de rebus privatis trans Danubium noviſſime ſimul habuiſſe conventum. Inter loquendum autem, etiam de Patriæ regimine, deque ſuo Domino ſermocinatos eſſe, neque viſum eis fuiſſe, aut Auſtriæ aut Domini ſui negotia bene diſponi: Cujus bona partim diſtracta, partim pignori eſſent inſcripta. Veniſſe in mentem ipſorum Alberti teſtamentum, quod de gubernatione Filii poſthumi dimiſiſſet: examinaſſe diligenter, quibus modis ad tutelam Cæſar fuiſſet admiſſus, & quæ Terrigenis ipſe promiſiſſet, utque duodecim conſilio delectos viros ad regimen communis terræ Cæſar callide deſtituiſſet. Inſuper, ut terrigenis, qui apud novum tritici burgum pridem congregati fuerant, placuiſſet Regem Ladislaum apud Viennam in patria ſede teneri, idque petitum ex Friderico fuiſſet. Sic enim libentius & animoſius populi adverſus invaſores patriæ arma capeſſerent. Similiter & alios Ladislai ſubditos petiviſſe, pro communi regnorum pace. Nunc ergo, cum menti Cæſareæ ſedeat, omnino Romam petere; cumque gubernatio terræ Auſtriæ ſine conſilio & ſcitu provincialium ordinata ſit: orare Cæſarem, ut Regem & Dominum eorum ad poſſeſſionem Auſtriæ paternamque domum remitteret, quodque in ejus gubernatione patriam voluntatem ſervari ſineret. Sic enim Regnis & Dominiis Ladislai bene conſultum iri, diverſarumque calamitatum*

*tatum vitari posse dispendia. Quod si Cæsar præter eorum opinionem id negaret, tunc eos pro jure naturæ, ac pro debito, quo domino tenerentur, id relaturos ad proximos consanguineos Ladislai, & ad cæteros ejus subditos, illosque pro consilio auxilioque requisituros, neque cessaturos, donec suum Principem ad hæreditatem paternam restitutum viderent. Responsumque super his scriptum sibi reddi* petiverunt. Arrogans hæc legatio temeritatisque plena visa est Cæsari, qui paucos ex Austria nobiles tantam rem aggredi mirabatur. Neque enim amplius sedecim nominati homines fuerunt, qui ab initio conspiraverunt. Sed audaces & factiosi, cupidi novitatum, assueti rapinis, in omne facinus prompti; quibus vel mori vel obtinere sententiam propositum erat. His ad hunc modum responsum est: *Quæ dicta ab eis essent, Cæsarem plene intellexisse, miratumque esse, talia eos petere, qui se tutorem Ladislai, gubernatoremque Ducatus Austriæ secundum terræ consuetudinem non ignorarent; quippe cum cæteris Australibus Alberti testamentum veluti cassum sibi tradidissent, seque unanimi voto pro tutore pueri gubernatoreque Principatus accepissent: neque latere ipsos, Reginam Elisabeth puerum Cæsari cum sacra Regni Hungariæ corona, tanquam tutori & proximiori consanguineo seniorique domus Austriæ Principi, tradidisse nutriendum: quem ipse in hanc usque diem bene & pudice educasset, neque secus in futurum esset facturus. Nil modo esse, cur refutati testamenti facerent mentionem, neque id habere rationem, quia Viennæ Regem teneri peterent, qui nossent, sæpe ante id temporis, nunc Bohemos, nunc Hungaros, eum ad se, non ad Viennam mitti petivisse. Australes autem semper consuluisse, ne ante pubertatis annos extra Cæsaris manum puer daretur: ne Regna inter sese dominiaque, pro illo apud se tenendo, contenderent. Timoris eandem adhuc durare causam. Nam si puer rectore indigens, ignarus regiminis, Viennam mittatur, suo ex arbitrio victurus; haud dubium, quin subditi ejus de regimine impuberis inter se litigent, contentionesque moveant, & regnis & pupillo noxias. Petitionem igitur eorum alienam videri a bono publico: neque tantum negotium, sine communi deliberatione suorum & Ladislai consanguineorum & subditorum aggrediendum. Ad quam rem accincto jam itineri ad Italiam Cæsari nunc otium non patere; sperare autem, brevi se rediturum; tumque consilia quæsiturum, facturumque omnia, quæ utriusque partis amici subditique pro bono pupilli ac terrarum consulerent. Interim hortari eos, ut favoribus & auxiliis assisterent his, quibus Austria commissa esset regunda, fidemque datam tenerent.*

Hac responsione data, fuerunt, qui Cæsari Viennam repetendam suaderent, incendiumque prius, quam adolesceret, restinguendum: pervestigandas e vestigio conspirationis radices, eradicandasque, antequam amplius extendantur. Coronam Italiæ posse alio tempore peti. Austriam, si nunc e manibus iret, difficile recuperandam. Nec putandum esse, Eizingerum tantum opus sine adjutoribus inchoasse: postquam Cæsar procul

procul abierit, tunc illi plures adhæ-
A furos. Quod consilium, etsi ex usu
Cæsar existimavit; tamen quia da-
tum ordinem (1) sui transitus absque
nota mutari non posse putavit, com-
positis sarcinis ex Austria in Styriam
profectus, Ladislaumque Regem se-
cum adduxit. Conspiratores autem,
ut Friderici responsum noscerent,
iterum trans Danubium in villam, cui
Vulder cognomen est, alter alterum
vocant; auctoque numero frequen-
tes veniunt. Ibique cognita Cæsa-
ris voluntate, in hanc sententiam ei
rescribunt: *Intellexisse se*, ajunt, *quæ*
*sit mens Cæsaris. Conventuros bre-*
B *vi Austriæ terrigenas, ad eos velle*
*Cæsaris scripta referre, indeque la-*
*tius respondere. Illud autem non*
*posse non admirari, quod petitus per*
*eos ad Viennam mitti Ladislaus in*
*Stiriam sit deductus: petere iterum*
*suum Principem, servituros se magna*
*fide Cæsari, suis precibus annuenti.*

Nec minus interea Prælatos
Baronesque sollicitant, secum ut sen-
tiant: Civitatesque circumeunt, sum-
moque studio in sententiam trahere
conantur: maxime autem Viennen-
C ses instant, quod hac civitate de-
flexa reliquas facile concursuras ar-
bitrabantur. Vtque circumvenire
incautos possint, Imperatorem, ajunt
jam iter ad Italiam accepisse; Ladis-
laum in Stiriam abduxisse; in Au-
stria sine consensu Provincialium
gubernatores positos, barones
tantum accersitos, civitates, me-
diam nobilitatem, Prælatos contem-
ptos esse: latrones nondum patria
eliminatos; timendum, ne quid ma-
li absente Cæsare oriatur. Conve-
niendum esse, de communi Austriæ
salute cogitandum: Viennensesque
magnopere rogant, conventioni lo-
cum tribuant. Illi autem singula,
quæ secum aguntur, Cæsari nuncian-
tes, conspiratoribus ajunt: se me-
moria tenere, quatuor terræ status
Fridericum Ladislai tutorem, pa-
triæque gubernatorem chirographis
ultro citroque datis admisisse; præ-
stitam a se fidem, atque jurisjuran-
di religionem violandam non esse.
At si Provinciales unanimiter aliquid
decreverint, consulatum populum-
que Viennensem honore suo juramen-
toque salvo facturum, quod Imperatori
Ladislaoque conducat: Conventum,
nisi Cæsar annuat, apud se fieri, non per-
missurum. Fridericus, ubi ex li-
teris Viennensium, & aliarum Civi-
tatum, ex ipsis quoque conspirato-
ribus congregationem Provinciali-
um quæri cognoscit; Gubernatori-
bus Austriæ mandat; omni conatu
repugnent, neque ullo pacto conve-
nire Terrigenas sinant. Viennensium
fidem commendat, hisque præcipit:
ne quos apud se fieri conventus pa-
tiantur; vocati in alium locum, ne
pergant, ne verbis Eizingeri cre-
dant. Vocari Terrigenas, Princi-
pis esse, non paucorum, dicit: ca-
veant, ne se absente eorum civi-
tas novi quicquam attentet; in suo
reditu, quem celerem asserit, qui
constantes fuerint, his præmia pol-
licetur. Eizingero autem ejusque
sequacibus litteras dat, quibus eos
nimis præsumere ait, qui Ladisla-
um regem, quo velint & quando ve-
lint, trahendum existiment: pupillum



(1) *Luxata in editis ita restituimus ex Cod. II. fol. 19. p. 1. asteriſco sublato.*

ſibi, non ipſis, commendatum; illum hactenus bene pudiceque gubernatum eſſe; cum tempus ejus advenerit, dominia ſua ſibi nequaquam defutura: fruſtra eos rem curare, quæ ad ſe minime pertineat: prudentius eos acturos, ſi pacem tenentes his pareant, quibus reſp. commiſſa eſt. Gubernatores apud Viennam primarios quoſque cives ad ſe accerſunt: civitatem quietam bene habere, populum divitem pace frui, benignum eis Fridericum eſſe dicunt, ne aures nonnullis præbeant, qui res novas moliuntur. Tumultuarios conventus ne tolerent apud ſe, monitos reddunt; pericula, quæ poſſunt oriri, certam pacem ſperatæ victoriæ præferendam, edocent. Cumque trepidare nonnullorum animos, incertaque multitudinis conſilia modo huc modo illuc flecti conſpiciunt, imminentem Cæſari turbationem ſcribunt, niſi celerius occurrat. Cæſar ad eos Vlricum Sunnenberger pontificio jure conſultum mittit; cui Viennenſes, quia verax eſſet, conſilioque polleret, plurimum credebant. Sed is res omnes infectas reperit: multos apud Viennenſes variosque tractatus eſſe, civitatem fluctuare, Gubernatoros timore correptos, neque remedium eſſe ad diſturbandum conventum, niſi quam celerrime Cæſar equitum præſidia certis locis collocet, minaſque conventuris inferat. Quod cum Cæſari ſuadere reverſus Vlricus niteretur, per eos impeditum eſt, qui ſua magis emolumenta, quam Cæſaris lucrum gloriamque quærebant.

Eizingerus interea, per homines induſtrios & audaces, poſtquam Senatum urbis Viennenſis ſentire contra ſe cognoſcit; plebem ſibi conciliare ſtudet. Velle Viennæ conventum habere omnes Provinciales, aſſerit: de commodo Regis Ladislai, qui vinctus tenetur, de ſtatu Patriæ, quam multi diripiunt, habere conſilium. Impedire Conſulatum tantum populi bonum, Civitatis utilitatem prætervertere. Viennenſes mercatura vivere, non poſſe rem facere, niſi plures ad ſe confluant: Si conventum habeant, penſiones ex domibus habituros, vina merceſque vendituros, argenti plurimum extorſuros; ſui Regis magnam inituros gratiam, qui ad ſuam liberationem intenderint. Peſſime Conſules agere, qui Friderico magis, quam ſuo Principi ſtudeant. Scinditur in varia conſilia vulgus: plebs infida, mobili ingenio, novarum rerum avida, laudare conventum, criminari Senatum, Friderici regimen accuſare, Ladislaum petere, odiſſe vetera, amare nova, vociferari tota urbe, niſi Provinciales admittantur, Conſulibus vincula mortemque minari. Inter quæ omnes eos ferociores vidiſſes, quos majus æs alienum majorque premebat egeſtas. At opulenti ſedare tumultum, probare quietem, novitates horrere, ſua ut eſſet quiſque ſorte contentus, hortari. Friderico nihil imputandum, dicere: qui tutelam ex communi conſenſu recepiſſet, qui patriam quietam tenuiſſet, qui pupillum optime educaſſet, qui nulli civium fiviſſet injurias fieri: Ladislaum adhuc regendi neſcium, rectore indigere, nulli melius, quam patrueli committi. Abſtinendum eo conſilio, quod contra Cæſarem fieret: dubios litis

even-

eventus ſæpe aliter evenire, quam fert opinio. Expectando Ladislao, ſuum tempus: tum, niſi Cæſar eum dimitteret, pro domino ſummo conatu pugnandum; medio tempore quietem habendam. Ne pupillum Cæſari auferentes alteri committant, qui nec perſonæ, nec bonorum ejus ex animo curam gerat. Sed horum voces, velut delirantium, habitæ ſunt; quicunque Fridericum commendavere, ut proditores venditoreſque libertatis, affecti convitiis, vix manus multitudinis evaſere. Vicit ergo, ut ſæpe in populis accidit, major pars meliorem. Conſternatus metu plebis Senatus, conventum apud ſe tenendum decernit, ſcribitque Cæſari, qua ratione id fieri neceſſum fuerit. Gubernatores, ubi rem concluſam intelligunt, loco furorique cedunt. Alii Cæſarem, alii ſua caſtella petunt. Cæſar etſi commotus eſt rei mutatione, non tamen animo deficit, neque propoſitum mutat. Scripto Viennenſes de conſenſu Provincialibus dato corripit. At quia conventus non fieri nequit, monet, ne contra ſapiant, ne conſentiant novitati, ne dictis Eizingeri fidem habeant, ſi ſe de multorum adhæſione jactaverit, certique ſint, Ludovicum Bavariæ Ducem nihil habere cum Eizingero conſilii, neque Ciliæ Comites: Hungaros inducias obſervaturos: Gubernatorem Bohemiæ cum Cæſare amicitiam habere, nullum eſſe in circuitu, qui Eizingeri partes ſit adjuturus. Petit quoque ex primariis civibus aliqui ad ſe pergant, quibuſcum de tollendis diſſenſionibus tractet. Illi autem, obſidum loco ſe petitos arbitrantes, inſecuritatem itineris, aliA aſque civitatis neceſſitates cauſati, nullum ſe habere civem, quem tanta in re poſſent mittere, reſponderunt.

Interea Prælati Eccleſiarum, Nobiles patriæ, Civitatumque Legati, magno numero apud Viennam conveniunt. Ex Baronibus pauci; quorum pars magna Cæſarem ſequebatur, pars ſeditionis eventum expectans longe a tumultu ſeceſſerat. Eizingerus, conſpiratique omnes, gloriabundi eo veniunt: ubi, veluti gravis belli victores, ingenti popuB lorum lætitia excipiuntur; Viri ſapientes forteſque & amatores patriæ appellantur, feſti dies aguntur. Convivia multarum epularum fiunt, invitant,& invitantur, tota urbe ſaltationes agitantur: viri, matronæ, pueri, innuptæque puellæ, excluſi Cæſaris carmina cantant; Ladislaum, nobilem Alberti ſobolem, brevi adventurum prædicant; vinaque crebris hauſtibus, invocato nomine novi regis, ebibunt. Auditorium exinde apud Carmelitas, in loco, qui curia dicitur, præparatum eſt. Ibi EizingeC rus, advocata Eliſabeth, ſorore Ladislai, virgine jam viro matura, quæ Viennæ in palatio remanſerat, eamque manu prendens, pulpitum, ex quo Iohannes de Capiſtrano alloqui plebes ſolebat, aſcendit, atque in hanc ſententiam fertur oraſſe: *Ingens mihi voluptas eſt hodie, Patres optimi, cum vos adeſſe frequentes animadverto, cupidos veſtro Principi, veſtræ patriæ conſulere, neque enim aliud conveniendo quærimus, niſi communem utilitatem: hoc nobis, hoc cuivis incumbit, qui nomine hominis cenſeri vult: quoniam non nobis tantum*

*nati*

*nati ſumus, ſed amicis & patriæ; qui ſibi duntaxat ſtudioſus eſt, eum extra numerum eſſe hominum, haud injuria putaverim. Nobis, etſi hactenus bene gerendæ rei voluntas fuit, at certe poteſtas defuit. Vndecim jam annis, dura & acerba ſervitute oppreſſi fuimus Friderici Cæſaris: qui nos loco mancipiorum habuit, neque conveniendi neque ſimul loquendi nobis libertatem fecit: Principem noſtrum abduxit, incluſumque, veluti captivum, nunc iſta nunc illa in arce tenuit: ſuper humeros noſtros Stirienſes poſuit, avaros atque rapaces homines, quibus honeſta atque inhoneſta venalia fuerunt: præturas, judicia, conſulatus, ſacerdotia, pecunia vendiderunt. Conſilia, quæ Baronum Prælatorumque novimus, ſoli quatuor direxere: qui veluti quatuor columnæ, & principatum noſtrum & Romanum Imperium gerere præſumpſerunt. Vectigalia publica, Ducalis Cameræ redditus, quis neſcit ad novam Civitatem deferri? Neque contentus his Cæſar, nova telonia inſtituit, importabiles actiones induxit, ex quibus ſe ſuamque familiam pavit. Hanc nobiliſſimam virginem, jam plenis annis nubilem aſpicite, obſecro, quo pacto tenuerit. Quæ civis non dicam hujus urbis, ſed vilis cujuſque municipii, non melius induta ad forum iret? Laceras tunicas, laceros defert calceos: vix ei victus adminiſtratus eſt. Quid illi regio pupillo accidere creditis, noſtro Principi, clariſſimæ Alberti ſoboli? Dure ſecum atque aſperrime agitur; neque victum, neque veſtitum regium habet. Ipſe contra Cæſar, Ladislai auro dives (nam & Alberti theſaurum omnem aſportavit) uniones adamanteſque comparat, pretioſe veſtitur, nova templa, magnifi-*

A

*cas ædes conſtruit, neque hujus terræ curam gerit, niſi ut aurum noſtrum corradat. Si vaſtantur ab hoſtibus agri noſtri, abiguntur pecora, ruſtici capiuntur, ſi vexantur omnia, nulla eum ſolicitudo remordet: tacet, atque inter ſuos ridet; ſi opem imploramus, non eſt, inquit, argentum bello neceſſarium, niſi caſtrum hoc aut illud hypothecæ adſcribitis, niſi novam pecuniarum contributionem facitis: annuimus; at auro exacto, nihil eſt in eo præſidii: damur nos noſtrique prædæ, niſi nos ipſi arma ſumimus, ac viribus noſtris hoſtem propulſamus. Plus auri quingenta mil-*

B

*lia pondo ex Auſtria recepit, neque vel unum aureum in utilitatem patriæ noſtræ, aut heri noſtri expoſuit. En fidelem tutorem, en amantem conſanguineum! Noſtis hæc omnes, manifeſtas res dico: Vobis mihique iſta dolori fuerunt, ſed nequivimus obſiſtere, nimia oppreſſi tyrannide. Nunc autem aſpexit divina pietas humiles preces noſtras, miſerum pupillum, quaſſatam patriam, oppreſſam gentem. Ecce ſimul adſumus: nunc, nos in libertatem ut vindicemus, licet. Si conjungimur, unumque ſapimus omnes, non eſt, cur Fridericum timeamus. Jugum ejus excutere jure poſſumus. Adſunt litteræ, quibus omni nos obligatione Fridericus abſolvit, ſi conventa non tenuerit. Violavit omnia, quæ promiſit: liberi abſolutique ſumus. Vtamur igitur libertate data, audeamus, viroſque nos demum eſſe monſtremus. Suſcipiamus ipſi regimen terræ: repetamus dominum; jam grandiuſculus eſt, annos natus duodecim: non eſt, cur eum tutori, ne dicam diſſipatori, amplius relinquamus. Imitemur exempla majorum: Wilhelmus Friderici patruus, Albertum noſtri Ladislai pa-*

C

*trem*

*trem in tutelam ſuſcepit: verum cum bona ejus aut ſibi uſurparet, aut negligeret; non tulit Reinpertus de Walſe tantam injuriam, pupillum e manu tutoris eripuit, atque in paternam hæreditatem reduxit. Quid de Atheſinis dicam? Nonne arma ſumentes Friderici Præfectos excluſere, Provinciamque tam diu per ſeipſos adminiſtravere, donec eorum dominum Sigiſmundum ad eos Fridericus remiſit? Duces Auſtriæ tantummodo Albertus & Sigiſmundus eo tempore fuerunt, & ſubditorum ope ſunt liberati. Quid nos facere oportet, qui non ſolum Ducem Auſtriæ, ſed Hungariæ atque Bohemiæ Regem, Dominum habemus? Equidem ſi meis auſcultare conſiliis vultis, crudeli Stirienſium dominatu vos liberos, veſtrumque dominum vobis reddam. Sunt forte nonnulli, qui formidandam Friderici potentiam & Romani Regis nomen arbitrantur. Verum illi, præter Stiriam, Carinthiam, & Carnioliam nullus principatus obedit. Nec ſunt hæ Provinciæ Auſtriæ comparandæ; montanæ, pauperes, inermes. Nos & virorum numero & opibus multo ſuperamus. Quippe, nec, ſi Romanum imperium cum Friderico ſentiat, timere nos oportuerit: quibus & Vngari & Bohemi & Sileſitæ ac Moravi pro communi Domino adſtabunt. Eſt præterea, quo magis ac magis me horter, Ludovicus Bavariæ Dux, dominatu par Regibus, ex amita noſtri Principis natus; qui nobis audentibus ingens auxilium pollicetur. Albertus Marchio Brandenburgenſis, cui hoc tempore nemo par induit arma, daturum ſe opem, venturumque cum exercitu, ſi fuerit opus, conſtanter affirmat: nec A Ciliæ Comites nobis deſunt, Ladislao noſtro conſanguinitatis jure obnoxii. Quin audemus, fortemque ſumimus animum. Pudeat nos tandem, coram Vngenadio atque Zebingero detegere caput, venaleſque manus eorum tangere: neque genus neque virtus his eſt, quæ nobis eos præferat; ignoti homines, ignavi, craſſo ingenio, niſi apud Fridericum locum inveniſſent, nullus eis in orbe terrarum Princeps victum dediſſet. Abjiciamus turpiſſimum jugum, atque hæc monſtra hominum tetra, horrenda, extra patriam relegemus. Omnis B nos ætas commendabit, qui noſtro Regi fideles, Friderici tyrannidem depulerimus.* Quibus alto animo dictis, litteræ Friderici pactaque utrinque percuſſa ut legerentur, juſſit, eiſque ſenſum, ut ſibi viſum eſt, præbuit. Si quid obſcurum aut dubium fuit, ad ſuam intentionem interpretabatur. Regia ſoror uberes lacrimas effundebat, ſibi derelictæ fratrique captivo petebat opem. Plus tamen ejulatu quam ſermone circumſtantium corda pulſabat, atque ad miſericordiam commovebat. Deinde, quicunque regnante Friderico C viſus eſt lædi, ſuam injuriam in medium adduxit. Nonnulli, ut erant edocti, vociferabantur. Alius Fridericum, alius Conſiliarios, alius Camerarios accuſabat. Nullius officii non culpata perſona eſt: hic tumidus, ille crudelis, alius ſtultus, omnes avari & harpyiarum ſimiles dicebantur. Nemo fuit, qui vel Friderici, vel ſuorum Cauſam tuerentur. Nam boni, qui novitates horrebant, quietumque Cæſaris dominatum amabant, fremente multitudine, conticebant, ne ſtulti pro ſapientibus haberentur. Laudare igitur omnes

Vlricum, virumque priſca virtute præditum, boni & æqui amantem, Ladislai tutorem, patriæ patrem dicere; ſequendam ejus ſententiam, excludendum Auſtria Fridericum, repetendum Ladislaum, aſſumendum terræ regimen, decernere. Deliguntur igitur duodecim viri ex omni ſtatu, hiſque belli paciſque poteſtas permittitur. Capitaneus terræ Vlricus aſſumitur. Is eſt maximus Magiſtratus, qui jus dicit. Nicolaus Druchſes, Hubarum magiſter dicitur. Hujus eſt publicas pecunias exigere, atque in uſum Reipublicæ convertere. Magiſtratus cæteri pro neceſſitate conſtituuntur. Conſulatus Viennenſis in tanta re anxius, etſi Cæſari fidem ſervare vult, tamen plebis terrore compulſus in partes Eizingeri delabitur, fitque corpus unum. Conventus deinde in hunc modum Cæſari ſcribit: *Domino Friderico Romanorum Regi Auguſto, Prælati, Barones, Nobiles, commmunitateſque, terræ Auſtriæ, ſalutem dicunt. Convenientes apud urbem Viennenſem, de magnis patriæ neceſſitatibus acturi, vidimus ſcripta tua, quibuſdam ex nobis tranſmiſſa, ſimulque litteras diviſionum inter tuos & Ladislai prædeceſſores habitarum; inſcriptioneſque, ſecundum quas tibi tutelæ adminiſtrationem permiſimus; teſtamentumque Regis Alberti mature diſcuſſimus: nec perſuaderi nobis poteſt, Elizabeth Reginam filium ſuum Ladislaum alio modo tuæ Majeſtati tradere potuiſſe, quam Patris ultima voluntas ordinaſſet. Albertum autem, licet Vngariæ atque Bohemiæ regnum acquiſiverit, dominium tamen Auſtriæ nunquam reſignaſſe comperimus, ſed illud filio ſuo non tibi dimiſiſſe. Sumus igitur Ladislao, veluti noſtro domino naturali, obligati: cumque tua Serenitas ea minime adimpleverit, quæ per ſuas litteras promiſit, conabimur, ut Ladislaus ad ſuam hæreditatem remittatur, omnemque ad hoc operam, ut obnoxii ſumus, impendemus: ne quiſquam de perfidia nos arguere poſſit, qui Alberto & ſuis hæredibus maſculis fidelitatem promiſimus. Precamur igitur ſapientiam tuam, pro bono pacis & utilitate patriæ, liberum Ladislaum ut ad ſua dominia noſque remittat. Nos enim deinceps niſi Ladislao Regi nulli parebimus. Jam, qui patriam ejus nomine regant, magiſtratus elegimus; Confidentes, benignitatem tuam haud nos diu in tali regimine dimiſſuram. Rogamus autem, ne cauſam nobis præbeas, quærendi apud alias gentes remedia & auxilia, per quæ negato domino & nobis ipſis provideri poſſit; quæ res multorum poſſet eſſe ſeminarium malorum, neque tuæ Serenitati neque terræ Auſtriæ conduceret.* Wiennenſes quoque & aliæ Civitates, hac concluſione recepta, litteras Friderico miſere: quibus, ſe velle communis conſilii decretum ſequi, nunciaverunt; promiſſiones & juramenta reſignantes, quæ Cæſari tanquam tutori præſtiterunt; affirmantes, ſe illis amplius non teneri. Quibus quanquam Fridericus reſponderit, *Conventum Viennæ habitum ſine conſenſu Principis, ſine Baronibus præcipuis, vim non habere; juramenta nan poſſe absque ſua voluntate reſolvi; Ladislaum adhuc pupillum eſſe, tutelam nonexpiraſſe, nihil ſe contra promiſſa feciſſe; debere ipſos melius deliberare:* Illi tamen in propoſito perſeve-

ſeverantes, nunc hos nunc illos in ſuam ſententiam trahere nituntur.

Ea cum audiſſet Vlricus Comes Ciliæ junior, erectus animo, diem adveniſſe, quo Friderico Cæſari obeſſe, Ladislao Regi prodeſſe poſſit, magnopere gaudet. Nam etſi Friderici Conſiliarius erat, non tamen pro meritis honoratum ſe arbitrabatur, ægerrimeque ferebat, ſecretiores res abſque ſe geri; tribus conſiliariis omnia credi, ſibi fidem nullam haberi; ſimulque cupiebat, Ladislaum Cæſaris manu exire, qui Sororis ſuæ conſobrinæ filius eſſet. Sperabat autem, quod poſtea ſecutum eſt, illo in dominium redeunte, omnium rerum ſe gubernatorem futurum. Hoc tempore non longe ab anno quinquageſimo fuit; quamvis adhuc nutriendis crinibus operam daret. Vir ſtatura procerus, eminenti pectore, oſſe multo, carne modica, crure tenui, vultu pallenti, grandioribus oculis atque ſaguinolentis, voce rauca, alto corde, ingenio perſpicaci, ſed vario & inconſtanti: neque labore fatigabilis, neque libidine ſatiabilis, fidei promiſſorumque parum tenax, ſimulator, atque diſſimulator, alieni raptor, ſui prodigus, dicendi agendique juxta promptus. Huic pater filiam Deſpoti Raſciæ deſpondit; græca perfidia maculatam, alioquin facie & moribus honeſtam; ex qua maſculina ſoboles nata ante pubertatis annos abſumpta eſt. Inde matrimonii jus parvi ducens Vlricus, alienis ſe paſſim mulieribus miſcuit, multarumque fæminarum pudicitiam violavit. Denique apud Viennam captus amore, quamvis nuptæ, tamen proſtitutæ mulieris, virum ejus in clientelem aſſumpſit: utque liberius adulterio dare operam poſſet, caſtri non ultra quinquaginta ſtadiis a Vienna remoti, quod villam forenſem appellant, curam ſibi commiſit, uxorem ejus acturus, dum ille res ſuas ageret. Animadvertit tamen ignavus homo longo poſt tempore, conjugi ſuæ, non ſibi blanditum eſſe: neque potis verba tenere, inter æquales Comitem incuſavit, ipſumque accedens, licentiam repetendi domum petiit. Erat tunc apud Heinburgam Comes in finibus Auſtriæ & Vngariæ: qui mente hominis ex declaratoribus cognita, libertatem illi abeundi dedit, moxque ſervos quatuor, qui eum apprehenderent inter equitandum, miſit. Incertum habeo an necem quoque mandaverit; illi, cum fugientem virum comprehendere nequirent, ſagittis confodere. Inde Comes conjugem ejus ſolus obtinuit, ac pene juſtæ uxoris loco cultu magnifico tenuit. Hanc Thomas Haſelbach, qui villæ forenſis Præpoſitus plebi eſt, non incelebratus Theologus, Herodiadem ſolitus eſt vocitare, ſceleratam fœminam, cujus libidinem redimere viri ſanguine oportuit. Nec hujus duntaxat cauſa ſceleris ea meretrix fuit, ſed nobilem Comitem, qui tanquam Conſiliarius, Princepsque Romani Imperii juramentum Friderico præſtiterat, ſingularique fœdere cum patre ſe obligaverat, fallere fidem, jusjurandum infringere, prodere Dominum compulit. Nam Comes, ut ea potiri ſuo ex arbitrio in Auſtria poſſet, quam apud Ciliam habere metu patris non audebat, miſſis nunciis ad conſpiratores Auſtriæ, cœpta illorum commendat, ut proſequantur hortatur, omnia ex ſententia curſum habitura, ſi forti animo perſeverent,

affirmat; auxilia ſe daturum, acceſ-
ſuros Hungaros pollicetur. Quæ
cum Fridericus ab exploratoribus co-
gnoviſſet, optimum factu ratus, am-
bos Ciliæ Comites ſibi conciliare,
priuſquam parti adverſæ conjungeren-
tur, Legatos ad eos mittit, qui de
conventione pertractent. Sed fru-
ſtra hæc legatio fuit. Junior enim
Comes ad res accenſus Auſtralicas,
nihil aliud expectabat, quam Cæſa-
rem exire Germania; quo facto ſe
quamprimum ab Auſtralibus evocan-
dum confidebat. Non eſt hic, ut
opinor, quoniam de Comitibus Ciliæ
ſermonem habemus, ac de Juniori di-
ctum eſt, de Seniori quoque extra pro-
poſitum, aut alienum pauca referre,
quando nec patrem filio, nec filium
patre minus dignum videmus. Co-
mes Senior Fridericus nomine, Her-
manno genitori corporis proceritate
majeſtateque pene par, ſed animi mo-
deratione plane diſpar, durus atque
intractabilis, ſanguinis avidus, cru-
delitati & avaritiæ deditus, hoſtis
Cleri, divini cultus inimicus, ſubdi-
tis gravior, vicinis odioſior, nulli
amabilis, gulæ indulgens, libidini
indulgentior. Hic cum filiam Nico-
lai Comitis Croatiæ, non minus pro-
bitate quam ſanguine generoſam, du-
xiſſet uxorem, brevi mores ſibi diſſi-
miles aſpernatus, ea repulſa in alia-
rum ſeſe connubia provolvit. At
cum parentes utriuſque, magno labo-
re, poſt aliquot annos, diviſos con-
juges in matrimonium reduxiſſent,
prima nocte, qua Fridericus ad uxo-
rem rediit, quod parabatur ad pa-
cem, vertit in necem. Efferatus enim,
& amoribus novæ concubinæ devin-
ctus, arrepto cultro nobilem atque ho-
neſtam fœminam, ex qua prius Vlricum
ſuſtulerat, neque Jus matrimoniale, ne-
que altitudinem ſanguinis, neque com-
mune pignus ſuſceptum advertens, ſce-
leratus occidit. Vnde ad tribunal
Imperatorium accuſatus atque convi-
ctus, reus mortis adjudicatus, patri
traditus, illius benignitate in multo-
rum ruinam ſervatus eſt. Concubina,
quæ ſexus fragilitate ac fortaſſe coa-
cta peccaverat, ut eſt juſtitia Prin-
cipum in profluentem merſa, alieni
criminis pœnas dedit. At ille, poſt-
quam Principes impune peccare co-
gnovit, mortuo patre, incredibile
memoratu eſt, in ſubditos quam turpi-
ter debacchatus ſit: iſtis uxores, illis
filias, ſorores aliis eripuit: nuſquam
virgo ſervari potuit: neque quas ra-
puit, in palatio more Principum te-
nuit, ſed corruptas indotatas reſtituit.
Fabrum ferrarium aliquando, cum
ejus conjugem forma egregiam in pal-
latium ſuſtuliſſet, atque deinde red-
didiſſet; illeque violatam ſpreviſſet,
non parvo ære mulctavit: ridiculum
atque indignum dictitans, plebejum
hominem nolle mulieri condormire,
cui Princeps conjacuiſſet. Nam ego,
inquit, alto ſanguine natus Comes
non ſprevi amplexus ejus, quam tu
prius corruperas; tanquam promiſcua
inter omnes connubia eſſe vellet;
minime tamen id jus aliis permiſit.
Nobilem namque adoleſcentem, qui
ſibi diu ſervierat, atque inprimis ac-
ceptus erat, quod ab altera concu-
binarum amari videbatur, excarni-
ficatum neci tradidit. Sic homo mul-
tis ſceleribus illuſtratus ſupra octua-
geſimum annum vitam produxit. At
mira res: nemo tam conſummatæ
nequitiæ reperitur, qui non bonos
in filio mores cupiat. Hic cum vi-
deret, Vlricum filium uxorem fugere,

mere-

meretricis amore perditum in ejus amplexu tabeſcere; ſæpe inter ſuos queſtus, juſſit ad ſe filium accerſiri; niſi veniret, heredem alium ſe lecturum minatus. Vtque majorem illi metum incuteret, nubilem quandam ex ſuis ſubditis puellam legitimo matrimonio ducturum ſe finxit. Vlricus autem bis terque vocatus, poſtquam patris furorem nimis augeri animadvertit, cum neque disjungi meretricis amplexu valeret, neque paternum imperium diutius contemnere fas putaret, mulierem præcedere juſſit, ipſe paulo poſt ſequitur. Pater, ut filii ſcortum egregio comitatu appropinquare didicit, incertus diu quid ageret, tandem ex Concubinis ſuis unam accerſit, veſtitamque more Principum, ac nobilium caterva cinctam, illi obviam mittit; utque meretricem meretrix blande recipiat, per indignationem imperat. Sic enim filio quod doleret, facturum ſe credidit. Quod cum ſecus eveniſſet (nam id honori magis quam contumeliæ deputatum eſt) filium inter paucos allocutus, ſcortum relinquere, atque uxori ad hærere admonet: niſi pareat, futurum exhæredem, aſſerit. Cui Vlricus, mi pater, inquit, ſine me hanc amare fœminam, ſi me vivum cupis; moriar ſi me ſeparas. Intuere teipſum, memento, quod matrem meam occidiſti, ne Concubinæ disjungereris amplexibus: noli ex filio exigere, quod ipſe Pater non præſtitiſti; ſine me filium eſſe tuum, nil facio me indignum, dum paterna veſtigia ſequor, amo, ſcortor, bibo, voluptati obſequor, tuus ſum filius, ex te hos habeo mores. Si vis auferre naturam, auferes & vitam. Tum pater vera locutum intelligens filium, morumque ſuorum memor, fruſtra, inquit, laterem lavo; nec vincere neque flectere naturam cuipiam licet; vive ut libet, fili. Sed ſcito, quia in te noſter ſanguis finem habebit, vetuſque Ciliæ domus nomenque noſtrum tua culpa delebitur. Hæc libuit idcirco referre, ut Dei patientiam, vel potius providentiam admiremur, qui tales Principes ad noſtrum flagellum dominari permittit, quos ſæpe brutis animantibus cernimus fœdiores: qualeſcunque tamen ſunt Principes, quia gladium habent, & timendi & reverendi ſunt. Sane Comitatum Ciliæ ad Principatus honorem Sigiſmundus Cæſar primus erexit. Ex qua re nata diſſenſio inter Comites & Auſtriæ Duces diu Stiriam Carniolamque laceravit. Demumque Friderico imperante in hunc modum ſublata eſt. Renunciarunt Comites ordinationi Sigiſmundi, quæ adverſus privilegia Domus Auſtriæ proceſſerat. Exinde Fridericus de novo Comites Ciliæ Principes creavit, ea lege, ut perpetuum fœdus ſecum tenerent, utque ipſis ſine maſculina & legitima prole decedentibus, Comitatus ad Auſtriæ Duces rediret. Nunquam tamen erga Cæſarem ſincerus animus fuit, nunquam pura mens Comitum. Sæpe res novas machinati ſunt; nunc ſpolia in agris Cæſaris commiſerunt, nunc committentibus præbuere favorem. Cumque plurima eorum caſtra commixta caſtris Cæſaris eſſent, neceſſarium videbatur, ante ingreſſum Italiæ cum his convenire, intelligere quid animi haberent, atque an fœdus antiquum tenere proponerent. At cum legati miſſi nihil de conventu retuliſſent, Albertus Ger-

manus Cæſaris Auſtriæ Dux, ambos Comites in Pataviam vocat, eos adit, locutusque multa, cum juniorem flectere nequiret, ſeniori ſuadet, ad colloquium cum Cæſare Lebenitiam veniat. *Quod eſt opidum ſupra Muram fluvium non longe a Græcio Bajoario; ubi magnam olim fuiſſe civitatem, tumuli quamplurimi ſepulchrorum jacentes indicant, & marmorei multi lapides vetuſtis inſcripti litteris, quæ Romanorum nomina referunt, quos rexiſſe terram aliquando crediderim. Nam regionem hanc, quæ modo Stiria dicitur, vocatam prius Valeriam, & in provinciæ modum redactam, non eſt obſcurum. Igitur in Lebenitia cum Cæſar Seniorque Comes non ſine magna Alberti induſtria conveniſſent (nam Comes nunc litteras publicæ fidei, nunc alias res ſuſpectas habuerat) tutelam regii pueri quo jure Cæſar acceperit, quomodo & quanto tempore geſſerit, calumniaſque ſibi per Auſtrales impoſitas refert, articulos contra ſe datos confutat, inſolentiam & perjuria gentis exponit, ulturum ſe injurias, correpturum ſcelus promittit. Comitem vetuſti fœderis memorem eſſe rogat, ne ſe auſtralibus jungat, Vicinum ſe bonum, Principem fidelem, amicum ſeſe præbeat verum, hortatur, filiumque, ne temeritatem ſequatur Auſtralis populi, cohibeat. Poſt varios ſermones, ait Comes: de geſtis Auſtralium nihil ad ſe fore delatum: juſtum ſibi Cæſarem videri, tutelam pupilli regii ad eum jure pertinere: vetus in memoria ſua fœdus eſſe, illi ad hærere: fidem ſe nullo pacto violaturum: bonum Principem, optimum ſe vicinum pollicetur. Quid filius ſentiat, ignorare ſe, dicit: toto conatu, ut cæſaris partes ſequatur, curaturum ſe, afferit: promiſſurum pro illo nihil, affirmat. Satis ea Cæſari videntur: fuiſſentque ſatis ex viro bono. Sed malum animum verba non obligant; qui aliud in pectore clauſum gerunt, aliud in ore promptum habent: hoſce homines hoſtium loco, quam amicorum tutius accipias. Cæſar a Comite ita recedit, ut in ejus parte nihil periculi futurum putet.

At ubi ad Græcium reventum eſt, novæ in horas adferuntur litteræ. Auſtrales dietim pejora moliri, atque nunc iſtum nunc illum ex Baronibus in ſuam ſententiam ducere, plurima cum vicinis Principibus noxia pertractare, niſi præſto Cæſar ſubveniat, actum de ſuo regimine fore. Tum quoque Henricus Senftleben ex Romana curia veniens, Cæſarem adit, Nicolaum Papam ad coronationem celebrandam non bene accinctum, urbem frumento vacuam, diviſum Romanum populum, Italiam nutantem, hyemem aſperam dicit: Placere quoque Romano Præſuli & univerſo cœtui Cardinalium afferit, tranſitum Cæſaris ad æſtatem proferri. Quæ legatio moleſta Cæſari, pleriſque Conſiliariis gratiſſima fuit: qui, remanente in Auſtria Cæſare, facile ſedari poſſe tumultus, arbitrabantur; recedente vero amitti Auſtriam non dubitabant. Stat tamen propoſitum Friderici, vel cum maximo detrimento Italiam petere. Interea gens Vngarica, ad quam miſſus fuerat Hartungus de Kappel, legalis ſapientiæ conſultiſſimus, Legatos ad Cæſarem remittit Paulum Epiſcopum Agrienſem, Tubertum comitem de Prata, &

& alios: quibus adjunctus erat per Comites Ciliæ Benedictus de Thurotio. Qui Cæsarem Græcio recedentem invenientes, eum in Adriam secuti sunt: quod est opidum flumini Muræ adjacens, Comitum de monte forti. Vbi auditi, hujusmodi legationem exposuere: Dixerunt enim, *in festo Sancti Michaelis, quod proxime diffluxerat, Vngaros, qui Viennæ fuerant, ut sæpe alias, suum Regem petivisse. Quo negato, inducias ad annum prorogatas fuisse. Dixisse tamen aliquos ex consilio Imperiali, si Cæsar ante suum in Italiam transitum, ab Australibus seu Bohemis, Regem ut daret, peteretur, futurum ut Imperator Vngaris eum potius, quam aliis traderet. Fuisse autem Vngaros medio tempore cum Bohemis Moravisque congregatos, deliberasse, Regem petere. Placuisse Bohemis ac Moravis, Ladislaum primo Hungariam ingredi, exinde in alias terras transire. Optare ergo Vngaros, precarique obnixe, cum jam Cæsar in Italiam profecturus sit, Ladislaum ad eos mittat, in ejus principale Regnum, in quo natus, baptizatus & coronatus est, exinde datus Imperatori: qui eum diu non sine grandi Vngariæ jactura tenuerit: regnum illud, scutum Christianæ fidei, non posse neque velle amplius absque Rege suo manere.* Legatus autem Comitum Ciliæ, Hungarorum petitioni morem geri petebat. Quibus auditis, Cæsar deliberationem in aliam diem recepit, postmodum in Leuben hoc responsum dedit: *Petivisse quidem Vngaros suum Regem apud Viennam, fatebatur: negatum tamen fuisse, ajebat, quoniam illi rei dari nunc opera non valuisset: cum deliberatio multorum, quæ ad dandum his aut illis Regem necessaria noscebatur, propter festinum in Italiam transitum haberi non posset. Minus id nunc perfici posse; jam se in itinere constituto. Verum esse, quod de induciis exposuissent: ideoque non posse se verum credere, quod Australes dicerent, Vngaros secum sentire: nam id esset stantibus treugis fidem frangere. Rogare, ut pacem, ut promissa, tenerent: quoniam Romam sua sublimitas non Coronæ causa solum ire, verum etiam propter commune populi bonum, pro commodo Regni Vngariæ, pro bello contra Turcos instituendo; ad quod ordinandum jam Philippus Burgundiæ Dux apud se verba fecisset: at opus esse id agere cum Papa: velle igitur Romæ ad eam rem navare operas: petere, ut & Hungari eo mitterent, de bello cum infidelibus gerendo cogitarent, cum Christianis pacem custodirent.* Atque hoc Vngaris. Legato autem Comitum Ciliæ dictum est: *relatum esse Cæsari, Comites illos apud Australes nuncios habuisse, eorumque propositum commendasse. Australes Regem Viennæ petere, Vngaros in suo Regno: Comites, Vngarorum petitioni assistere. Impossibile esse his atque illis satisfieri. Audisse legatum, responsum Vngaris datum; id suis Dominis referret, suaderetque eis, ne fidem fallerent, neve res novas aut in Austria aut in Hungaria quærerent.* Hungari replicantes, Regem non ideo a se petitum esse dicunt, ut violare treugas velint, qui fidei tenaces essent. At cum scirent, Australes Bohemosque Regem petere, noluissent negligentes videri; simulque suo Regno consultum ivissent; cui Regem habere plurimum conduceret. Quem si Cæsar amplius

ne-

negaret, non poſſent Apoſtolicæ Sedi cæterisque Chriſtiani orbis Principibus querelam non facere. Rem belli in Turcos laudabilem eſſe, Cæſarique pro officio Romanique nominis majeſtate incumbere; optare, ut ei apud Nicolaum Papam ex animo intenderet; id ſibi apud homines honori, apud Deum merito futurum. Non tamen idcirco ſuum Regem Hungaris eſſe negandum. Fridericus autem ubi cognovit, induciarum fœdus ab Hungaris ſervandum eſſe, ſatis id iter Italicum habere dijudicans, dicit Legatis: uſque ad reditum Regis negotium differendum: in Italia non diu ſe manſurum: cum redierit, Vngaris potius quam aliis Ladislaum creditu-
B rum: Auſtralibus vero Regem petentibus ea vice nequaquam auſcultandum ſcirent. Atque ita expeditos, remiſit. Paulus tamen Epiſcopus cum Caſpare Pædagogo Regio, dum hæc aguntur, nonnulla de tradendo Rege clanculum machinatus eſt, quæ poſtea ſuo loco referentur.

Proſecutus exinde ſuum iter Fridericus, ad oppidum Sancti Viti pervenit; quod eſt Carinthianorum
C caput: ibique Nativitatis Dominicæ feſta peregit. Ad quem locum & Ladislaum Regem proficiſci juſſit, in Italiam ducturus eum: non ſolum ut Auſtralium eriperetur inſidiis, verum etiam, ut peregrinos puer mores ediſceret. Illinc Reinpertus de Walſe, qui ſe Romam iturum cum Cæſare promiſerat, clam recedit, reverſusque domum cum Wolffgango fratre majore, hujuſcemodi literas ſcribit: *Quamvis tibi, Cæſar, tanquam familiares & Conſiliarii fidem dederimus; tamen quia propter nonnulla negotia* A *nobis incumbentia, neque conſilio neque ſervitio tuo intendere poſſumus, utrique renunciamus, noſque promiſſis abſolvimus: quod, ne graviter feras, oramus.* Quorum morem quamplures ex Auſtria nobiles imitati ſunt, ſcribentes, ſe deinceps Friderico, velut Tutori, nolle teneri. Tanquam unius partis ſit, altera nolente fœdus promiſſaque tollere. Incertum ſtultitia an malignitate id egerint. Volens autem Cæſar de Comite Vlrico Ciliæ fieri certior, an contra ſe ſentiret, ſignificaverat ei: famam ad ſe delatam eſſe, quod is Eizingero conjunctus ſit, mutationeſque Auſtriæ nutriat. Id autem non ſe opinari verum, dixerat; rogaveratque, ſecum ut Romam iret; honorem ſtipendiumque promiſerat. Ille vero cum Patris conſenſu Legatos ad Sanctum Vitum miſit Georgium Vngenadium equitem, multo abdomine grauem; Leonardumque Secretarium non indoctum virum & amantem doctorum. Qui hunc ſermonem habuere: Quod optaſti, Cæſar, Vlricum Ciliæ Comitem ſequi te Romam, optabat & ipſe vehementer, Cut & tibi morem gereret, & Cæſaream coronationem videret. Noſti tamen, inter Gubernatorem Hungariæ & Giskram Bohemum ingentes eſſe contentiones: eas Vlricus dirimere cœpit: infectum relinquere negotium non decet: quod ſi perfecerit, ut ſpem habet, non minus tuæ Serenitati & Ladislao Regi ſubditiſque amborum proderit, quam ſi tecum Romam iverit. Quod autem Eizingero contra te junctum Vlricum aliquos aſſeverare tua Majeſtas ſcripſit, id ipſe conſtanter negat: neque putat, Eizingerum hoc dicere, quod

falſum

falſum ſit. Comes enim in cauſa Auſtrali contra Cæſarem neque ſentit, neque ſenſurus eſt. Poſthæc nonnullos articulos obtulerunt, quos dicebant, Sigiſmundum hubarum Magiſtrum Cæſari porrexiſſe; qui hujuſcemodi fuerunt: Comitem Ciliæ falſam monetam cudiſſe, eamque dediſſe militibus ſtipem, deinde bonam repetiviſſe: ſtipendiarios ejus rei querelam hubarum magiſtro feciſſe: inde Cæſaream Majeſtatem & infamiam habuiſſe & inutile ſervitium: Comitem in exercitu contra Calixium trecentos equites minus habuiſſe, quam promiſiſſet; ſtipendia tamen illorum ſuſcepiſſe: tractatus cum hoſtibus Comitem diutius protraxiſſe, ut affecti tædio Provinciales obſidionem ſolverent, ipſe Calixium ſolus obtineret: conſilia rei bellicæ non communicaſſe Baronibus, ut imperatum fuerat: inſidias ad captivandum magiſtratum hubarum poſuiſſe: ſtuduiſſe quoque ante id tempus opidum Laa & arcem, Friderici e manibus clam ſurripere. Quæ omnia calumnioſe dicta per magiſtrum hubarum affirmabant; eaque confutare nixi ſunt. Ajebant etiam, Procopium Equitem de Rabeſtain Bohemum, ex commiſſione conſiliariorum Cæſaris apud Bohemos Vlricum Comitem, ut levem, indignum fide, atque infamem detuliſſe: Ladislaum quoque Farcaſſium ſimilia apud Hungaros, inſtigantibus Cæſareis Conſiliariis, de Comite dixiſſe, referebant. Cæſaream vero majeſtatem Vlrico promiſiſſe, cum in conſilium eſſet receptus, ſi quæ in eum dicerentur, nolle ipſum celari. Magiſtrum hubarum gravem impoſuiſſe Comiti notam, Procopium & Ladislaum turpia locutos eſſe de ipſo: ne-

A que Comitem redditum certiorem. Non convenire igitur ſibi, vel conſulere vel ſervire amplius Cæſari, neque velle ulterius ſe eſſe obnoxium. Ad hæc Cæſar, libenter, inquit. Comitem in Italiam duxiſſemus nobiſcum, quem veluti Conſiliarium, familiarem, Principem noſtrum cariſſimum habemus; & in quo fiduciam ſingularem gerimus: remanenti vero non imputamus quicquam. Solum illud dicimus: quia de nobis non eſt quod queri poſſit. Neque enim articulos magiſtri hubarum, quos enarratis, unquam vidimus: neque man-
B dato vel ſcitu noſtro, adverſus eum, aut Procopius aut Farcaſſius locutus eſt. Verum ſi redeuntibus nobis ex Italia, quod divina favente pietate brevi futurum ſperamus, adverſus hoſce homines Comes agere voluerit, non negligemus, quæ ſunt Principis partes, adhibere. Renunciationem autem conſiliariatus ac ſervitii nequaquam admittimus; confidimuſque, Comitem ipſum, ut eſt juramento adſtrictus, fidem erga Nos ſervaturum: qui ſe nobis ſcripto ſuo contra omnem hominem auxilio futurum promiſit.

C Atque ita Legatis Comitum remiſſis, Villacum ſe confert. Id eſt opidum Eccleſiæ Bambergenſis ſupra Dravum ſitum, non longe ab Italiæ finibus. Eo in loco, fuerunt plures ex conſilio, qui Cæſari remanendum in Patria ſuaderent: nunc tumultus ſedandos eſſe; coronam Romanam alio tempore recipi poſſe: conſideranda Comitum Ciliæ verba; penſandas eſſe Auſtralium litteras, quæ dietim mitterentur: obviandum præſenti ruinæ: extinguendum incen-

dium, dum parvum eſſet; medendum recenti vulneri, ne poſtquam vis veneni præcordia penetraverit, fruſtra quæratur remedium. Tum dicta Senftleben & Romani Pontificis mandata repetuntur, quæ Cæſarem ab ingreſſu Italiæ deterrebant. Dubio autem anxioque inter tot adverſantia Friderico litteræ Æneæ redduntur, & Apoſtolica ſcripta, de quibus lectis animus Cæſaris erigitur: vocatisque Proceribus, quibus plurimum credere conſuevit, tranſitum ſuum haud quaquam differendum, ait; cujus vbique terrarum fama vulgata ſit. Jam nobiles ſuperioris Germaniæ Proceres Italiam ingreſſos, Ferrariæ ſe manere: Italos omnes iter modo ſuum cupere, quæ de Papa audita eſſent, falſa eſſe; qui nunc Cæſarem ſuis ſcriptis feſtinare hortatur. Imperatricem propediem Italicum portum appulſuram. Ordinem præſcriptum ſine turpitudine mutari non poſſe. Eizingerum nimis videri æſtimatum, ſi ejus cauſa Cæſar retroceſſerit, tantumque apparatum fruſtra duxerit; Tutelam ſe malle perdere, quam cœptum relinquere. Confidere, ſe propediem reverſurum, ſtulta æmulorum conſilia correpturum. Conſentiunt omnes, ubi firmatum Principis animum intuentur: nemo adverſatur; laudant omnes conſtantiam & magnanimitatem, ſi qui ſunt, quibus ea ex uſu non videntur, tacent, neque brachia contra tendunt. Tum duo, qui ſapere inter omnes creduntur, Johannes Neipergius & Waltherus Zebingerus, veteres amici Cæſaris, qui etiam cum Patre crediti ſunt, (1) ad regendam patriam in abſentia Cæſaris relinquuntur. Johannes Vngenadius, quem tertium Stiricæ ſapientiæ Cæſar habere ſolitus eſt, ad res Italas ducitur.

Ibi & Bohemi & Vngari convenerant domi nobiles quam plurimi, qui Romanam videre coronationem, Italiæ ſpectare mores, militiæ cingulum mereri, magnopere optabant. Ibi quoque Dux Auſtriæ Albertus erat germanus Cæſaris, qui ſplendidum ex Suevia comitatum ad ſe vocaverat: cupidus & ipſe, quamvis Romæ in anno Iubilæo fuiſſet, rurſus Italiam ingredi & fraternæ coronationis adeſſe ſolennibus. Vt autem decretum eſt, ſequendum iter, Legati ad Nicolaum Pontificem ire jubentur; Thomas Haſelbach Theologus, Vlricus Ridrer Iuriſconſultus, & Henricus Senftleben Scriptor Apoſtolicus, ex conſilio Cæſaris: viri cum litterarum periti, tum rerum experimentis edocti: qui Fridericum Italiæ proximum, certumque veniendi nuncient; appararique coronationi res neceſſarias deputent: quæ per Cæſarem facienda ſunt, bono animo majeſtatem ejus facturam, afferant. Ad Venetos autem mittuntur Michael Comes Virginopolitanus, veteri atque alto ſanguine natus, Johannes Hinderpachius Secretarius Cæſaris, Pontificii Iuris egregie peritus ac facundia nobilis: qui paulo poſt in Schola Patavina Magiſterii gradum accipiens id honoris promeruit, ut inſignia Doctoratus ex more capeſſens, præſentem Cæſarem univerſamque curiam ſe laudantem habuerit. Hiſque commiſſum eſt, Senatui Venetorum dicere: Fridericum prope affore intra dies paucos, eorum terras amice fiden-

terque

(1) *Sablatus eſt aſteriſcus; nihil enim deerat, teſte Cod. II. fol. 29. p. 2.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

terque ingreſſurum; commeatumque exercitui petere, rebus venalibus taxari pretia cupere, ad tranſitum fluminum naves apparari, ordinari diverſoria, prohiberi, ne quid inſidiarum aut injuriarum fiat: Cæſarem ſuæ familiæ nihil inſolentiæ permiſſurum. Quibus in Senatu Veneto auditis, e veſtigio quatuor primarii cives eliguntur, qui ad fines ditionis proficiſcantur, Cæſari gentis ducem dominatum univerſum, ut eſt Italiæ mos, verbis dedant, caſtella & urbes aperiant, commeatum ſine pecunia præbeant, ſummum honorem impendant.

Cæſar relicto Villaco, Dravoque flumine tranſmiſſo, alpes tranſcendit, quæ Germaniam Italiamque disjungunt: atque in locum deſcendit, cui Canale eſt nomen. Ibi montes dextra lævaque cœlo vicini perpetua nive rigentes mirum in modum iter anguſtant. Quo cum Bohemi & Hungari perveniſſent, mirati locorum aſperitatem, anguſtos aditus, præruptas ſemitas, montium altitudinem; in alium ſe migrare mundum exiſtimabant, rectèque tales Romano imperio metas natura datas arbitrabantur. Ibi accolæ triplici ſermone utuntur: Theutonico, Italico & Sclavonico, nullum tamen horum rite pronunciant. Ejus dominium Eccleſiæ Bambergenſi, cujus in orientali Francia memoranda ſedes habetur, Henricus ſecundus Imperator dono dedit. Exinde territorium Eccleſiæ Aquilegienſis incipit: quod Veneti poſſident, nam Ludovico de Deck Patriarchæ, contra ſe arma ſumenti, id Dominii, jure belli noſtra memoria ademerunt: qui arcem inter montes, ubi plurimum coarctantur, diligenti cuſtodia ſervant. Neque hac ex Germania in Italiam, ſine horum voluntate, tranſitus eſt. Fluvium, qui vallem perlabitur, Tulmentum vocitant, quem nonnulli Timavum eſſe, ex propinquitate nominis opinantur. Commutat enim vocabula tempus, neque ſuam ulli rei formam finit eſſe perpetuam. Huic ſententiæ Liburnorum terra, quæ proxima eſt, alludit. Liburni enim ea loca tenuerunt, quæ nunc Carinthianorum dicuntur: ſicut vetuſta monumenta teſtantur, quæ apud Solium, non longe ab Opido Sancti Viti, frequentia monſtrantur, priſcis inſcripta litteris, Liburnorum illic civitatem fuiſſe, manifeſtantibus. Inde illud eſſe *Virgiliamum* plerique autumant:

*Anthenor potuit mediis elapſus Achivis*
*Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus*
*Regna Liburnorum & fontem ſuperare Timavi.*

Quod tranſeuntem per Liburniam Anthenorem hanc viam feciſſe *Virgilius* velit, quæ de Liburnia commodior eſt Italiam petentibus. Quam opinionem *Virgilius* ipſe deſtruit, qui Timavum intrare novem oſtiis in mare confirmat, quod de Tulmento non invenitur. Hinc alii maximam vim aquarum, quæ circa ſanctum Johannem atque Tibinum & in Carſis in capite Hiſtriæ oritur, & mare per diverſa oſtia ingreditur, Timavum eſſe crediderunt: cui ſententiæ idem Poeta conſonare videtur, qui non fluvium ſed *Fontem*

*Timavum* nominat; quia parum fluat in ultimo maris Adriatici ſinu, cum vergit ad ſeptentrionem. Potuit enim Anthenor ex Liburnia per Labacum in Carſos deſcendere, atque per forum Iulii Patavium proficiſci, quod iter exercitum ducentibus aptius eſt, haud tot, quemadmodum de Canali diximus, anguſtiis clauſum. Alii fluvium apud Patavium hoc nomine Timavi deſignatum volunt. Quod mihi non placet: cum procul ibi montes abſint; neque id verum eſſe poſſit, quod *Virgilius* ait: *Vaſto cum murmure montis exire flumen, & oſtiis novem in pelagus ferri.* Neque *Martialis* huc quadrant verba, qui Timavum Aquilegiæ proximum velle videtur, dicens: *Et tu Ledæo fœlix Aquileia Timavo.* Idcirco nos, hujus rei difficultate dimiſſa, ad inſtitutam Hiſtoriæ materiam revertamur.

Cæſar, Alberto cum parte copiarum præmiſſo, Regem Vngariæ Ladislaum ſecum ducens, Kal. Januarii Italiam intravit, anno poſt Jubilæum primo: atque apud Venzonum, quod eſt primum Italiæ opidum muro cinctum, Legatos Venetorum, Viros Patricios domi potentes, obvios habuit: qui ſe Regemque Ladislaum ingenti gaudio ſummaque reverentia exceperunt. Ibi Præſes Patriæ, quem Locum tenentem appellant, ac tota terræ Nobilitas Cleruſque, cum reliquiis Sanctorum occurrens, Cæſarem in opidum introduxit: ubi ad victum omnia & copioſe & ſine pretio, adminiſtrata ſunt. Quocunque Cæſar in territorio Venetorum pervenit, occurrere frequentes populi, laudare ſplendidum Cæſaris comitatum, mirari novos habitus, diverſos mores, arma lucentia, pulcherrimos equos, decoras juvenum facies, flaveſcentes copioſaſque comas, commendare ſpeciem Cæſaris, Imperio dignam dicere, gravem aſpectum, prudentem hominem judicare. Multa ſuper Ladislao Rege proloqui, angelicum vultum, quietos mores, ultra ætatem geſtus extollere. Onuſtas auro galeas, gemmis ornatas veſtes, oſtendere digitis. Mundare plateas, templa domoſque ornare, triclinia ſternere; hortari pares, admonere minores; flumina navibus operire, invitare, offerre, præſto ad omne obſequium eſſe. Potiſſime autem Terviſini ſingulari affectu Cæſarem inſpexerunt: memores olim ſub ditione Auſtralium ſe fuiſſe: quorum adhuc in Prætorio ſigna videntur. Patavini quoque, non ignorantes, ad Imperium ſe pertinere, ſuum Dominum avide intuebantur: quamvis metu Dominii Veneti nil publice dicerent. Honores tamen univerſi ſub nomine Venetorum impenſi ſunt. Nunc Prælati Eccleſiarum, nunc Præſides Civitatum, nunc Scholarum Rectores, doctique viri, coram Cæſare orantes, ut eſt mos Italis, eminentiam Imperii, præſtantiam Imperatoris, efferre laudibus: offerre Dominium Venetorum, commendare Italiam ſuo Principi, damnare lites, ſuadere ſtudia pacis: precari Cæſarem, ne ante Italia excederet, quam Provinciæ ſtatum componeret.

Inter hæc Teutones plurimi ex Suevia, Franconia, Rhenique partibus, per vallem Tridentinam, Ve-

ro-

ronam Mantuamque tranſeuntes Ferrariam veniunt, ibique Cæſaris præſtolantur adventum. Quibus Borſius Marchio Eſtenſis ex Curia ſumptum præbet. Ea re cognita, mox Fridericus, relicto Patavio, cum Legatis Venetorum, qui ſe Romam uſque ſecuti ſunt, ad Atheſim pergit: eoque flumine tranſmiſſo, Borſium Marchionem, plurimos Italiæ Proceres, de Malateſtis, de Faventia, de Corrigio de Palaviſinis, denique aliis vetuſtis domibus, expectantes invenit: qui ſe ſtatim ad pedes Cæſaris proſtraverunt, ſuum Principem venerantes. Inter Atheſim atque Ferrariam plurimæ paludes ſunt, aditu difficiles: quas omnes Borſius navibus ſtravit, ac per eas veluti per pontem iter Cæſari fecit. Quo Ferrariam introducto, incredibile eſt, quantam univerſus populus lætitiam agitaret, quot ludi fierent, quis domorum & templorum ornatus, quæ facies urbis eſſet. Borſius ipſe, læto atque hilari vultu tunc ſe honoratum jocundumque oſtendebat, cum Cæſari ſummum deferri honorem, cum cæteris geri morem, cum vina hinc deferri, inde cibaria diverſa, ceram, confectiones, bladique maximam copiam ex curia miniſtrari hoſpitibus cerneret: vocare nunc iſtum nunc illum, quærere, bene an omnia ſe haberent; ſupplere defectus, nihil ſatis reputare, quod ageret: caſtigare tardos, laudare diligentes, augere ſumptus; intrare cubiculum Cæſaris, male ordinata corrigere, convivia omnia venationum, piſcationumque generibus inſtruere. Matronas Virgineſque facie pulchras accerſire: ſaltationes, militares ludos inſtruere: nullam ſpeciem voluptatis negligere: omnem magnificentiam oſtentare.

Franciſcus Sfortia Vicecomes, qui paulo ante Mediolanum potitus erat, ſeque gentis Ducem juſſerat apellari, magno vir ingenio, & omnium, qui apud Italos arma gerunt, rei militaris peritiſſimus, forma & fortitudine egregius, eloquentia vulgari præcellens, ad conciliandum hominum gratiam amoremque promerendum efficax, ut primum Cæſarem intraſſe Italiam certior factus eſt, filium primogenitum, Galiatium nomine, ex Blanca Philippi quondam Ducis Mediolani filia, novem annos natum, Alexandrum quoque germanum, primoreſque terræ Lombardiæ proceres; ad eum mittit; equos armaque dono ferentes. Qui apud Ferrariam auditi, in hanc ſententiam verba fecerunt. Dixerunt enim. Franciſcum Mediolanenſium Ducem Imperatoris adventum magnopere lætatum eſſe; qui vexatam multis cladibus Italiam, viſo Domino quietem habituram, exiſtimat: excuſatum ſe reddere, quod neque per ſe ipſe veniſſet, neque ſuos antemiſiſſet. Nam & Cæſaris adventus diu retardatus in dubium iverat; & res Lombardiæ per Venetos, ſe abſente, turbari potuiſſent: remanſiſſe illum ad tuendam Imperii Provinciam, quam Cæſaris nomine teneret. Orare Cæſaream ſublimitatem, vel tunc, vel cum Roma rediret, ſuam terram Lombardiæ viſere, coronam Mediolani velit accipere: daturum bono animo locum, aperturum iter, facturum, quæ fideles vaſſallos erga dominum decent. Dona mittere parva, quæ fidei pignus eſſe velit. Cæte-

rum ſuam perſonam, liberos, fratres, exercitus, civitates, in poteſtate Cæſaris ponere, eique commendare. Legatos, qui Romam irent, Coronationique intereſſent, libenti animo mittere. Tum quoque Galliacius puellus, orationem ad Fridericum Latinam intrepide apteque pronunciavit; adeoque vultu geſtuque ſerioſum ſe præbuit, ut in ætate tenerrima virilem animum omnes agnoſcerent. Fridericus ea, quæ Franciſci Legati dixerant, non magni exiſtimavit; uti plus habentia verborum, quam nervorum. Laudavit tamen oblationes ejus, dixitque, illas jure fieri. Commendatum ſibi Franciſcum, pro meritis, proque conditione Lombardiæ, futurum. Nunc non eſſe propoſitum ire Mediolanum: in reditu, quam viam capiat, adhuc incertum: oratores, qui Romam irent, non renuere. Ludovicus etiam Marchio Mantuæ, qui eloquentiam ſtudiaque liberalia ab ætate prima cupide ſectatus, militiæ tamen laboribus incumbens, inter primos belli Duces apud Italos claruit, ad Cæſarem Ferrariæ manentem venit, ſe ſuaque obtulit. Multi præterea ex Lombardia Cæſarem adiverunt, alii ſuorum Feudorum inveſtituram petentes; alii, ne Ducatus Lombardiæ ad Imperium devolutus negligeretur, obſecrantes. Porro Borſius, qui nondum erat de feudo inveſtitus, altiorem cupiens gradum, ex Marchione ſe Ducem creari optavit. Quam rem Fridericus, ante Coronam Romæ receptam minime ſe tentaturum, cum rediret autem, quod reip. conduceret conſideraturum facturumque, dixit.

Nec Bononienſes Majeſtatem Cæſaris neglexerunt: qui miſſis ad eum Oratoribus, illi ſe atque urbem commendaverunt; petentes, ut Bononia tranſitum faceret, quod eum cupide in ſua civitate viſuri honoraturique forent. Eſſe tamen plures cives, dicebant, Bononia pulſos, qui ſeditionem in populo feciſſent: orare, ne quem illorum ſecum adduceret, ne quid tumulti fieret. Libet hic pauca de Bononia referre. Vrbs antiqua, potens, Bononia eſt, armis ac legibus, in agro Italiæ optimo ſita, monte planoque ſolo gaudens. In radicibus Appenini montis fluvio parvo, quem vocitant Rhenum, adjacens, cujus Provinciam olim Æmiliam dixere, nunc Romandiolam appellant. Namque cum Longobardi ex Pannonia digreſſi, univerſam circa Padum Galliam occupaviſſent, Æmilia in poteſtate Cæſarum remanſiſſet, ejus populi, quia Romanis viverent Legibus, nec Longobardorum tyrannidi paruiſſent, Romani vocati ſunt: Provincia primum Romana, ac demum tractu temporis Romandiola dicta eſt. Cui ab Oriente Picenus ager & Adriaticum mare opponitur; ab Occidente, Longobardia, qua Mutina, Rhegium, & agri Bojorum habentur: Septentrionem illi Padus claudit; meridiem Appenini montes excipiunt. Cujus caput Bononia eſt, litterarum ſtudiis florens, Legum ac Philoſophiæ parens. In ea tum bonos mores exteri, non cives ediſcunt. Civitas ipſa neque legibus neque more tenetur: populus inquietus, novitatis avidus, ſeditioſus, invidus, rapinæ, cædi, incendiis aſſuetus; neque juſti neque boni tenax. Nemo illic tam infimæ conditionis eſt, qui non ſe principatu dignum ducat: omnes invadere domina-

minatum attentant; audentque ne-
fanda: contentiones frequentes agi-
tant, factiones innumeras habent, par-
tes partibus insidiantur: neque fides,
neque religio quenquam trahit; uni-
versos ambitio possidet: non frater a
fratre tutus est, non socer a genero;
nihil apud eos jura sanguinis valent,
ubi calor arma promovit; nec patri
filius ignoscit. Fictæ inter illos ami-
citiæ: simulata sunt, quæcunque in pa-
ce agunt: aliud in ore promptum ha-
bent, aliud in corde occultum ge-
runt: neque jurati promissa tenent;
lingua se jurasse, mentem injuratam
servasse, dicunt. Romanam Eccle-
siam dominantem sibi fatentur: Legatus
tamen Apostolicus, nisi furori eorum
cesserit, aut cæditur aut excluditur: vi-
gente pace reverentia penes Legatum
est; potentia penes cives; titulum
illic Romanus Pontifex habet, non
Dominium. Sæpius hos cives nostra
tempestate meminimus assumptis ar-
mis motiones fecisse. Sedente Mar-
tino Papa, Cannetuli & Lambecca-
rii, Ludovicum Cardinalem Arela-
tensem, Apostolicæ sedis Legatum,
excussum bonis omnibus expulerunt,
primarios cives in Palatium vocatos
trucidaverunt, urbem cædibus ac ra-
pinis impleverunt. Temporis tamen
exigui, ut ille ait, mansit concor-
dia discors. Insurgentes Cannetuli
Lambeccarios invasere: quibus cum
illi pares esse non possent, in exilium
profugerunt. Plurimas inde cædes
Cannetuli perpetrantes, & ipsi alia
factione depulsi sunt. At cum recu-
perasset Ecclesia Bononiam, Anto-
nius Bentivolius, qui pluribus annis
in exilio fuerat, domum rediens post
paucos dies in suspicionem adductus,
per Eugenii rectores in curiam accer-
situs, capite truncatus est. Quæ res
indigna populo visa, novæ rebellio-
nis causam præbuit. Erat enim An-
tonius nobili genere natus, multis-
que bonis artibus imbutus, plebi &
optimatibus carus: nec quicquam
morte dignum perpetrasse credeba-
tur. Ob quam rem filius ejus Han-
nibal ex concubina natus, audax &
manu promptus, accersito Baptista
Cannetulo, hominum, qui tunc vive-
rent, sceleratissimo, in ultionem Pa-
tris erectus, populum adversus Ec-
clesiam accendit: trucidatisque non-
nullis resistentibus, dominatum urbis
invasit. Nullum tamen inter malos
homines diuturnum fœdus. Scelere
vindicatur scelus. Nam cum Bapti-
sta consortis impatiens, Hannibalem
per insidias occidisset, velletque so-
lus, ut ante fecerat, ex sua libidine
regere (1) civitatem, Antonianos ad-
versos habuit: cum quibus in foro
pugnans, ubi suos cedere anim-
advertit, fractus animo, cum pau-
cis fugiens in subterraneum spe-
cum se abdidit: deinde pueri cu-
juspiam manifestatus indicio, fumi
molestia compulsus exire, cum suis
omnibus neci datus. Fuerunt,
qui cor ejus aperto pectore rapien-
tes ritu ferarum dentibus laniaverint;
alii viscera momorderint, cruorem
alii biberint. Tanta rabies odii men-
tes eorum irrepsit, reliquum cadaver
partim igne absumptum, partim sui-
bus esca permissum. Sicque turpissi-
mis Baptistæ moribus turpissima mors
consonaque succesſit. Intravit & Ni-
colaus Piceninus aliquando Bono-
niam, civitatemque misera servitute,
minori tamen quam mereretur, op-
pres-

(1) *Non plus desiderabatur, teste cod. II. fol. 34. p. 1. deleta idcirco puncta, lacunam indicantia.*

preſſit: quamvis Franciſcus ejus filius pœnas dederit; qui captus a Civibus, excuſſuſque omni argento, diu in carcere illic cuſtoditus eſt. Porro factio Antoniana, prærepto civitatis imperio, non habens ex Antonii familia virum, cui regimen committi poſſet (ſolus enim ex Hannibale puerulus infans extabat) cum audiſſet Florentiæ virum eſſe, nomine Sanctum (1) extra matrimonium ex Antonio natum, inopem, lanificio vitam ducentem; mox mittit, qui eum Bononiam trahant. Atque hunc pupillo tutorem, Civitati rectorem præficiunt. Quamvis enim ſtulta Bononienſium turba nonnullos in palatio nutriat, quos vocitat Antianos; ſumma tamen omnium rerum ad Sanctum defertur: neque Antiani alii leguntur, quam Sancto ejusque factioni accepti, Dum vixit Eugenius, civitas illa poſt rebellionem Eccleſiæ ſemper infeſta fuit, quod illo mandante occiſus Antonius putabatur. At eo naturæ ſatisfaciente, Nicolao quinto in ejus locum ſuffecto, Sanctus ad Eccleſiæ reverentiam rediit, permiſitque Legatum mitti Bononiam, gerique nomine Romani Pontificis univerſa; ſic tamen, ut dominantis nomen Romanus Pontifex, rem vero Antoniana factio retineret; excluſique Cannetuli & omnes Sancto adverſantes remanerent. Hos igitur ne ſecum Cæſar adduceret, Bononiam ingreſſurus, Legati Bononienſium flagitabant.

Poſt Bononienſes, auditi Florentini, qui advenerant, Cæſarem, ne Romam petens ſe prætereat, multis precibus orant: civitatem Imperio devotam, rem ſuam publicam commendant: viarum compendia, hoſpitiorum commoditatem, quibus iter Tuſciæ præſtat, in medio proferunt. Apud Ferrariam igitur, quæ via recipienda ſit, in conſultationem deducitur: quod aliud iter per Flaminiam & agrum Picenum, quem nunc Marchiam vocant; aliud per Bononiam Tuſciamque patebat. Variæ tunc in conſilio ſententiæ fuere. Qui Bononiam, Florentiamque vitandam ſuadebant, Bononienſem populum ferocem, infidum, ſuſpicioſum, rapinæ aſſuetum, dicebant: nihil his eſſe credendum, qui fratres, parentes, liberos, prodere ſoleant. Florentinos ſemper Romani nominis hoſtes fuiſſe. Henrico ſeptimo, Ludovico ſecundo, Carolo quarto, Sigiſmundoque, Cæſaribus inſidiatos, veneno multos mortales extinxiſſe: perfidos homines, fallaces, ſola fraude potentes: hoſtes Regis Aragonum, Renati Regis amicos; Regi Franciæ, quem ferebant Imperium affectare, ſingulari amore devinctos. Timendum, ne dum illi ſtudent, in Cæſarem ſcelus ordiantur, quem Veneti Senatus amantem creditum, tuto intrare Florentiam, nemo, qui ſapiat exiſtimaverit: atque, ut quiſque poterat, timorem augebant. Et quidam ſane ita putabat: quidam, etſi Florentinos minime ſceleratos crederent, Venetorum tamen affecti partibus, Cæſarem ab Etruſco itinere deterrebant, ne Florentinorum officio demulceretur. Cæſar autem, qui mentem cujuſque affectumque noſſet, nil tale de Florentinis ſuſpicabatur: neque Bononienſes, nulla injuria laceſſitos, fidem rupturos arbitrabatur. Cupiebat quoque Florentiam viſere: quam orbe toto nomina-

(1) al. *Xanthum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

minatam urbem, Anteceſſoribus ſuis inviſam atque inacceſſam ſciebat; quæ pluribus Cæſaribus reſtitit, multos exercitus fugavit. Audiverat, civitatem ſplendidam eſſe, magnifice ædificatam, honeſto populo plenam; ſericeas illic aureaſque veſtes fieri, pictores egregios inveniri, fuſores, ſculptoreſque ſingulares; mechanicas omnes artes apud Florentinos miro modo florere, dicique inde Florentiam. Tum vero, Leonoram Sponſam, mari adventantem, prope diem Talamonis portum appellere, ſibique Senis obviare, ſperabat.

Dimiſſa ergo Ferraria, verſus Bononiam pergit. Cujus territorium ingreſſus, Beſſarionem Legatum Apoſtolicum mox occurrentem reperit: Græcum hominem, barbatum & cucullatum. Quem Cæſar diu multumque demiratus eſt: quoniam inter Latinos, neque Monachis, neque Clericis ſecularibus nutrire barbam fas eſt. Hic olim in Græcia Sancti Baſilii regulam profeſſus; cum ſanctum magnumque virum ageret, Nicænæ plebis Epiſcopatum obtinuit: deinde, cum Patriarcha Conſtantinopolitanus & Imperator Romanorum Florentiam veniſſent, ac unionem cum latina Eccleſia recepiſſent, inter omnes Orientales, qui aderant, & doctior & gravior exiſtimatus ad Cardinalatus ordinem eſt aſſumptus. In quo multa ſuæ virtutis experimenta demonſtrans, Plutarchum (1) de factis dictisque Socratis memorabilibus, ac Metaphyſicam Ariſtotelis, pluresque alios tractatus, e Græco in Latinum ſermonem vertens, gratus omnibus eſt effectus; maxime autem Succeſſori Eugenii Nicolao, qui propter ſingularem ejus induſtriam, difficillimam omnium Legationem Bononiæ credere ſibi non dubitavit. Is Cæſarem nomine Romani Pontificis ac Bononienſis populi ſumma veneratione ſuſcipiens, in urbem conduxit: multa de moribus Orientalis Eccleſiæ, non ſine Cæſaris admiratione, locutus.

Tunc & Legati Senenſium advenerunt; Imperatorium adventum ſuæ Civitati gratiſſimum affirmantes. Qui, cum cæteris in rebus placuiſſent, in eo tamen Majeſtatem Cæſaream offenderunt, quia, non omnem ejus Comitatum intra urbis mœnia recipi poſſe, dicebant; petebantque, dividi multitudinem, ac per turmas tranſire, ne amplius quam octingenti Equites uno tempore in Opido reperirentur: negabant enim hoſpitia pro majoribus copiis poſſe parari. Fridericus autem, multo plures cum Sigiſmundo, Carolo, Henrico, cæteriſque Cæſaribus, Senis fuiſſe didicerat; neque Civitatis amplitudinem ignorabat: ſimulque certior effectus erat, multa de ſe ſuſpicari Senenſes; qui etiam populi magnam partem extra urbem propulerant. Corripuit itaque Legatos, qui talia nunciabant, bonoque animo Senenſes eſſe juſſit. Nam ſe pacificum, nullique gravem venturum, aſſeruit: Co-

(1) *Ita quidem etiam legitur in ipſo autographo codice MSto II. fol. 36. pag. 1. error tamen eſt mnemonicus, & pro* Plutarchum *ſine dubio legendum* Xenophontem. *Verſio autem illa latina, cujus hic fit mentio, exſtat in Bibliotheca Cæſarea Cod. MSto Latino Hiſt. Prof. CCLXVII. a fol. 93. eſtque cum Operibus* Xenophontis *& ſeparatim etiam edita plus vice ſimplici.* KOL.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Comites velle omnes ſecum habere; quod ſi defuerint hoſpitia, miſſurum partem in proximas civitates. Pauca hic referre de Civitate Senenſi non eſt alienum: ut in aperto ſit cauſa, cur timidam hanc legationem Senenſes emiſerint. Civitas Senenſis, hac tempeſtate noſtra, poſt Florentiam primum in Etruria locum, agrumque late patentem obtinet: pluribus & ambitioſis opidis caſtelliſque dominatur. In ea primum Nobiles imperium habuere, quorum adhuc turres extant, atque alta palatia, monumentaque opere ſumptuoſo conſtructa. Verum his modo deſidia torpentibus, modo inter ſe diſſidentibus, ut nulla potentia longa eſt, plebs ſibi dominatum arripuit. In ea quoque, ut fit, ab ignavo ad induſtrioſum ſumma rerum auctoritas delata eſt. Fuerunt, qui Dominium invadentes, novem viros in Magiſtratu haberent, quamvis eſſent ipſi quam multi: alii duodecim viros ſibi præfecerunt. Itaque vocati ſunt, illi, Novem; iſti, Duodecim. Rurſus alii, cum Civitatis Leges moresque reformaſſent, Reformatores appellari meruerunt: atque nunc hi, nunc illi dominium ſibi uſurpavere. Verum ante annos quinquaginta, Duodecim viri ex palatio pulſi, omni imperio abdicati ſunt, ſervilemque, vitam degunt. Reformatores & Novem viri, cum plebe, munia civitatis æquo partiuntur jure: Magiſtratus aliquos, cum Nobilibus quaſi præcario, communicant; in palatium Nobilitas non admittitur. Timentes igitur Senenſes, ne, quod ſæpe in adventu Cæſarum factum norant, urbis regimen mutaretur, neve Nobiles & Duodecim Viri priſtinæ dignitati favore Cæſaris redderentur; omnes, qui per ætatem ferre arma valerent, ex Nobilibus ac Duodecim viris, extra urbem per municipia relegarunt: neque ſic ſatis fidebant, optimumque id factum arbitrabantur, ne ſe potentiorem intra mœnia Cæſarem acciperent. Quorum timorem non parum Æneas, Senenſis Epiſcopus, augebat. Qui nobili Picolominorum familia natus, apud Cæſarem auditus, potenſque creditus, generi ſuo favere, veteremque dignitatem domus per amicitiam Cæſaris quærere putabatur. Atque hæc cauſa fuit, quæ, limitare comitatum Cæſari, Senenſes adduxit. Æneas vero longe ab eo propoſito erat: qui jam datus Eccleſiæ, interdicta ſibi ſeditionum conſilia norat; neque plus ſuæ domui ſtudebat, quam ſororum liberis, quos inter regentes habebat; ſimulque Cæſaris animo nihil turbulentum, nihil odioſum ſuaderi poſſe didicerat. Quibus ex rebus cum trepidos cives animadverteret, ſeque ſuſpicionibus annotatum, Senas veniens, non diu illic moratus eſt, ſed invidiæ cedens, in Telamonem cum Collegis nobilibuſque matronis & virginibus ad ſuſcipiendam, ut ante diximus, Imperatricem miſſis, e veſtigio ſe recepit. Michaelem tamen Fulendorfium prius amiſit, Imperialem Protonotarium, Suevia natum, ex opido, quod Rottenburgium vocant; recti animi virum, magnique cordis, ſupra morem Patriæ facundum & doctum; qui cum Senas introiſſet, ardentibus invaſus febribus; intra paucos dies, priuſquam ſuprema Eccleſiæ Sacramenta ſuſciperet, egregium ſpiritum exhalavit; confeſſus tamen, & pro quavis culpa Deo

conciliatus. Cujus funus, in Eccleſiam Senenſem primores Cives, ipſeque Pontifex urbis Æneas, ſequentes exequias ei magnificas exhibuerunt. Civitas quoque vexillum populi, ſuaque ſibi ſigna donavit. Sepultus eſt autem loco inſigni, in Eccleſia prima Civitatis. Cujus tumulum cum Cæſar poſtea vidiſſet, virum de ſe meritum, ſuaque cauſa defunctum, alte ſuſpirans, devotis precibus divinæ pietati commendavit.

Leonora vero, quæ in Kalendis Novembris Talamonis portum appellare debuit, dum hæc aguntur, aliquanto tardius, quam promiſſum erat, ingreſſa pelagus, cujusdam Negotiatoris Januenſis navem aſcendit, felicique vento Ceptam venit: quæ urbs magna eſt in littore Africæ, per Avum ejus Regem Portugalliæ multa vi quondam expugnata, & in hanc uſque diem in ſolo barbarico contra potentiam omnium Affricanorum retenta. Quod autem in diem dictam Leonora mare non intravit, in cauſa fuerunt Jacobus Motius & Nicolaus, Sacerdotes, qui ad dandum ſibi annulum miſſi, cum inter eundum in latrones incidiſſent, ut ſupra monſtravimus, in præfixo tempore Portugaliam attingere nequiverunt. Quievit autem Leonora apud Ceptam diebus tribus; nunquam tamen e navi deſcendit. Deinde recepto, ut optabat vento, per anguſtias Gaditani freti in mediterraneum mare devecta eſt. Ductores ejus fuerunt Alfonſus Marchio, Valenciæ regio ſanguine natus, ac Johannes Epiſcopus Colimbrienſis, & alii ex conſilio Regio Viri nobiles; ornati omnes, & ad regium ſplendorem magnifice inſtructi. Naves ex Genua duas majores habuerunt; ex Portugalia circiter viginti, quas Garavellas appellant. In tota claſſe duo millia virorum navigarunt. Imperatricem multæ nobiles & matronæ & virgines ſecutæ ſunt. Navis Leonoræ ſublimior omnibus, veſtita pannis aureis, vexillis undique cincta, magnis velis acta, adverſus impetum Barbarorum egregie communita: ubi aſſiduæ tubæ cornuaque exaudiebantur: mille quoque inſtrumenta muſica concrepabant: ſumma omnium lætitia plenaque voluptate claſſis ibat. Jamque Promontorium in conſpectu erat, quod caput de Pals vocitant, non procul a Carthagine nova in terra Hiſpaniae. Ibi cum Leonora, recentem quæ aquam afferret, unam ex Garavellis miſiſſet, ſubito cœli facies immutata eſt, venti exorti vehementes, obſcuratus aer, adeoque nigra & obſcura tempeſtas facta eſt, ut nedum proximam navem ſed neque tangentem ſe comitem videre quiſquam poſſet: omnia in cæca caligine agebantur. Terror omnes invaſerat, vela magna ex parte diſciſſa, quarundam navium etiam mali confracti ſunt. Laborantibus ſociis nemo ſalutem afferre, ſuum cuique periculum nimis eſſe. Sola in tanto diſcrimine Leonora fortem habere mentem, parvi facere diſcrimen, hortari nautas rudentes manu prehendere, ſerenitatem mox futuram polliceri, animique tantum oſtendere, quantum vix credibile fuerit fœmineum pectus præ ſe ferre. Sed cum vis imbrium atque ventorum neque conſilio neque auxilio locum faceret, Gubernatores, ut in tali re conſuetum eſt, quo tempeſtas tulit, vela verterunt: diſſipata

claſſe naves in diverſum actæ ſunt: Garevellæ aliæ huc, aliæ illuc disjectæ; ex quibus una in portum Piſanum mirabili velocitate delata neminem habuit, qui de navi Imperatricis ſolidum nuntium daret. Patronus autem ejus Garavellæ, quam ſupra retulimus, aquatum miſſam, cum aqua recepta ad Imperatricem rediret, in ipſo tempeſtatis turbine claſſem amiſit; vectusque rapidis ventis Thalamonem primus omnium venit: ubi Legatis Cæſareis inventis, cum neque dicere ipſe Legatis neque audire ab eis certi quicquam de Impe- B ratrice valeret, triſtis abiit: quæſitum, ſi forſitan vel in Corſica vel in Sardinia ſocias naves offenderet. Varius interim rumor per Italiam de Cæſarea ſponſa ferebatur. Quidam nondum eam intraſſe pelagus, affirmare; alii, ſubmerſam pelago, dicere; nonnulli captam in Affrica Barbariſque ſervam, referre; plerique, in Cataloniam delatam, apud Avunculi conjugem feſtis indulgentem diebus, aſtruere. Sed nihil horum veritas habuit. Quippe ductor Impe- C ratricis, adverſus procellas in Libyam ferentes diu multumque reluctatus, ſpiritum tandem adeptus meliorem, cum non poſſet in Corſicam, iter juxta littus Arragonicum tenens in ſinum Gallicum ſe recepit: ac, repertis illic nonnullis piratarum navibus, non longe a Marſilia prælium cum his commiſit: quod cum piratæ ferre non poſſent, in ſcaphas deſilientes fuga ſalutem petiverunt, naves eorum captæ exuſtæque ſunt. Claſſis tunc omnis in unum redierat, ſimulque procedebat: duabus tantum Garavellis vi tempeſtatis in aliud iter compulſis. Cum vero in conſpectu A Provinciæ navigatio fieret, comperit Marchio, in portu villæ, cui Franca eſt nomen, aliquas piratarum naves confugiſſe; nuntiavitque oppidanis, eas ſibi uti ſine mora traderent. Quod cum illi negaſſent, portum liberum tutumque omnibus eſſe dixiſſent, indignatus vi rapere naves e portu tentavit: ſed repulſus multis ex oppido miſſilibus, non ſine periculo ſuorum in altum pelagus ſe recepit. Indeque miſſis in terram aliquibus tabellariis, presbyteris, quos Cæſar in Portugaliam miſerat, de omnium ſtatu rerum Legatos apud Thalamonem morantes certiores fecere; Illique Cæſari cuncta reſcripſerunt.

Jam Cæſar ex Bononia receſſerat, petituruſque Florentiam, montes Apenninos aſcenderat. Sunt autem Apennini montes altiſſimi in Italia, quorum initium ex Alpibus eſt, quæ Galliam ab Italia ſejungunt, non procul a Civitate Albenga, quæ olim Albigaunum dicta eſt, porriguntur autem per totam Italiæ longitudinem, ac velut in folio quercino quandam videmus eminentiam, dorſum Italicum faciunt; nunc Liguſtico mari, nunc Adriatico propinquantes. Quos Apenninos idcirco nonnulli dictos autumant, quoniam Pœnus Annibal eos tranſiens oculum amiſerit. Quod mihi non eſt omnino perſuaſum: cum non Penninos, ſed Apenninos dicamus; quod nomen etiam ante Hannibalem fuiſſe putaverim. Corruptum magis crediderim eſſe diminutivum ab alpibus; quod Itali Alpininos pronunciarent, quod minores eſſent his Alpibus, ex quibus oriuntur. Neque probandam ego vel Iſidori Hiſpalenſis, vel Ottonis Friſingenſis ſententiam puto, qui maximos illos

mon-

montes, ex quibus Rhenus, Rhodanus, Paduſque fontes habent, Appenninos eſſe contendunt. Plus apud me Leonardi Aretini ſententia valet, qui montes inter Germaniam & Italiam eminentes, proprio nomine, veluti per quandam excellentiam, vocatos Alpes affirmat. Iſidori quidem uſque adeo proceſſit error, ut montes etiam, qui Pannoniam ad Auſtrum cingunt, Apenninos dici putaverit; & ab eis Pannoniæ nomen prodire. Cujus erratum, quæ poſſit excuſatio protegere, nullam invenio: niſi montes illos conjungi alpibus, Alpes autem Apennino connexos dixerit. Quod ſi admittamus, unicus erit quodammodo totum in orbem mons; vanamque reputabimus diverſorum nominum varietatem. Nam & Pyrenei, qui Galliam ab Hiſpania ſecludunt, ab Alpibus derivantur. Alpes ipſæ per Sueviam deſcendentes, humiliores factæ, ſupra Danubii fontem in Rauracum aſſurgunt, procedenteſque magis Necarum ex ſe fundunt. Deinde ad Franconiam tranſeuntes, in Bohemiam, Moraviam, atque Hungariam protenduntur: donec Sevo monti ſe jungant, tractoque ductu longiori Ripheis ſe jugis admiſceant: Caucaſum quoque contingunt, & in Tauri promontoria dilabuntur. Quod ſi diligentius cuncta rimemur, non deficiet nobis aliquid dorſi, per quod ex Tauro, nunc altius, nunc ſubmiſſius, & Sinai & Æthiopum montes Atlanti jungamus. Faceſſat igitur Iſidori ſententia, Appeninumque ſolum eum montem accipiamus, qui dorſo longiſſimo ab alpibus Galliarum uſque in Pharum Siculum Tarentinumque finum duobus protenditur cornibus. In

A cujus cacumen cum Fridericus veniſſet, primus omnium inferum mare conſpicatus, Comites admonuit, hinc Affricam, illinc Hiſpaniam navigantes petere, atque ubi Sardinia, ubi Corſica, ubi Baleares Inſulæ, cunctarumque decus inſularum Sicilia, jaceret, digito deſignavit. Vbi autem transmiſſis altioribus jugis ad collem ventum eſt, unde videri Florentia poteſt, incredibile eſt, quanta omnes admiratio Germanos implerit. Vrbs latiſſima, ingenti mole murorum, multis turribus, templis ampliſſimis, altis ædibus, publicis ac privatis ædiB ficiis ad regiam magnificentiam faſtigatis, univerſa in conſpectu reddita ſtuporem cunctis ingeſſit. Tot præterea ſuburbana palatia, tot viculi, tot frequentia municipia, caſtella nobilium, monaſteria religioſarum perſonarum in circuitu viſuntur, ut omnis vallis, quæ de monte Feſulano in agrum Piſtorienſem extenditur, una civitas videretur, riteque loco nomen *Florentia* datum omnes dicerent, quæ ſuper omnes Italiæ urbes floreret, quamvis priſco nomine Confluentia diceretur. Neque melior exterius, quam intra, urbs habita: hujus munC ditiæ deliciæque pene cœleſtes exiſtimatæ ſunt. Virorum mulierumque veſtitus ſupra modum egregius, viri facundi & graves, mulieres forma pudicitiaque præſtantes; omnia fora triviaque mirifice adornata, in portis, in plateis omnibus, pueri innuptæque puellæ tranſeunti Cæſari decantantes. Ingreſſus eſt autem Fridericus Florentiam duodecima Kal. Februarii: exceptus honore maximo, ſummaque totius populi & alacritate & aviditate; quod multis ante ſeculis non contigerat. Occurrerunt autem illic Cæſa-

ri duo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Apostolicæ sedis Legati; Philippus Bononiensis, Germanus Nicolai Pontificis, Johannes Sancti Angeli, natione Hispanus: viri non solum gratia & auctoritate in collegio potentes, sed & virtute ac bonitate insignes: qui *Pontificem maximum miro desiderio Cæsaris adventum morari dixerunt; parata esse coronationi quæ necessaria viderentur: lætum populum, universum sacrum senatum plurimum consolationis habere, ipsosque muros urbis quandam alacritatem præ se ferre. Sibi autem comissum esse, ut Cæsarem comitentur, atque orbis domino protectorique matris Ecclesiæ & advocato, honorem impendant.* Quos Cæsar, actis summo Pontifici, ut pro tempore visum est, gratiis, læto vultu complexus est, multaque cum Johanne seorsim locutus est, quo cum sibi vetus familiaritas erat, in Alemania jam pridem contracta.

Florentiæ quoque, Legati Comitum Ciliæ ad Cæsarem venientes in hanc sententiam loquuti sunt: *Dominis nostris, dive Cæsar, postquam tecum fœdus iniere, semper animus atque propositum fuit, voluntati tuæ gerere morem, tuisque rebus præsidio esse, si tuam serenitatem pari erga se mente fideve reperissent. At cum tua Majestas in eos mutata sit, necessarium est, & ipsos mutare consilium. Neque enim Domini nostri stabilia, quæ eis promisisti reperiunt: sicut res plurimæ docent, ex quibus aliquas tuæ sublimitati breviter exponemus. Obsidebant pridem, ut nosti, Comites nostri Castellum, cui Lindau nomen est; idque triduo poterant expugnare, si tua Majestas, ut erat obnoxia, auxilium præbuisset. Noluisti juvare: sed, ne vel tuis vel Ladislai Regis provinciis aliquod illinc detrimentum exurgeret, obsidionem solvere jussisti. Paruerunt Comites, non sine gravi damno. Surrexerunt & Vngari adversus eos, factisque propugnaculis in terra Ciliæ, multum agri pecorisque atque hominum prædati. Rogata tua serenitas opem ferre, quamvis collectum militem haberet, neque auxilio fuit neque præsidio. Sæpe insuper tua Majestas cum gente Hungarica pacis tractatus habuit, in quibus sibi suisque consulens, Dominos nostros veluti mortuos præteriit. Quibus ex causis intelligunt nostri Comites, non esse ex re sua, tenere tibi promissa, cum tu ea parvi facias. Renunciant ergo fœderi, scriptisque omnibus inter te, seque habitis, neque post hac tuæ Majestati obligatos se quovis pacto ducent.* Quibus dictis, petiverunt infra tres aut quatuor hebdomadas Cæsarem ex suis aliquem in Austriam mittere, qui castrum villæ Bertoldi ex manibus Vlrici Comitis reciperet, quia custodiam ejus amplius apud se nollet. Ad quæ Cæsar hujusmodi responsionem præbuit: *Ex his, quæ dicta sunt a vobis, intelligimus, dominos vestros causam quærere, qua contra nos aliquid attentare possint. Sed nullam invenire, nam si qua esset, eam minime tacuissent. Quæ autem per vos relatæ sunt, quam sint inanes, & ipsi noscunt & vos ex verbis nostris mox intelligetis. De Castello Lindau sic res gesta est. Obsederunt, ut dixistis, Comites illud: sed cum locum natura & arte munitum nulla vi possent expugnare, clanculum ad nos miserunt, ut obsidionem solvere juberemus; ne sponte recedentes, stulte eos consilii pœnituisse videretur. Gessimus morem voluntati eorum, fa-*

mæ-

*mæque ſuæ conſuluimus. Quid hic mali eſt? agere nobis gratias debuerunt, qui & infamiam & dammum eorum avertimus. Quod autem de negatis auxiliis relatum eſt, miramur, qua fronte dicatur. Sed audent per nuncios affirmare, quod præſentes ipſi nunquam præſumerent dicere. Quippe ſubditi terrarum noſtrarum, Stiriæ, Carinthiæ, atque Carnioliæ, ſemper juſſi ſunt ad omnem Comitum neceſſitatem præſto eſſe, ſive Hungari, ſive Turci dominia eorum invaderent. Vnamque ſemper & eandem curam habuimus & noſtrarum & Comitum Provinciarum: quarum damna veluti noſtra vitare ſtuduimus. Teſtis eſt nobis Johannes Stubenbergius, quem ſæpe de partibus Auſtriæ in Stiriam miſimus, ut ſi opus eſſet, militem cogeret in auxilia Comitum. Quod de tractatibus pacis tactum eſt, quis non riſu magis indigere, quam reſponſo dixerit? Quomodo enim neglectos ſe Comites dicere poſſunt, cum tractatus pene omnes inter nos atque Hungaros habitos ipſe Comes Senior & inchoaverit & concluſerit; neque verba in illis alia ſint, quam ejus ſuaſu & auctoritate recepta? Non eſt igitur quod in nos retorquere Comites valeant. Neque merito neque jure fœdus reſcindere aut obligationes ſolvere poſſunt, quæ non temporaneæ ſed perpetuæ ſunt, magnis de cauſis actæ firmatæque litteris atque Sigillis. Deceret enim recepti beneficii memores eſſe, qui per nos ad gloriam Principatus erectos ſe norunt; quorum bona in noſtris Principatibus conſtituta, ſemper tuta fuerunt: qui ſæpe in adverſis fortunæ caſibus & noſtra & progenitorum noſtrorum ope ſalvati ſunt. At mala mens aſſuetuſque fraudibus animus, neque verbo neque ſcripto ligari poteſt: fruſtra litteris A tenere hominem ſtudeas, quem beneficia non retinent. Videant ipſi Comites, an ex bono & æquo nobiſcum agant, ſi dum pro communi utilitate Reip. Chriſtianæ, proque Germanici nominis honore, Romam petimus, Imperiales infulas accepturi, contra nos aliquid moliantur. Nos certe neque fœdus, neque litterarum nexus eis remittimus: quos juramento nobis adſtrictos, ut Imperii Principes, ne fidem fallant, ſi tamen per naturam aut conſuetudinem eam tenere poſſunt, admonitos facimus: experturi cum eis remedia, ſi ſe pactis aut naturalibus B vinculis liberos opinantur. Caſtrum autem Bertholdi ſi noluit Comes Vlricus amplius cuſtodire, debuit, priuſquam ex Germania exiremus, id nobis reſignare. Neque enim latuit eum noſter exitus. Nunc, cum remotiſſime a domo ſimus, niſi id nobis uſque ad reditum conſervarit, perfidiæ nota carere non poterit. Nos illud aliquando ex manibus ſuis requiremus.* Atque cum his mandatis Oratores remiſit.

Inter hæc Leonora circa Liguſticum littus navigans, cum ventis teneretur adverſis, quatuor & centum dies in navi manſit; neque portum ingreſſa eſt ullum, præter illum, de quo ſupra mentio facta eſt, Ceptæ in Africa; neque navi deſcendit, neque terram attigit. Cæſar jam Tuſciam ingreſſus erat; neque ubi locorum ſponſa eſſet, certum habebat nuncium, qui Leonoram cum Cæſare venturam ad coronationem ſperaret. Verum mirabile dictu eſt, neque caſu actum videri poteſt, neque humana induſtria, ſed divini diſpoſitione conſilii factum dicere non timuerim: poſtquam diu flatus Orientales Imperatricis curſum tenuerunt, Occidentales C demum

demum auræ ſurgentes, datis ex inſperato vento velis, cum neque de Cæſare Imperatrix, neque de Imperatrice Cæſar haberet notitiam, mox ut Cæſar Florentiam venit, Leonora Piſanum Portum applicuit. Ibi, cum Cæſarem prope affore didiciſſet, mirabili gaudio repleta, mox ad eum miſit, ſciſcitans, ibine an Thalamone, ubi expectabatur, deſcenderet: narrans, ſe non modice longo navigationis tædio atque opportunitate quaſſatam. Fridericus eam apud Liburnum deſcendere jubet. Eamque, qui ſuo nomine ſuſcipiant Johannem Epiſcopum Ratiſponenſem, Vauconem Ducem Sleſiæ, Michaëlem Comitem Magdeburgenſem, Georgium Starnbergium, Johannem Vngenadium, Vlricum Sunnenberger, Jacobum de Caſtro Romano, primos ſuæ curiæ viros, mittit. Legatis etiam, qui apud Thalamonem cum matronis & virginibus Imperatricem manebant, ut ſe Piſas reciperent, ſuæque Conjugi ſeſe offerrent quam celeriter, imperavit. Qui per aſperrimos ac deſertos pene montes confeſtim ad eam venere.

Ingens id Florentinorum decus pleriſque viſum, quod Imperatorem atque Imperatricem, alterum ex boreali, alterum ex occidentali plaga venientes, uno tempore in ſua ditione reciperent. Cumque diu Leonora apud Thalamonem expectantes fruſtrata fuiſſet, non defuerunt, qui Florentinorum ingenio retentam apud Ligures claſſem dicerent, donec Florentiæ proximantem Fridericum accepiſſent, ut ſimul poſſent Imperatricem atque Imperatorem domi ſuæ videre. Fuitque cunctorum opinio, Leonoram mox ex Piſis Florentiam accerſiri; atque illic regias nuptias celebrari. Sic humana conditio jubet: quæcunque prudentibus viris bene ſuccedunt, ab eorum induſtria prodire creduntur; quæ male accidunt minus ſenſatis, eorum imperitiæ traditur; quamvis ſæpe, nec illis bona ſua virtute, nec his mala ſuo vitio vertant. Mortalis vitæ maximam partem opinio ducit. At Florentinorum nullum in ea re ſtudium fuit. Solus, qui cuncta gubernat, ea veniendi tempora & metitus & moderatus eſt Deus. Nec conſilium Cæſaris vulgarem opinionem firmavit. Imperatricem enim, Senenſem urbem, non ſe Florentiæ manentem, quantocius petere juſſit. Ipſe quoque parumper Florentiæ moratus, donec egregias ædes Coſmæ de Medicis, cæteraſque ſplendidæ urbis ſtructuras, ac univerſi Populi magnificentiam, ſpectaret, ſalutato Senatu, Senas profectus eſt. Vbi populus omnis obviam egreſſus, ad quartum lapidem, vexillum Civitatis ei claveſque obtulit, ſeque dedit & commendavit. Et quamvis prius multa Legati apud Bononiam, de numero militum in urbe recipiendorum, verba feciſſent, ut eſt ante relatum, cum omni tamen comitatu intra mœnia Cæſar venit. Quatuor millia equitum, aut eo plures, fuiſſe creduntur: neque cuiquam hoſpitium defuit, omnes bene viſi honoratique ſunt. Magiſtratus autem urbis, & populi magnam partem, & ruricolas plurimos, in armis adeſſe juſſit; ac palatium obſervare, curareque, ne quid tumulti fieret. Impares tamen adverſus Cæſaream militiam fuiſſent, ſi quid pugnæ invicem emerſiſſet. Illud

ſaluti

ſaluti duntaxat civibus eſſe potuiſſet, quia intenti cives omnes Curialium motus rimabantur; neque improviſi poterant inveniri. Multum intereſt, ubi congrediendum ſit: quis prior arma capeſſat. Verum Cæſaris omne conſilium quietis erat. Ideo, cum ſive caſu ſive maligno ſtudio, in domo, quam Legati Venetorum incolebant, incendium nocte factum eſſet, turbatis civibus, trepidante Magiſtratu, ululantibus matronis, tota Civitas tumultuaret; venientes ad ſe Cæſar armatos milites, ut quieſcerent juſſit, miſſoque ad Proceres urbis Mareſcallo, ne quid timerent, hortatus, quicquid armatorum haberet, ad tutelam populi, de Imperio bene merentis, præſto eſſe confirmans, omnem metum ademit.

Inter hæc Legati ſummi Pontificis Fridericum ſæpius adeuntes, juris eſſe ac vetuſti moris, ajunt, jurare Imperatorem Romano Præſuli fidem, priuſquam beati Petri Patrimonium ingrediatur. Terras Eccleſiæ non procul eſſe: juramentum, ſi velit ulterius pergere, Senis præſtandum aſſerunt: quod in Clementinarum libris habetur inſertum. Id Cæſar nullum unquam Cæſarem exhibuiſſe ajebat, niſi fortaſſe Carolus quartus, & Sigiſmundus ejus filius id egerint. Nam Henricum quidem Septimum fidelitatem juraſſe negavit: cujus cauſa editam Clementinam dicunt. Minime vero Ludovicum Bavarum eo jure jurando ſe adſtrinxiſſe, qui recuſante Papa Romano, ex urbis præfecto coronam accepit. Priores ante Carolum magnum Imperatores, non accepimus jurare ſolitos. Poſt Karolum, quid Ludovicus Primus, quidve jurarint Ottones, decreta Pontificum manifeſtant. Se vero quamvis juramenti petitionem alienam atque admirabilem duceret, maximo tamen Sacerdoti, Chriſti Vicario, parendum exiſtimare; cujus mandata velut juſſiones divinas ſuſcipienda atque implenda putaret.

Auſtrales autem, dum hæc aguntur, cum Cæſaris officiales armis amoviſſent, omnemque Ducatus adminiſtrationem in ſe recepiſſent, optimum factu cenſent, de ſuis actibus Romanum Pontificem reddere certiorem, ſuamque cauſam juſtam oſtendere, priuſquam Friderici querelis accuſentur. Neque enim parum eſt, judicis aures priorem impleſſe. Vocantes igitur ad ſe quendam Juriſperitum Thomam nomine Angelpekium, Romam ut quam celerrime petat, hortantur, præmiaque legationem prudenter acturo non modica pollicentur. Cui volenti non ſolum, verum etiam cupienti, ſcriptas inſtructiones præbent, quas Johanni Cardinali Sancti Angeli referat: Sperantes, illum deinde Romano Pontifici cuncta expoſiturum. Inſtructionum hic ſenſus fuit. *Albertus Imperator, antequam obiret, Teſtamentum condidit. In eo, ſi poſtumus ei naſceretur, erat enim conjux ejus prægnans, de tutela diſpoſuit. Quo morte teſtatoris confirmato, convenientibus Auſtriæ terrigenis, ac de regimine Patriæ conſultantibus, Fridericus & Albertus Auſtriæ Duces Legatos ad eos miſerunt dicentes: ſi maſculus ex uxore Alberti naſceretur, ſe Tutores ejus; ſi fœmina, terræ dominos eſſe: Ducatumque ſibi gubernandum committi, petiverunt. Terrigenæ inter delibe-*

*randum, monumenta majorum invenerunt, quibus constabat: Alberti defuncti, ac Friderici & Alberti superstitum progenitores hæreditatem olim inter se divisisse, & uni Austriam solam cum certis limitibus, alteri Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Athesim, pluraque alia dominia cessisse: eamque legem inter eos dictam atque firmatam fuisse, ne quis eorum vel suorum hæredum in partem dimissam regredi posset, donec masculus hæres ex altera linea superviveret. Cumque nondum Regina peperisset, animadvertentes, Austriam vicinos habere novitatum ac rapinæ cupidos, ex usu fore putaverunt, Fridericum usque in tempus partus gubernatorem assumere, ut & vicini quiescerent, ejus potentiam veriti; & ipse cum fratre, si fœmina nasceretur, absque impedimento hæreditatem posset adire, suoque jure Austriam tenere. Timebant enim, ne Gubernator alius in tali casu novas res aggrediens, & Fridericum suo jure fraudaret & Austriam bellis exponeret. At ne Fridericus ipse, ne vel pupillo nascituro, vel patriæ gravis esse posset; his eum legibus obligarunt, Gubernationem Austriæ ut acciperet, quousque Regina pareret; &, si masculus in lucem prodiret, illum ultra discretionis annos invitum minime retineret, sed Tutelam ac Ducatum libere dimitteret, thesauros, omnemque pretiosam suppellectilem, sive sacram sive profanam sub inventario ac sub duabus clavibus recluderet, quarum sibi alteram haberet, Terrigenis alteram permitteret: Si fœminam Regina pareret, eam pro more Domus Austriæ & nutriret, & adultam nuptui cum dote se digna traderet. Terram Austriæ juxta consilium Prælatorum, Baronum & nobilium regeret, quos sibi ex Terrigenis Patriæ posset assumere: antequam Regina pareret, ne quenquam Terrigenarum ad præstandum fidelitatis juramenta compelleret: provincialia ac municipalia jura ne solveret: privato cuivis juri ne derogaret: debita Cameræ cuncta persolveret. Quæ observare singula suis litteris spopondit, adjiciens; si quopacto nasciturum ex Regina filium, post annos discretionis suæ libertati non redderet, seu prædicta omnia non servaret (quod tamen Deum avertere deprecabatur) tunc liberum esse Terrigenis Austriæ, ab eo recedere, se sibi opponere, solique postumo parere; juramentaque omnia & obligationes eo casu nullius existere momenti, quæ sibi tanquam Tutori præstitæ fuissent. Quibus sic firmatis, natus est Ladislaus Alberti filius ex Regina Elisabeth: qui mox in Alba Regali, ut est moris Hungariæ Regum, infans adhuc atque tenerrimus inunctus & coronam accepit: deinde in Friderici manus pervenit, qui Testamentum Alberti contemnens, legesque Patriæ sibi præscriptas parvi ducens, & puerum penes se tenuit educandum, & Austriam ex suo capite sine consilio Terrigenarum administravit: castella, Telonia, vectigalia, pignori adscripsit: subditos Austriæ gravibus oneribus exactionibusque vexavit: Alberti debita minime persolvit: prædari latrones atque incendia & homicidia facere impune permisit: Austriam infinitis calamitatibus affecit. Quibus cognitis, Hungari velut dedecus existimantes, quem sibi Regem unxissent, patremque recepissent, in aliena potestate consistere; Ladislaum Dominum suum ad se liberum dimitti, sæpius petiverunt. Nec Bohemi tacuerunt. At Friderico extra manus*

*suas*

dolos; misitque post hominem Juvenes armatos, qui ei non longe ab Opido Sancti Quiriti & litteras & instructiones vi qualibet eripuerunt, neque ab eo cognosci quovis pacto potuerunt. Fuit Thomæ pro beneficio, vitam retinuisse, beneque secum actum est, quia dimitti potuit. Quippe si litterarum tenor, quas secum ferebat, antea notus Imperatori fuisset, ipso die Thomas & iter ad urbem & vitæ cursum finivisset. Miratus admodum Cæsar, cum scripta sibi Australium tradita sunt; tumque primum, & pessimam esse illorum mentem & malignam naturam, intellexit; qui naturalem dominum sceleratissimis insectari convitiis non vererentur. Tolerandum fortasse fuerat, si se justis de causis contra Cæsarem arma cepisse, dixissent, qui suum Dominum noluisset apud eos dimittere, qui eos in suo regimine dure tenuisset, qui nonnulla eis promissa non impleviset. At cum Cæsar ex Australi domo natus, pro familiæ suæ totiusque regionis Austriæ gloria, pro sacri Imperii & nationis Theutonicæ decore, ad suscipiendas Augustales infulas Romam peteret, adversari cœptis ejus, ipsum parricidali crimine annotare, indignum Imperio dicere, conari eum ab honore repellere, impuriſſimarum ac nequissimarum esse mentium quis negaverit? Sed de his alio loco a nobis est dictum: aliquando forsitan dicetur amplius.

Dum Senis ista aguntur, Leonora, ut Imperatrici par fuit, magno Procerum ac nobilium fœminarum comitatu Pisas venit. Statura mediocri virgo, annos nata sexdecim, A læta fronte, nigerrimis atque illustribus oculis, ore parvo, genis ad gratiam rubescentibus, cervice candida, facie ex integro venusta, nullaque videbatur parte mendosa. Verum forma corporis egregia, dotes animi multo præstantiores fuere. Virgo regia absque interprete loqui, graves sententias dicere, prudenter respondere, apte cuncta disponere, regios in quavis re mores ostendere. Ibi diebus quindecim inter Legatos Cæsaris & Marchionem Portugalensem de conducenda Imperatrice disceptatum est. Quamvis enim Mar- B chioni commissum esset, in portu Latino Procuratoribus Imperatoris sponsam assignare, quia tamen prope adesse Cæsarem intellexerat, neque suæ neque Regis Portugaliæ dignitatis esse statuebat, per sese Cæsari Conjugem non adducere. Contra Legati, adversus imperium facere videbantur, nisi Leonoram ipsi ducendam suscepissent, neque suum honorem alteri dimittendum putabant. Florentini medio tempore admodum timebant, ne Pisani, quos habent suæ gubernationi suspectos, cum Theutonicis sive Portugalensibus rebellare con- C arentur. Ob quam causam Micheletum veterem rei bellicæ magistrum, cum magna militum manu, in urbem vocaverant. Commissarios quoque prudentes homines ex Florentia miserant, qui Germanorum ac Portugalensium actus inspicientes, excubias nocturnas diurnasque facerent, armatos in locis oportunis haberent, cives observarent, nullum insidiis locum permitterent, darentque omnem operam, ne quid resp. detrimenti pateretur. Id cum dies aliquot diligenter agitarent, tandem affecti

tædio Æneam Epiſcopum adeunt, rogantque finem rebus dari curet: dicunt aperte, laborem ſe neque velle, neque poſſe amplius ferre: cives aliquos res novas moliri, Portugalenſes multas inſolentias agere, Teutones, quamvis conſtantes viros nihil contra fidem acturos credant, ubi tamen tumultus ab aliis incipiatur, Piſanis magis, quam Florentinis opem laturos. Neque adhuc iſta finierant, cum ſubito rumor exauditur. Familiares Alberti de Pottendorff adverſus aliquos armigeros Florentinorum levibus cauſis rixam cœperant, atque armati utrinque cencurrerant. Sed cum plures ex parte Florentinorum præſto eſſent, ſuperati Theutonici, in fugam verſi, duo ex his vulnerati paulo poſt mortem obiere. Atque hanc ſolam adverſitatem in Italia comitatus Cæſaris paſſus eſt. Ex aliis neque morbo neque ferro quiſquam interiit. Vnus tantummodo ſenio confectus, qui ferebatur ægrotus, cum veniſſet ad locum, quo Roma conſpicitur, extenuatus viribus in terram deſcendit, atque urbis magnitudinem contemplatus, miratuſque paululum tantam tanti operis molem, veluti deſiderio potitus, animam exhalavit. Potuiſſent autem Theutones, dum Piſis erant, occiſos armis ulciſci; quando & populum civitatis cupidum novitatis habebant, & ipſi cum Portugalenſibus multi in armis erant. Viſa ſunt tamen pacis conſilia magis ex uſu eſſe, Florentini quoque deteſtati factum, nihil ſibi imputari petebant, auctoreſque criminis depoſcentes judicium offerebant. Sed illi fuga extra urbem lapſi, nuſquam reperti, ſceleris impunitatem conſecuti ſunt.

A Studuerunt autem hac de cauſa Legati Cæſaris quantocius ex Piſis abire. Cumque Marchionis animus flecti non poſſet, placuit Imperatricis exquiri ſententiam: ſub Marchionis ductu, an Legatorum, ad Cæſarem ire vellet. Quæ ſapienti uſa conſilio ita reſpondit: ſepultis, inquit, Parentibus meis, juvencula uſque in hoc ætatis ſub fratris imperio fui, nullumque mandatum ejus egreſſa ſum. nunc ejus voluntate tradita viro, legibus me viri parere oportet. Si Legati Domini mei Cæſaris in hanc rem miſſi ſunt, ut me ad eum adducant, non eſt cur abnuere poſſim. Quibus verbis auditis, motus Marchio traditurum ſe ſponſam ait, quamprimum Legati vellent; ſi modo unum ex ſe deligerent, ad cujus manus Imperatrix aſſignaretur. Erat, ut diximus, inter Legatos Cæſaris Vanco Dux Sleſiæ, qui ſe id honoris præ cæteris habiturum & exiſtimabat & contendebat; tum propter Ducale nomen & altum ſui generis ſanguinem, tum quod Imperatoris Friderici proximus cognatus erat. Sed cum prudentia longe minor eſſet in eo quam nobilitas, bibendique quam loquendi recte major uſus (raro enim in magna fortuna magnam virtutem invenias) placuit omnibus Æneam Epiſcopum eſſe, qui Leonoram in ſuas manus Imperatori ducendam aſſumeret. Conſcriptis igitur inde chirographis, rebuſque compoſitis omnibus, Imperatrix Senas ducta eſt jejunii ſecunda die. Nam cineres ejus capiti cæteriſque matronis eam ſequentibus Æneas ex more apud Caſtrum Florentinum conſperſit. Occurrunt autem ei apud Senas primum

Cives

*ſuas puerum dare denegante, Gubernator Hungariæ cum valido exercitu Auſtriam ingreſſus rapinis atque incendiis patriam devaſtavit. Neque motus his Fridericus, ſed amplius induratus, arctius pupillum in ſua poteſtate cuſtodivit, quodque durius eſt, puellum tenerum, invitis Auſtriæ Prælatis atque Baronibus, ad Italiam duxit; illic ut aëre ſub inſolito morbum induens vitam finiret, vacuumque ſibi Ducatum relinqueret, quem ſuum appellat, incolaſque ſubditos ſuos dicit. Quibus ex rebus, convenientes apud Viennam univerſi Auſtrales, ponderanteſque juramentum Alberto quondam præſtitum, in quo fidelitatem maſculis ejus hæredibus promiſerunt, inſpicientes quoque pacta cum Friderico percuſſa, quæ ipſe minime ſervaverat, intelligentes ſe propterea ab ejus gubernatione liberos; cum repetentes ſuum dominum non obtinuiſſent, concluſerunt inter ſe unanimes: Friderico tanquam Tutori deinceps nullatemus obedire, fœduſque cum Bohemis Hungaris atque Moravis inierunt, ad liberationem Ladislai Regis & Domini ſui communibus viribus atque conſiliis operam adhibere. Verum Fridericus dominandi cupiditate cæcus, ut dictum eſt, puerum ad Italiam traduxit; ut quem ferro necare non audet, Italici caloris intemperie perimat. At Auſtrales, quemcunque ſors caſum dederit, fortiter ferent; Fridericique poſthac dominatum nunquam ſubibunt.* Hæc, in Romana curia ut Thomas exponeret, commiſerunt, neque contenti talibus, litteras quoque Cardinali Sancti Angeli in hunc mundum ſcripſere. *Colendiſſimo Domino Johanni Cardinali Sancti Angeli, Patri bono, Vlricus Eizinger Capitaneus, cæteri rectores Ducatus Auſtriæ S. P. D. Non habet nos dubium, quin Fridericus Romam veniens, Sanctiſſimo Patri Nicolao, Sacroque Cardinalium cœtui multa de nobis ſiniſtra & dura proponat. Et cum ſit ipſe injurius, nos perverſos & injuriatores appellat: ut eſt mos hominum, qui, etſi maxime fallunt, viros ſe bonos oſtendere nituntur. Criminatum nos Cæſarem multis in locis, non eſt, cur Romæ taciturum ſperemus. Neceſſe eſt igitur & nos pro noſtra innocentia loqui: ne tacentes videamur injuſti. Mittimus ergo ad Romanam Curiam Oratorem noſtrum Thomam Angelpeckh, de omni actione, quam contra Fridericum Cæſarem habemus, plene inſtructum. Eum ut audias, rogamus, piamque cauſam noſtram ſuſcipias adjuvandam, qui pro ſanguine regio male tractato arma ſumpſimus: Ladislao nobiliſſimo puero ſtudemus, ſibi patriam hæreditatem vendicamus. Aſſiſte, oramus, pio generi. Sint ante oculos tuos & omnium Cardinalium, Patris & Avi hujus pupilli glorioſa geſta: memento illos Apoſtolicæ ſedi ſemper benevolos & affectiſſimos fuiſſe: pugnaſſe pro fide catholica, extinxiſſe ſchiſmata, pacem eccleſiæ Romanæ dediſſe: credito, & hunc veſtigia Parentum non deſerturum: dumque per nefas extra patriam hæreditatem trahitur, adjuva, ut ſuum jus conſequi poſſit. Novimus in facie Juſtitiæ cultricem dignationem tuam, abhorrentem iniquitates. Ideo te jam ex hoc tempore noſtri pupilli protectorem & advocatum aſſumimus, ſpe certa freti, quia non relinques innocentem & nobiliſſimum ſanguinem indefenſum; compatieris ætati, abhorrebis violentiam, favebis juſtitiæ, Sanctiſſimumque Patrem Apoſtolicum de veri-*

*veritate instructum, fucatis Friderici verbis non sines decipi. Nos tibi exinde semper erimus deditissimi. Ladislaus autem, si vixerit, ab Italia, quod superi omnes consentiant, incolumis redierit, digna tuis laboribus præmia referre neque per se negliget, neque per nostram curam. Vale.* Nicolao etiam Pontifici, sacroque Cardinalium cœtui, litteras dederunt, jurgiorum & contumeliarum plenas. Sed nihil venenosius illis fuit, quas ad Curiales scripserunt, quarum & hic exemplar annectere, quamvis putidam sapiant dicacitatem, haud alienum putavi. Sic autem scriptæ fuerunt: *Patribus in Christo Venerandis, virisque præstabilibus Romanam curiam sequentibus, Vlricus Eizinger Capitaneus, universique proceres & incolæ Ducatus Austriæ S. p. d. Impellit nos sæva & insolita Tyrannis Friderici Cæsaris, ad vos pauca scribere, quæ ob reverentiam tanti nominis libenter tacuissemus, si nobis & inclito Domino nostro Ladislao Regi Vngariæ atque Bohemiæ silentium ipsum nocumento non esset. At ubi grassatur injuria, non potest deesse querela. Plurima sunt, quæ dure ac insolenter contra nos Fridericus hactenus egit, quæ non est propositum singula prosequi, ne vestras aures nimium teneamus. Sed accipite ista ex multis, quæ vestras in terras de moderni Cæsaris æquitate regalique magnificentia scribere, aut, cum illuc veneritis, referre possitis, gaudeatisque nostra ætate tam pium divinumque Cæsarem cœlitus esse datum. Accepit hic Fridericus tutelam Ladislai Regis, & in hanc usque diem gessit. Pudet dicere, quam misere regius sanguis educatus sit: quo cibo, qua veste retentus: castra & vectigalia pignori concessa, thesauri asportati, hereditas ejus omnis expilata. Toleravissemus tamen hæc omnia, si non pejora emersissent. Sed audite facinus ingens & abominandum. Cum statuisset Fridericus Romam petere, ut Augustalem coronam acciperet, rogavimus eum, Dominum nostrum apud nos dimitteret, ut ex voluntate paterna gubernaretur, & noluit. Sed puellum tenerum, XII annos natum, delicatissimæ naturæ, ad gravem Italiæ aërem secum duxit; ut quem ferro non audet extinguere, cœli mutatio perimat. O nobilissimum sanguinem, de Burgundia atque Holandia derivatum, siccine duceris, ut tua nece locum alteri facias? Ecce, qui coronam Imperii petit, mirum est, si vos Curiales universi non occlamatis. Vt macula quavis careat, sitque virtute præditus omni, oportet, qui Romanæ Reipublicæ præficitur Imperator. At, qui suum sanguinem persequitur, quo pacto dignus Imperio videri potest? Assurgite oramus, viri prudentes, reclamate, curate, ne tantum dedecus admittatur. Namque, si Fridericus Imperio potitur, sceleratis quibuslibet ad honores patebit aditus, nullumque posthac viris bonis in republica refugium patebit. Quod malum ut vestra prudentia totis conatibus avertat, pro communi saltem Christiani populi, nostroque speciali commodo iterum atque iterum obsecramus.* His litteris atque instructionibus acceptis, Thomas festino transitu Senas venit, visitatoque Cæsare, velut aliquid beneficiorum Romæ curaturus, commendatitias litteras ad summum Pontificem impetravit. Sed invenit cautus cautiorem, versutoque versutior objectus est. Sentit Cæsar, inesse dolos;

Cives natu & auctoritate majores, deinde Albertus Germanus Cæsaris illustrium Virorum comitante caterva, tertio loco Ladislaus Rex Hungariæ apparatu sublimiori, quarto processio cleri & urbis Magistratus: Fridericus autem cum Legatis Apostolicis extra duas urbis portas intra tertium (tot enim in ea parte Florentinorum insidiis objiciendas januas, majores existimarunt) in amplo, & spatioso loco compluribus ac nobilissimis Proceribus circumdatus sponsæ manebat adventum. Qua visa mox ab equo descendit: neque illa segnior fuit, tumque in amplexus ambo venere. Mox spatio separati, factaque Prælatorum & Procerum corona, Henricus Leubin jussu Cæsaris locutus: Jucundissimum illum Cæsari diem dixit, quo primum dilectissimam suam sponsam vidisset maris ereptam periculis, lætissimumque Cæsarem tali conjugio, pluribus verbis affirmavit: Leonoram nobilissimo genere natam, forma pulcherrimam, moribus ornatissimam, prædicavit: futurumque illi benignum Cæsarem in omne ævum obtulit. Ad ea pauca Æneas Imperatricis vice respondit: Leonoram gravi maris navigatione vexatam, jam laboris omnis oblitam esse, quando Sponsum & Dominum suum incolumen lætumque cerneret; quem cum non visum ante dilexisset, nunc magis ac magis amaret, venisse ad ejus Imperium, inventurum experiundo Cæsarem, quo animo ea in se fuerit: nihil aliud eam petere, nisi ut mutuo ametur, reciprocum Cæsari se suum corpus, animamque dedisse. Expalluit primo Cæsar, ut a longe spon-

A

B

sam venire animadvertit. At ubi prope venustam faciem, gestusque regios magis ac magis contemplatus est, in se rediit, coloremque pristinum recepit, hilaris factus; quia Conjugem pulchram, fama pulchriorem invenit, neque se verbis captum reperit, ut accidere solet Principibus, qui per Procuratores connubia contrahunt. In eo loco, ubi hæc gesta sunt, Senenses postea marmoreum lapidem erexerunt, inscriptum litteris, quæ tantæ rei memoriam posteris tradant. Mansit post hæc Cæsar apud Senenses diebus quatuor.

Plurimum ea Civitas juventuti Germaniæ placuit: quæ sita in montibus, amœnum aspectum habet, multa ibi palatia ad regiam fastigiata magnificentiam cernuntur: Basilicæ admodum ornatæ. Principale, quod beatæ Mariæ Virginis domum vocitant, procul dubio cunctis Italiæ præferendum ædificiis judicatur: quamvis non est ingentioris latitudinis. Verum ita partes universo suo conveniunt, ut nihil ad rem perfectam desiderari possit. Tectum plumbo albo coopertum: fornices sublimes: cerei floridi plurimorum colorum ex illis pendent: altaria ornatissima, Sacerdotum vestimenta pretiosa, Sanctorum multæ & singulares reliquiæ argento & auro variisque lapidibus vestitæ; columnæ marmoreæ, picturæ nobiles, sculpturæ, quales vel Phidiæ credas vel Praxitelis: chorus tessellatus arte mirabili, quam tharsiacam vocant: fenestrarum splendentia vitra, pavimentum marmore figurato vetustas historias referens,

C

quo

quo magis calcatur eo lucidius redditur: ad portarum & ipsius frontis, quam vocant, templi faciem, nihil æquandum existimes: tot equorum, hominum, angelorumque statuæ cernuntur: tot, ut ajunt, cimboria in cœlum eriguntur: opus quoque Musaicum, in frontis parte sublimiori resplendet: lapis marmoreus diversi coloris templum omne convestit: ad usum Campanarum excelsa turris nigro & albo constructa lapide. In Ecclesiam, quæ universæ supereminet urbi, per gradus introeas, sub ea divi Johannis non parvum Sacellum, & nobile Baptisterium: ita ut templum templo superædificatum magno sumptu majori ingenio recognoscas. Cui Xenodochium e regione correspondet, toto orbe memorandum, in quo peregrini, mendicique, debilesque, undecunque veniant, recipiuntur, aluntur: pueri expositi nutriuntur: cumque adoleverint, fœminæ viris cum dote traduntur, masculi ad artificia, quæ discere videntur idonei, mittuntur: eleemosynarum omne genus illic exercetur. Quas res mirum in modum Theutones laudaverunt. Populus urbis quietus & advenarum amans voluptati omnibus erat. Maxime autem fœminarum genus placidum his videbatur. Nam Civitas Senensis speciosissimas mulieres habet, inter quas semper aliquas invenies, quæ formæ venustate cunctas Italici generis fœminas superent. Sunt insuper puellæ ac matronæ Senensium letæ, &, quantum pudicitia fert, benignæ ac jucundæ amantibus: multæque his facetiæ, multusque lepos inest: psallere, saltare, quædam etiam orare Latine, atque facere carmen peritæ. Quibus apud A forum prima quadragesimæ Dominica congregatis, saltationique dantibus operam, Cæsar cum conjuge superveniens, altumque tribunal ad id præparatum ascendens, spectare honestatem moresque mulierum cœpit. Tum mulier, Augustini cujusdam ex duodecim viris filia, forma egregia, ætate juvenili, in domo Petrucia formoso & docto Adolescenti nupta, Achilli nomine, qui redeunte Cæsare unus inter primores urbis fuit, quos vocant Dominos, assurgens in medio cœtus, scamnumque conscendens elegantem orationem de bono B Conjugii habuit. Nunc Fridericum amare consortem suam, nunc Leonoram redamare virum commonefaciens: adeoque graviter atque ornate locuta est, ut in stuporem, qui aderant, omnes adduceret. Chorea deinde cœpta est, atque ex arte diu saltatum. At cum Portugalenses, qui secuti erant Imperatricem, quamplures adessent, ingressique choream petulantius tractare virgines ac matronas cœpissent, suosque mores castis Etruriæ consuetudinibus miscere vellent, indignata simul omnis con- C gregatio mulierum, veluti conspiratione facta, consalutato Cæsare atque Consorte, ex foro in palatium sese repente proripuit.

Cæsar secunda post die iter suum versus urbem continuavit. Omnia Senensium gesta Theutonici commendavere. Solum illud graviter tulerunt, quoniam sumptus non æque Senis atque in aliis locis abunde ministrati sunt, neque omnes expensæ Cæsari persolutæ. Quod eo nonnulli magis admirati sunt, quia cum Florentini ac Veneti Imperii non æque cultores

tores, crediti largiſſimas Cæſari menſas præbuiſſent, fidelitatem Senenſium ſuperaturam omnes opinabantur. Idque ſuadebat honor, olim Sigiſmundo Cæſari præbitus, qui menſibus undecim apud Senenſes, Eugenio ſedente, manens, victum omnem ab eis accepit. Putabant igitur Friderico non minora, quam Sigiſmundo præberi. Verum Senenſes non hi ſunt, qui vel potentiæ Venetorum vel Florentinorum opibus, æquari poſſint. Sciebant, quam graviter cum Sigiſmundo ſe habuerunt. Perſolverant jam omnes expenſas, quas tribus menſibus & apud Groſſetum & Thalamonem Legati Cæſaris cum Dominabus fecerant. Timebant, ne diutius apud ſe Cæſar cum Leonora moram faceret. Nolebant incipere, quod perficere nequirent. Statuerunt itaque, (1) Friderico illum honorem, quem Civitas ferre potuit, ſita in montibus, ſine magno imperio: atque in agro non multum feraci, neque Cæſar parvam Senenſium erga ſe devotionem duxit, quamvis ab initio ſuſpiciones populi graviter tulerit.

Apud Viterbium autem, ingens illi honor, mandante Pontifice maximo, exhibitus eſt. At cum proximaret hoſpitio, fuerunt nonnulli adoleſcentes, qui ex loco ſublimi aureum umbraculi ſeu Baldachini, ut Itali vocant, pannum, ſub quo Cæſar ibat, uncis ferreis ad ſe trahentes contendenteſque ſimul dilaniarunt. Ob quam rem, creſcente licentia, milites aliquot, qui ſtipendia Eccleſiæ merebant, impetu facto Cæſarem equo, quem rapientibus deberi putabant, dejicere conantur. Quidam ultra progreſſi manus in pileum prædiviti corona cinctum tendere, lucrumque ingens ſperare, atque, ut in prædam vocati, hunc & illum invadentes, magna vi contendere, baculiſque pugnare, cuncta clamoribus atque tumultu miſcere. Eo cognito, verſus ad Legatos Cæſar, hic, inquit, manibus opus, vique vim repellere. Arreptoque fuſte ex manibus proximi miniſtrantis, urgens calcaribus equum, e manibus inſidiantium lapſus retrorſum ſe vertit, atque in eos ruens, modo iſtum modo illum cædere, proſternere plurimos, ſtragemque magnam dare. Neque Legati negligere ſumere fuſtes, præliari ligno: Germanus Papæ viribus potens, unum atque alterum onerare verberibus: equites Cæſaris gladiis agere: ad longum horæ ſpatium ſummis utrinque contentionibus pugnatum eſt. Superati tandem inſidiantes, cum vulnera percuſſioneſque ferre non poſſent, fugam fecere: quamplurimi ex his capti in vincula conjecti ſunt. In quos cum Gubernator Patrimonii, nepos Nicolai, Cardinalis olim Sanctæ Crucis, Apoſtolicæ ſedis Protonotarius, ſupra ætatem & magnanimus & prudens animadvertere vellet, Fridericus ignoſcendi quam vindicandi ſolentior omnibus veniam dedit.

His actis, Legati Romam præceſſere. Ipſe ad Idus Martias ex Sutrio iter Romam ſummo mane accepit.

(1) *Ex Cod. MSto II. fol. 48. pag. 1. pro* Fridericum, Friderico *repoſitum, & quæ hic poſt τὸ* feraci *erant puncta, lacunam ſignificantia, ex fide dicti codicis ſublata.*

cepit. Cui, jam Romæ proximo, quicquid Nobilitatis in urbe fuit, obviam datum eſt. Primi omnium, qui nomine digni viderentur, Columnienſes fuere, duo Martini Papæ Quinti nepotes, quorum ille alterum Principem Salerni, alterum Marſorum Ducem creaverat. Hos plurimi ſequebantur domo nobiles, & opulenti cives. Nec minori Comitatu ſecundum locum tenuere præpotentes Vrſinorum Proceres: inter quos etiam Prælati aderant. Tertio loco Peruſinus Epiſcopus, Theſaurarius Papæ, militiam omnem, cui præfectus erat, ſecum adduxit. Intervallo deinde competenti Nicolaus Placentinus Epiſcopus, Vicecamerarius Apoſtolicus, qui poſtea Mediolanenſem Eccleſiam adeptus eſt, cum Senatore Romano primariisque civibus urbis, Imperatori occurrit: cunctique, Cæſaris adventum lætis ſe animis accipere, verbis, ut Itali ſolent, ſuavibus atque ornatiſſimis oſtenderunt. Venit deinde Cæſar in eminentem collem, unde urbem ſpectare potuit. Ibi primum, & ambitum murorum latiſſimum, ingentesque ædificiorum moles, Adriani ſepulchrum, Metas, quas falſo nomine Romuli Remique tumulos dicunt, Thermas Diocletianas, Pantheon ſolidum opus Agrippæ, Coloſſeum, Capitolii immobile ſaxum, Palanctеum, Aventinum, Eſquilias, Lateranumque mirabatur, atque cujuſque molis & nomen & cauſas cunctabatur. Neque minorem fama urbem ſe reperiſſe, dicebat. Læta omnis nobilitas, haud incaſſum ſe laboribus affectam, ajebat, cui caput orbis urbem viſere datum eſſet, cunctarumque gentium columen Romam.

A Vbi de colle deſcenſum eſt, ibi Sacer Senatus Apoſtolicus extra ordinem occurrit. Nam cæteris Cæſaribus id honoris negatum ferunt. Credo equidem, poſtquam Cæſarea Majeſtas attenuata eſt. Nam priſcis temporibus non Cardinales ſolum, verum & ipſos Romanæ urbis maximos Pontifices obviaſſe Cæſaribus, conſtat. Quippe ad Fridericum primum, uſque Sutrium Romanus Pontifex venit. Sed eſt omnium poteſtatum viciſſitudo. Olim Cæſarea dignitas ingens fuit, nunc ſedes Apoſtolica major eſt. Cujus auctoritatem, poſt traditas Petro B claves Regni cœlorum, ſemper fuiſſe majorem putaverim, poteſtatem ſæpe minorem.

Cardinales, poſtquam Cæſarem ſalutaverunt, ſecumque familiarius aliqua tractaverunt, reverſi Romam, eum extra urbem reliquerunt: neque enim mos eſt, una die & applicare & intrare urbem, qui coronandi ſunt Cæſares, ſed noctem ſaltem unam in caſtris atque tentoriis habent. Cujus rei cauſam non aliam arbitrari poſſum, niſi quod ea dies Papæ cedat, ad providendum, ne quid ingrediente Cæſare tumultus fiat. Sive C id ſpatium ſibi Cæſares ipſi aſſumpſerunt, ut explorato urbis ſtatu tutius ingrederentur; ſeu bis terque aliqua vel cauſa vel caſu res geſta, vim conſuetudinis accepit. Manſit igitur Cæſar & Imperatrix ea nocte in domo Thomæ Spinelli, negotiatoris, quam ſibi deliciarum cauſa extra urbem ædificaverat, cæteri in caſtris manſere: multi, quibus Cæſar indulſit, urbem introiere. Inter quos Æneas fuit. Qui mox ad Pontificem vocatus, multa de mente Cæſaris

saris interrogatus, omnia tuta, quieta, A finceraque dixit, neque timore ullo fuisse opus, affirmavit. Ad quem Pontifex, ut tibi vera manifestemus, ait, cum Fridericum tuum adversum nobis & Ecclesiæ multi venientem assererent, quamvis non haberemus omnibus fidem, maluimus tamen salvari timentes, quam perire audaces Atque his dictis eum remisit in domum, quam sibi egregiam assignaverat, juxta Tiberim. Castellanus eam quondam construxerat, qui arcem Sancti Angeli per multos annos ab Eugenio tenuerat. B

Sequenti die, in pratis, quæ proxima erant urbi, extra portam, quæ Moli Hadriani jungitur, omnis Cæsaris Comitatus sese recepit: atque in acies, veluti prælium gesturus, ordinatus; neque procul Equitatus Apostolicus in armis fuit. Res pulcherrima visu: Cæsar trabea vestitus, inter legatos totius Italiæ magnos viros, eminebat: Imperatrix mirificis ornata cultibus, Cathelanis & Portugalensibus circundata omnium in se oculos attrahebat. Ladislaus Hungariæ atque Bohemiæ Rex tenera ætate, purpuratus inter Prælatos, non sine majestate conspicuus ibat. Albertus Germanus Cæsaris militiæ ductor, huc modo illuc obequitabat, suum cuique locum demonstrans. Equites medio tempore Germani atque Latini ostentare se, in armis discurrere, vibrare hastas, versare gladios: signa omnia canere: faciem pugnæ monstrare. Neque Theutones Italis, neque rursus Itali Theutonibus esse contemptui. Vndique viri, arma equi, vexilla, pariter oculos adstantium in se convertere.

Igitur introeundi hic ordo habitus est. Duo Cæsaris vexilla fuerunt, alterum, quod Sancti Georgii vocitant, id veteri more Suevorum custodiæ deberi ajunt, apud quos militia Sancti Georgii robur Imperii non parvum ducitur: deinde vexillum Aquilæ (quod monstrum ignorantia nostri sæculi introduxit, quæ duplex Romanum Imperium Orientale atque Occidentale duobus designari capitibus pulchrum existimat, neque melius unum, toto terrarum orbe diffusum, naturalis aquilæ forma monstrari censet: ingrata res Cæsari fuit, consuetudini tamen paruit) & circa ipsum egregii quamplures equites, quorum ductor fuit Comes Magdeburgensis, cujus supra fecimus mentionem. Tum Principum atque Civitatum Legati: Sed inter hos nata contentio est. Albertus enim, cum Venetorum Legatis digniorem locum præbuisset, indignati Mediolanenses injuriam sibi fieri, ajebant: Principem suum multo præstantiorem Venetorum Duce; illum obsequentem Imperio, Venetum hostem Imperii, nullum velle superiorem; Venetos usurpasse Ducatus dignitatem: non legitime suscepisse, Mediolanenses Imperii auctoritate verum sibi Principē constituisse, qui ex arbitrio regeret, cui liberi succederent, qui Vasallum Imperii se diceret, quem Christiani omnes Principali honore dignum ducerent. Duci Venetiarum nullam esse potestatem nisi cum populo, filium dignitatis hæredem non habere, ex negotiatoribus Ducem eligi: alienum atque indignum videri, Principi nobili & potenti mercatorem præferri. Contra Veneti: Ducatum Mediolanensem rem novam fuisse, in Galeatio Vicecomite cœpisse, in ejus filio defecisse, qui sine liberis ex matrimonio natis obiisset; Ducatum Venetum vetustissimum esse, ordine legitimo institutum, Ducem nisi ex familia nobili nullum assumi, Rempu- C



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

blicam Venetorum ſupra noningentos annos ſtetiſſe, terra & mari potentem: Franciſcum Sfortiam, cujus Legati Mediolanenſes eſſent, haud parem videri poſſe cuivis patricio Veneto, novum hominem, cujus pater priuſquam arma gereret, infimæ plebis fuit: riſu dignum, qui nobilitati Venetorum æquari velit, quorum plurimis annis ſtipendia mendicaſſet; Principatum ejus nihil eſſe, qui ſine legibus, ſine moribus, impetu populari ſe Ducem dicere atque arripere inſignia præſumpſiſſet: ſtatum ejus inſtabilem & cito caſurum: hominem, ut repente creviſſet, mature periturum: Philippum deinde, qui Mediolanenſibus jure præfuit, ex nobili domo Vicecomitum, Galeatii filium, de præſidentia cum Duce Veneto & in Conciliis & in Romana curia ſæpius contendiſſe, nunquam tamen fuiſſe prælatum: temerarios modo plus, quam dici poſſet, judicandos eſſe Mediolanenſes, qui Ducem ſuum violentum & obſcurum genere, Venetorum gloriæ anteponendum eſſe exiſtimant, Stetit igitur Alberti ſententia: Venetis honeſtior locus datus eſt. Mediolanenſes, dubii quidnam agerent, primum abire ex proceſſione voluerunt. Dein communicato cum Placentino Epiſcopo & Senenſi conſilio, magis ex uſu rati ſunt permanere. Præcedentibus ergo qui ſigna tulerunt Equitibus, nobiles ex Alemania, Bohemia, Hungaria, ſecuti ſunt, qui togati aderant: poſt eos Italici generis inſignes viri, abinde Romani Cives, tum Barones, demum Legati Lucani, Ferrarienſes, Montisferrati, Senenſes, Florentini, Mediolanenſes, Veneti, Portugalenſes, Aragonenſes. Subinde Rex Ladislaus venit, ſuos circa ſe miniſtros habens, & aliqui apud eum ex Germania Generoſi Comites fuere. Inter ipſum autem & Cæſarem, Senatori & Præfecto urbis datus eſt locus. Quippe quod his ex officio competere, ajebant, poſtquam urbem Cæſar intraſſet, ejus equum manu regere. Marſchallus nudatum enſem ante Cæſarem tulit. Poſt Cæſarem proximi fuere Epiſcopi Senenſis, Gurcenſis, Ratiſponenſis, Tergeſtinus, & reliqui Conſiliarii, Comites ac Barones. Vacuus exinde ad decem paſſus locus manſit: in quo primo fuere miniſtri nobiles Imperatricis, demum Colimbrienſis Epiſcopus, ac Marchio Valentinus Imperatricem proximi antecedebant, & cum his Albertus Potendorfius Magiſter Curiæ. Ipſam vero multi pedites ſolam ducebant. Poſt plurimæ matronæ virgineſque, non minus facie quam veſtimentorum ornatu demirandæ, ſequebantur. Noviſſimus omnium equitatus Apoſtolicus incedebat. Tubarum clangor multis in locis aſſiduus exaudiebatur. Vbi ad portam urbis ventum eſt, Epiſcopus Spoletanus, Vicarius Pontificis, ac plurimi Coepiſcopi & Abbates Infulati, venerabiles ſanctorum reliquias in proceſſionem ferentes, occurrerunt: Cæſaremque ſub aureo panno, quem ſive umbraculum vocitant ſive Baldachinum, introduxere uſque ad gradus Baſilicæ Sancti Petri præcedentes. Ibi Nicolaus Pontifex ſede ſedens eburnea, Pontificalibus ornamentis indutus, Senatu Cardinalium circumſtante, multiſque aliis Prælatis ac Magnatibus Italiæ coronam facientibus, gratiſſimo vultu, verbiſque Paternis, & ſupra modum benignis, Fridericum ſuſcepit. Qui pedibus ejus,

ejus, ob reverentiam Salvatoris Chri-
ſti beatique Petri memoriam, exo-
ſculatis, auri maſſam obtulit. Deinde
pauca verba ſuo nomine Æneam Epi-
ſcopum dicere juſſit, ut in congreſſu
duorum orbis Capitum convenire vi-
debantur. Tum quoque & Rex La-
dislaus, & Albertus Auſtriæ Dux,
atque ipſa demum Imperatrix, ſacros
Pontificis pedes, & alii quamplures
tum viri tum mulieres nobiles ſunt
oſculati. Quibus peractis Imperatrix
in domum ſibi præparatam ſe recepit.
Papa & Imperator invicem colloquen-
tes, omni turba ſequente, uſque ad
fores Eccleſiæ ſimul proceſſerunt.
Papa deinde cum Cardinalibus pal-
latium aſcendit. Imperator cum ſuis
Comitibus ad aram beati Petri pro-
fectus, poſtquam parumper oravit,
templique magnitudinem & ingentium
columnarum molem demiratus eſt, in
habitationem, quam ſibi Pontifex in
Palatio ſuo magnificentiſſime præpa-
raverat, per noctem, quæ prope
aderat, quieturus abiit. Pontifex,
qui ſe quingentis equitibus ex comita-
tu Cæſaris ſumptus præſtare pollici-
tus fuerat, mille & amplius pavit,
ubertim ſingula miniſtravit: pluribus,
quos vel amore ſingulari coluit, vel
Cæſari cariores putavit, ſeorſum pro-
vidit. Poſtera die, cum de Coro-
na ſuſcipienda ſermo fieret, ut ſolem-
nitati dies diceretur, placuit Nico-
lao Pontifici, quoniam proximus in-
ſtabat anniverſarius ſuæ coronationis
dies, ut qui dies, Pontifici Sacer,
idem quoque Cæſari ſolemnis in æ-
vum eſſet, unaque poſthac comme-
moratio geminam referret lætitiam.
Neque id Fridericus recuſavit: gra-
ve tamen ei videbatur, quoniam X. dies
ad Coronationem ſuperabant, domi
A ſe continere. Ajebant autem vulgo
fere omnes: Cæſarem, niſi corona-
tus eſſet, in eam urbis partem, quæ
major eſt & ubi ædificia veterum no-
biliora viſuntur, ingredi, piaculum
eſſe. Quæ res nobis ſtultiſſima viſa
eſt, qui nonnullos Cæſares ad Late-
ranum primum veniſſe, deinde coro-
natos fuiſſe legimus. Nam Proavus
Sigiſmundi Henricus ſeptimus, in Ec-
cleſia, quæ Sancti Petri ad vincula di-
citur, coronam accepit, deinde in Ci-
vitatem Leoninam, & in Vaticanum,
armatus venit: prælia cum his ge-
rens, quos Robertus Rex Siciliæ con-
B tra ſe miſerat. Contempſit quoque
Cæſar rumorem populi, profectuſque
cum paucis, vetuſta urbis palatia
reſque notatu dignas inſpexit. In
eo tamen conſuetudini detulit, quia
pontem Sancti Angeli, quem potiſſi-
me vetitum putant, declinavit. At
dum cuncta rimatur urbis miracula,
non ſolum vetera, quæ laudaret, ſed
nova quoque, quæ ſtupenda diceret,
Romani Pontificis opera reperit.
Namque ut priſcorum Cæſarum mo-
les totius urbis ſtructuras ſuperat, ſic
ædificia Nicolai Papæ, quicquid ubi-
C que eſſet moderni laboris, excellunt,
& quamvis Cæſar ipſe optimus Ar-
chitectus, a Nicolao tamen ſe ſupe-
ratum invenit, in cujus operibus ne-
que artis aut pretii quicquam deſide-
res. Quibus viſis, accedens Ponti-
ficem Cæſar, poſtquam de miraculis
urbis ſatis locutus fuit, in hunc mo-
dum de rebus Auſtralibus verba fe-
cit: *Non eſt mihi dubium, Maxime
Pontifex, quin hoſtes mei ex Auſtria,
quamplurima de me tibi tam falſa
quam turpia ſignificaverint. Nam
etſi nonnulli eorum nuntii ad te ve-
nientes per noſtros in via detenti ſunt,*

*ex multis tamen aliquibus iter patuiſſe, non ambigo. Ob quam rem neceſſarium arbitror, ut ſe res meæ cum Auſtralibus habeant, tuæ Sanctitati quam veriſſime patefacere, ne falſa pro veris habeas. Accipe igitur breviter a me rerum ſeriem, &, an illi vera præfati ſint, agnoſcito. In Auſtriæ domo, de qua mihi & Ladislao Regi origo eſt, vetus conſuetudo inolevit, pupillos illuſtres eorumque theſauros, dominatus, & quæ prima mortales habent, in poteſtate ſenioris Principis ejuſdem Domus, uſque in annos plenæ pubertatis eſſe. Obiit, anni ſunt duodecim, Albertus patruus meus Auſtriæ Dux, & in Imperio prædeceſſor; relicta uxore prægnante, de qua natus eſt poſthumus Ladislaus. Auſtrales ut acceperunt, Albertum in Hungaria diem clauſiſſe (nam & illi etiam regno imperitabat) Gubernationem Auſtriæ ad me, tanquam Seniorem Domus Principem, remiſerunt: animadvertentes, quia ſi maſculus ex Alberto naſceretur, tutela mihi ſoli; ſin fœmina, dominium & mihi & fratri meo Alberto pleno jure deberetur. Et quamvis ſcirent eo tempore, teſtamentum quoddam Alberti præ manibus eſſe; tamen illud velut caſſum habuere. Regina vero cum Ladislaum peperiſſet, eumque in Regem Hungariæ coronaſſet, neque rebellantibus Hungaris & alium Principem ex Polonia vocantibus reſiſtere poſſet, timens pupillo, cujus vitæ maxima pars Hungarorum inſidiabatur, in manus meas eum tradidit: quem uſque in hanc diem veluti filium enutrio. Auſtriam vero ſumma fide gubernavi, feuda conceſſi, magiſtratus ordinavi, munivi arces, boſtes repuli, otium ingratis civibus peperi: militibus, qui ſub Alberto meruerant, auri ſeptuaginta millia in ipſo adminiſtrationis meæ principio, ne Regionem populārentur, ex meo ærario tradidi: tantum enim ſibi Albertum debuiſſe docebant. Quicquid ex me Auſtrales voluerunt, nuſquam negatum eſt: aut filiorum aut fratrum loco mihi fuere: ſub me ditati & aucti ſunt. At ingrati homines, mala natura, ingenio peſſimo, perniciosis moribus, ab ipſis progenitoribus inſtituti, quamvis fidelitatem mihi tanquam tutori uſque in annos plenæ pubertatis jurejurando promiſiſſent, tamen poſtquam me Romam petiturum iter accepiſſe cognoverunt, ſive immemores juramenti ſive religionis contemptores, apud quos boni & æqui nulla reverentia eſt, arma ſumentes, quos ego inſtitueram in abſentia mea Rectores, vi repulſis, adminiſtrationem Auſtriæ ſibi vendicaverunt, vectigalia exegerunt, jus dixerunt, &, quod ante hac inauditum eſt, ſententiam ſanguinis abſque imperio protulerunt, neque juri neque honeſtati locum reliquerunt, perfidi homines, ſcelerati, & perjuri, qui dum Deum eſſe nullum credunt, nil mirum, ſi dominorum non verentur fallere dextras. Sed ajunt, me, cum accepi gubernationem Auſtriæ, promiſiſſe, juxta conſilium aliquorum, qui tum delecti fuere, patriam regere. Non inficior: feci, quod promiſi, dum illi magiſtratum tenuere. At cum ſuopte ingenio poteſtatem ſibi traditam abnuiſſent, quod erat conſequens, ſolus adminiſtravi. Nihil tamen egi, quod difficile videretur popularibus, ſine conſilio Terrigenarum. Reprehendunt obpignorationes a me factas. At illas patriæ neceſſitas fieri compulit: & qui nunc potiſſi-*

*tissimum murmurant, his plurima inscripsimus pignora. Credo molestè ferunt, quia non totum Ducatum eis dedimus diripiendum. Sed usurparunt sibi dolo & fraudibus, quod more honesto consequi nequibant. Nunc rapiunt, nunc spoliant, biantique suæ libidini morem gerunt: qui cum sint ipsi fures ac prædones, tamen dicere audent, me pupilli thesauros asportasse. Verum, cum nuper Viennæ in præsentia Legatorum Hungariæ locum aperuissent, ubi Thesauri Alberti reconditi habebantur, cuncta, ut recluſa fuerant, salva & integra compererunt, mendacesque seipsos & gratis maledicos ostenderunt. Quod autem Ladislaum Regem in Italiam occidendum adduxerim, non est quod expurgem. Intravi enim Italiam hiemis tempore, quando multo salubrior hic est aer, quam in Germania. Quod si perimere innocentem puerum voluissem, non defuit annis jam undecim facultas. Pronum erat Hungaris eum dimittere: apud quos usurpatum est, non pueros tantum, sed viros quoque Reges occidi. Sed optavi ego huic puero semper vitam longiorem. Quatuor tantum animæ ex Domo Austriæ sumus, latissimam terram possidemus, non est cur invicem simus invidiosi. Futurum est, ut nos Principatibus antea desimus, quam nobis dominia regnaque desint. Putavi autem ego, ex usu esse puero Romam invisere, mores Italiæ noscere, audire magnos viros, tuam sanctitatem, Sacrumque Senatum tuum considerare, ut vir aliquando factus horum meminerit. Quod si vera omnia essent, quæ de me dicunt Australes, non tamen auctoritate propria eis insurgere licuit, meque sine causæ cognitione spoliare tutela, dum ad te venio coronam imperialem susceپturus, & alia negotia Christianæ Reipublicæ cum tua pietate plurima tractaturus. Ladislaus adhuc, sicuti vides, impubes est. Quis eos jurejurando solvit? Quis eis hanc facultatem contra Dominum audendi concessit, nisi propria temeritas? Verum cum tua sanctitas, beatissime Pater, una mecum spreta sit (nam dum te tuamque sedem sanctam vocatus peto, ista contingunt) æquum arbitror, auctoritatem tuam adversus contemptores mecum assurgere, ut tu illos spirituali mucrone atteras, ego materiali gladio feriam.* Ad hæc Romanus Pontifex: *plurima*, inquit, *fili carissime, de te nobis dicta sunt, tuis adversa moribus: quæ fidem apud nos nullam habuere. Novimus enim animum tuum virtutis amantem, omne scelus horrere, studereque maxime probitati. Scimus insuper Australes illos seditiosos, novarum rerum cupidos, maligno animo, rapinis assuetos, non pupilli causa sed avaritia motos, ut quam licenter rapere possent, tuum jugum excussisse. Neque nos fugit, offensionem tuam esse nostram. Quis enim Imperio est injurius, & Ecclesiam non offendit? Digna petis, dum censuras nostras comitari tuos enses cupis. Geremus tuæ voluntati morem, monebimus Australes, intra dies quadraginta Ducatus administrationem ut tibi restituant, in statumque pristinum te reponant: nisi fecerint, excommunicationis eos gladio feriemus. Sed quid hæc, si tu silueris, neque ferro perfidam gentem compescueris? Nescis tuæ gentis perfidiam. Quo pacto nostras jussiones timebunt, qui fidem juratam fallunt? Nil timet cælum perdere, qui cælum esse non credit. Bapti-*

*ptiſati Auſtrales, dum fuerunt infantes: viri facti, & Chriſtum negant, & aquam ſeſe dolent amiſiſſe. Nos tamen utemur officio noſtro. Tu cave, ne, dum ſpiritualia quæris arma, materialia negligas, & Auſtrales videas in alio magis velle, quam in hoc ſeculo ſui ſceleris pœnas dare.*

Dum hæc inter Cæſarem & Papam conveniſſent, iterum Fridericus aliud non parvi ponderis expetivit. Dicens enim, terram Mediolanenſem, ubi Coronam Longobardici Regni ſuſcipi conſuetum eſt, peſtifera lue infectam, nulloſque mortales ſine periculo illuc proficiſci poſſe: Nicolaum rogavit, ex plenitudine poteſtatis, ut ſe Romæ Longobardorum Regem coronaret: idque merito fieri, adverſus Mediolanenſes, qui rebellantes Imperio tyrannum ſibi præfeciſſent, cui non fuiſſent veriti Ducatus inſignia concedere. Viſa gravis res eſt Pontifici: ſed cum Conſulti Cardinales, nihil Cæſari negandum, dicerent; invitis ac multum reclamantibus Mediolanenſium Legatis, Idibus Martii apud Sancti Petri ſummum altare Fridericum in Regem Longobardiæ coronavit (1) & quanquam Leonora per Oratores antea deſponſata ſibi fuiſſet, tamen & tunc denuo per manus ſummi Pontificis, intra miſſarum ſolemnia, ei rejuncta fuit: matrimonium benedictum: utrique præceptum, ob reverentiam Sacramenti carnalem copulam intra triduum ne jungerent.

Libet hic pauca de Coronis dicere, ne ſtulte videamur eorum opinioni conſentire, qui tres Coronas Imperatori neceſſarias ajunt, Theutonicam, Mediolanenſem, Romanam, & unam argenteam, alteram ferream, tertiam auream eſſe contendunt: multaque de metallis ſermocinantur. Inter quos etiam legum interpretes delirant, quid ferrum, quid argentum, quid ſignificet aurum, plurimis verbis explicare laborantes. Atque ut aurum cœteris metallis, ſic Romanum Imperium cæteris Regnis præſtabilius eſſe confirmant. Verum cujuſcunque materiæ corona fuerit, ad paraboliſandum idonea videri poterit. Nos autem coronarum numerum nullum eſſe certum novimus, priſcoſque Cæſares ab Auguſto uſque ad Aurelianum nulla uſos corona dicimus. Siquidem hic primus fuit, ut *Eutropio* placet, qui apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmiſque & aurata omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, uſus eſt. Scimus quoque, diadematis conſuetudinem priorem eſſe corona, & aliquid alterum ab altero differre. Verum poſteaquam Romani Pontifices Imperium de Græcis in Germanos tranſtulerunt, uſurpatum eſt manu Pontificis Romæ Cæſares coronari: (2) neque ad Imperium alia corona quam Romana eſt opus. At cum Regnum Alemaniæ ad Imperium pleno jure pertineat, placuit in Aquiſgrani, ubi ejus regni ſedes eſt, Imperatorem veluti Regem Alemanorum coronam ſuſcipere, ne ſuum genti decus ablatum videretur. Idem quoque de Regno Longobardorum obſervatum eſt, quod ſubactis Lon-

(1) *Ex Cod. II. fol. 53. p. 1. hoc verbum repoſitum, &, ſublatis* punctis, *lacuna, quæ non major erat, expleta.*

(2) *Mancam in editis, luxatamque ſententiam ſervavit hoc modo integram idem Codex II. fol. 53. p. 2.*

Longobardis non in formam Provinciæ redactum, ſed ad imperium ſub honore regni receptum eſt. Similem modum de regno Burgundorum obſervavit antiquitas, quod Boſonem Romanis Imperatoribus legimus tradidiſſe, cujus corona in Arelato ſuſcipitur. Idem futurum putarem, ſi quod ulterius Regni dominium ad Imperatorem devolveretur. Has autem coronas omnes aureas eſſe, compertum habeo. Quamvis per medium circulum Coronæ Mediolanenſis lamina quædam parvula ex ferro ducatur, quæ ſtultæ interpretationi efficit locum. Quippe Daniel Propheta quatuor orbis Regna majora deſcribens, ultimum, quod noſtri Romanum eſſe volunt, ferro comparavit, quoniam ſicut ferrum omnia metalla comminuit, ſic omnia regna Romanum Imperium detrivit. Sed hodie proh dolor parva quævis ei potentia gravis eſt, ut jam luteo pedi ſeu teſteo locus eſſe videatur. Atque tantum de coronis hoc loco ſit dictum. In hac autem coronatione Mediolanenſi, collocatus eſt Rex Ladislaus inter Cardinales longe ab apoſtolico throno: neque enim poſt eum niſi duo Cardinales ſederunt. Quæ res multis indigna viſa eſt, in rege uncto & coronato, Regni ampliſſimi Hungarorum. Sed neque Imperator ipſe ante romanam coronam cunctis Cardinalibus prælatus eſt. Sedit enim ſupra Imperatorem primus Cardinalis, qui tum fuit Vice Cancellarius, Franciſcus Condulmarco Venetus, Eugenii quarti nepos. Nam Friderico is locus, non ut Imperatori, ſed ut Regi Theutonicorum in Imperatorem electo datus eſt. Hic autem illud in mentem non ab re venit, quod plerique imperite putant, Romanorum Regem aliquem dici; quamvis id uſu receptum ſit. Non enim Rex Romanorum eſt Aquis coronatus, ſed Alemanorum, ſive Theutonicorum. Romani enim, poſt exactum urbe Tarquinium, regium nomen adeo deteſtati ſunt, ut nullus Cæſarum, quamvis ſæva tyrannide populum oppreſſiſſent, ſe Regem appellare fuerit auſus. Nec Carolus magnus, qui primus Germanorum ſuſcepit Imperium Romanorum, Rex, ſed Imperator Auguſtus vocatus eſt. Romana igitur ſedes minime in hoc errat, quod ante coronationem neque Imperatorem appellat, neque locum ei velut Imperatori tribuit. In eo autem conſuetudini lapſa deſervit, quod Romanorum Regem Aquis coronatum appellat, quem Theutonicorum melius nominaret, in Imperatorem electum: ſicut ex præceſſoribus feciſſe nonnullos invenimus. Sed nulla de his rebus poteſt tradi certa regula. Nulla in rebus humanis ſoliditas eſt. Conſuetudini omnia ſerviunt, quæ ſæpe ex malis initiis ortum habet.

Abſoluta Mediolanenſi coronatione, poſtridie ſolennitas Auguſtalis cœpta eſt. Cujus hic ordo fuit. Rebus omnibus apparatis, Romanus Pontifex ante ſummam beati Petri aram in ſublimi throno conſedit, Cardinalibus dextram ejus, Epiſcopis cæteriſque Prælatis ſiniſtram tenentibus. Extra Cancellum duo pulpita fuere, Friderico alterum, Leonoræ alterum deputatum. Servatis oſtiis, unde introitus ad aram pateret. Et Leonora quidem, cum Dominabus, maturo tempore ſuum

pulpitum ingreſſa, omnium oculos in ſe convertit. Virgo non minus naturæ bonis venuſta quam arte. Fridericus per aliquos Cardinales ad Capellam ductus, quæ intra turres dicitur, ibi jusjurandum beato Petro & Nicolao Pontifici ſuiſque Succeſſoribus in ea forma præſtitit, qua Ludovicum, Magni Caroli filium, juraſſe, Pontificum decreta confirmant. Ibi quoque & alba indutus, in Canonicum Sancti Petri receptus, confratribus, qui aderant, Canonicis oſculum dedit. Nec mora inter Cardinales medius incedens ad præcipuam Eccleſiæ portam cum veniſſet, ibi per Petrum Sancti Marci Cardinalem, Eugenii quarti nepotem, ſolenni benedictione coopertus eſt. Deinde Capellam Sancti Gregorii ingreſſus, Sandalia tulit, tunicellam induit, & Auguſtale paludamentum accepit. Mox ei in medium Baſilicæ profecto per alium Cardinalem benedictio ſuperfuſa eſt. Tertiam quoque benedictionem apud Cancellum Sancti Petri ſuſcepit. Exinde ductus ad altare Sancti Mauricii, per Cardinalem Portuenſem tunc Vicecancellarium, de quo ſupra meminimus, in ſcapulis atque in dextro brachio pro veteri more oleo ſacro linitus eſt. Iiſdemque locis inuncta eſt Conjux ejus Leonora. Quibus peractis, ambo in ſua pulpita tranſierunt. Pontifex autem rem divinam inchoavit, interque celebrandum diverſæ ſolemnitates a priſcis inventæ patribus ſervatæ ſunt. Sceptrum, quo Regia poteſtas indicatur: pomum, quod mundi dominium oſtendit: enſis, qui belli jura demonſtrat, per varias vices data. Poſtremo corona aurea infulata, pretioſiſque cooperta gemmis Cæſareo capiti impoſita. Imperatrix quoque poſt Cæſarem coronam ex manibus Pontificis accepit, quam conjugis Sigiſmundi fuiſſe conſtabat. Cæſar autem, quamvis ornamenta ſibi pretio incredibili comparaſſet, in hanc tamen ſolemnitatem, pallium, enſem, ſceptrum, pomum, coronamque Caroli Magni, ut fama fuit, ex archivis Norimbergenſibus ad ſe deferri curaverat, hiſque uſus eſt. Datur enim hoc vetuſtati, ut plus Majeſtatis habere videantur antiqua, & pondere nova careant. Quod, ſi tales Caroli Magni ornatus fuere, conſtat Principes Regeſque vetuſtiores non tam veſtis ornatum quam nominis gloriam quæſiviſſe, ac facere magis, quam veſtiri ſplendide voluiſſe. Verum mihi ſingula exactius contemplanti, cum enſem inſpexi, non magni illius primique Caroli, ſed quarti viſus eſt, qui Sigiſmundi Genitor fuit. Nam Leo Bohemicus ſculptus in eo viſebatur: quo ille tanquam Rex Bohemiæ utebatur. In plebe tamen rumor manſit, Magni Caroli ornamenta fuiſſe. Ingens enim tanti viri fortuna, etiam ſua vult eſſe, quæ ſunt aliorum Carolorum. Quemadmodum Thebanus Hercules aliorum ſui nominis virorum illuſtria facta ad ſeſe trahit. Et Julii Cæſaris multa dicuntur, quæ poſt eum alii Cæſares patravere. Adeo multum eſt locum occupaſſe priorem. Quod ſi Caroli quarti, ut mihi perſuadeo, illa fuere; eſt quod amplius admiremur, tam brevi tempore in tantum creviſſe ornatum, ut veſtimenta Caroli ruſticana putes, ſi ad Friderici noſtri ditiſſima & ornatiſſima compararis. Vtinam veteres tam virtute ſuperaremus, quam illis vanitate præſtamus.

ſtamus. Dum autem Cæſareo capiti Nicolaus coronam adjicit, mitra Pontificalis ex ejus vertice pene collapſa eſt. Quod ſiniſtrum omen Pontifici nonnulli ſuſpicati ſunt, atque illud inde portendi, quod poſtea ſub eodem anno Stephanus Porcarius moliri aggreſſus eſt, qui necem pene Pontifici ſtruxit. Sed divina pietate ſervatus Nicolaus in nonnullos poſt annos feliciter ſedit. Ille comprehenſus cogitati facinoris pœnas dedit, in arce Creſcentii ſuſpendio vitam finiens. Vt autem coronationi diviniſque rebus impoſitus modus eſt, Leonora in ſuas ædes ſeceſſit: Papa & Imperator ad gradus Baſilicæ ſimul venerunt. Ibi Pontifex equum aſcendit, eique Cæſar miniſtri ad fræna officium per aliquot paſſus pedes exhibuit, equoque deinde conſcenſo uſque ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Coſmedia una profecti ſunt. Cum ea die aurea roſa de more benedicta eſſet, eamque manu Pontifex geſtaret, illic Imperatori ipſam tradidit. Papa quidem in Palatium rediit: Cæſar in pontem Adriani profectus eſt, ubi Albertum fratrem pluresque Duces & Comites ad militiæ provexit honorem, ter quemque plano gladio verberans. Trecenti eo die facti milites referuntur. Alemani exiſtimant, in eo ponte, qui manu Cæſaris fiunt, cæteros milites antecedere. Ajunt enim hos primos; ſecundos, qui apud Aquiſgrani creantur; tertio loco Hieroſolymitanos ponunt: reliquos milites minores habent. Verum id hodie ab uſu remotum eſt. Vt quiſque natu melior, aut opibus ditior eſt, eo dignior habetur. Virtutis præmia pecuniæ recipiunt. Apud omnes peræque gentes primus honor divitiis datur, pauper ubique jacet. Quod

A ſi recta ratio nos duceret, nemo militiæ cingulum ferret, qui præclarum aliquod in armis facinus non egiſſet, aut ſtraviſſet provocantem hoſtem, aut murum aſcendiſſet, aut vallum tranſiluiſſet, aut civem ſervaſſet. Qui ſcirent ordinem in bello tenere, ſigna ſequi, Imperium obſervare, hoſtem ferire, præſidia agitare, humi dormire, eodem tempore inopiam & laborem tolerare, æſtatem & hyemem juxta pati, nihil metuere niſi famam turpem: hos milites aſſumere deceret. Sed nos hodie delicatos & in plumis nutritos, qui nudatum enſem B nunquam vident, quin & infantes in cunis jacentes, militaribus decoramus honoribus. Quid? quod homines docti atque inter litteras educati, qui ſe debili corpore & animo pavido ſciunt, ſumere inſignia militiæ non verentur. Quod ſi milites exercitati bellis mei animi eſſent, peterent & ipſi Doctoratus honorem. Quippe non minus iſti leges, quam illi arma noverunt. Sed neque Doctoratus ipſe ſincerus eſt. Indoctos quamplures Doctores novimus, multoſque Cæſar in Italia promovit, quibus aurum pro ſcientia fuit. Non C tamen inficior, aliquos eſſe, qui & litteris & armis apti ſunt, quales olim fuiſſe Romanorum Græcorumque plurimos tradunt. Cæſar igitur ſui temporis errorem ſecutus, quamvis nonnullos viros fortes ac bello exercitatos, plurimos tamen ineptos armis, milites fecit. Deinde cum jam ſol occideret, ad noctem enim protracta ſolennitas eſt, ad Lateranum ſe contulit. Vbi in Canonicum Baſilicæ Sancti Johannis receptus, quæ prima orbis Eccleſia dicitur, ſplendidum ibi convivium habuit, in quo

& nos ad menſam Cæſaris ſedimus, cum Nicolao Placentino Epiſcopo, cujus ſupra meminimus: cœna in medium noctis tracta eſt. Demum ad Palatium Apoſtolicum multa nocte reditum, in quo fuiſſe hoſpitium Cæſaris antea demonſtravimus. Cæſar, qui jejunus totam diem, graviſſimam gemmis & auro coronam geſtaverat, indutuſque trabea, trecentos milites gladio percuſſerat, percupide quieti ſe dedit. Ideo vero Romanus Pontifex in Palatio ſuo Cæſarem eſſe voluerat, ut eum ſæpius alloqui poſſet. Nonnulli, quorum animus ſemper in pejora deflectitur, id factum ajebant, ne facultas Romanis eſſet, intempeſta nocte Cæſarem accedere, atque eum in vendicationem urbis incendere. Nobis id minime exploratum eſt: quamvis Pontificem non caruiſſe timore, certum habeamus. Illud autem ſcimus, ſæpe Nicolaum ad Cæſarem in cubiculum veniſſe, cum jam plurimum noctis præteriiſſet: ſæpe quoque Cæſarem ad eum iviſſe, atque remotis arbitris eos inter ſeſe plurima locutos fuiſſe: ſæpe cum paucis remanſiſſe, quotiens de rebus graviori-C bus fuit agendum. Cæſar apud ſe Æneam Epiſcopum Senenſem, Johannem Vngenadium, duos Vlricos Sunnenberger & Ridrer, ex omnibus electos habuit. Papa vel ſolus manſit, vel Petrum de Noxeto ſecretarium ad ſe accerſivit.

Nequeo hic præterire, quæ ſemel de ſomniis inter illa duo luminaria maxima dicta ſunt. Namque, licet ſomnia plerique ſpernenda judicent, inaneſque Danielis interpretationes ac Macrobii regulas dictitent, nonnunquam tamen ad verum per A ſomnia pervenimus. Ideo non ſine cauſa duas ſomnii portas veteres confinxerunt, alteram eburneam, alteram corneam, quia trans cornu poſſumus, trans ebur emittere intuitum non poſſumus. Quippe Cæſar in hunc modum de ſomnio ſuo locutus eſt: Dixi tibi, Sanctiſſime Pater, cum primum ad te veni, velle me, poſtquam coronatus eſſem, ſomnium quoddam meum tuæ pietati referre: Id hujuſmodi eſt. Cum ex Vienna a me ultimo receſſiſti, vidi per quietem ſequenti nocte me Romam veniſſe, tuiſque manibus meo capiti coro-B nam imponi. Mirabar, neque ſine moleſtia eram, qui non Romani Pontificis ſed Epiſcopi Bononienſis miniſterio coronarer. Experrectus quoque nonnihil timebam, ne mea coronatio ridiculi aliquid præ ſe ferret; At cum poſtea Te Petri Cathedram ſortitum accepi, coronationem meam tuis manibus faciendam minime dubitavi. Diſcrimina, quæ referebantur vel belli vel peſtilentiæ, pro nihilo duxi, neque jam ſomnium, ſed certam viſionem vidiſſe me, credidi. Id nunc re comprobatum eſt. Ad quem Pontifex, ſæpe, inquit monſtrari futura ſomnio, non eſt obſcurum. Herculem multa per quietem vidiſſe, tradunt veteres. Agamemnon, dum obſidet Ilium, ſæpe inter ſomniandum commonitus eſt, acies quo pacto victurus inſtrueret. Octavius Bello Farſalico non evaſiſſet, niſi Pædagogi ſomnio fidem habuiſſet. Superfluo tamen aliena cemmemoramus, quibus propria ſuppetunt. Mihi quidem nocte, quæ mortem Eugenii anteceſſit, in hunc locum veniſſe videbar, cujus anguſtior, quam modo eſt, forma fuit: quod tibi Ænea pro-

be

be conſtat, qui ad Eugenium hoc loco frequenter veniſti. Hic poſtquam me Pontifex vidit, exuens ſubito pallium & veſtem, his me induit. Tum mitram longam, ut eſt noſtris militibus ferendi modus, ſuo capiti demens, meo impoſuit, acceptaque dextra manu mea in hac me ſella locavit, dicens: ſede hic, ego ad Sanctum Petrum migrabo. Sequenti die Pontifex ipſe diem obiit, atque in Eccleſiam Sancti Petri delatus, poſt exequias ſolemnes apud Eugenium tertium ſepultus eſt. Quæ res mihi ſpem certiſſimam præbuit, quod poſtea ſecutum eſt, Romana me Cathedra potiturum. Hæc nos, qui affuimus, audientes, plurimum demirati, diu de ſomniorum natura diſputavimus.

Poſthæc Cæſar Alfonſi Regis Aragonum multis precibus oneratus, ut Neapolim ſeſe cum Imperatrice conferret, ſtatuit tanto Regi morem gerere. Quamvis id plurimi reprehenderint, qui Regem ad Imperatorem venire, ſi quid vellet, decentius exiſtimabant. At Cæſar irritas has voces habens, Avunculum ſuæ Conjugis contriſtari noluit, maximum & clariſſimum Regem, noſtri ſeculi decus, cujus egregia facinora totus orbis decantat, quem victum fortuna vincere non potuit, ſed contra ipſa victa eſt, coactaque Regi bene merenti, cui ſæpe nocuerat, demum famulari & benefacere. Neque latebat Cæſarem, ſæpe Sigiſmundum Anteceſſorem ſuum, aliorum Regum hoſpitia viſitaſſe, qui nunc Gallorum, nunc Hiſpanorum Reges adivit. In Angliam quoque & in Poloniam minores Reges acceſſerat, neque propterea ſua dignitas minuta videbatur. Neque ambiguum eſt, priſcos Cæſares ſæpe minorum Principum lares ingreſſos. Apud Evandrum requievit Hercules. Pompejus Conſul non dubitavit Poſſidonium Philoſophum Rhodi Febricitantem adire & conſolari ægrotum. Quibus exemplis inſtructus Fridericus ad Regem amicum profectus eſt, & paulo poſt eum Leonora. Fernandus Regis filius plurimique cum eo Proceres apud Terracinam Cæſari occurrerunt: apud Sueſſam multi Nobiles, apud Capuam Rex ipſe Alfonſus ſplendida Prælatorum, Ducum & Procerum comitante caterva, Imperatorem excepit. Datis dextris amplexibuſque pro more celebratis, alter alterum mirabatur. Alfonſus Cæſarem alto ſanguine natum, florida juventa, egregia forma, prolixa coma, erecta cervice, gravi facie, robuſto corpore, primum orbis Dominum, lætus intuebatur. Alfonſum ipſum, quamvis ætate provectiori, bona tamen valetudine, fortem & jucundum, qui Januenſes, a quibus olim captus fuerat, ſibi tributarios feciſſet, qui Venetos primum hoſtes, deinde, amicos habuiſſet, qui Florentinis ingentes intuliſſet clades, qui Barbaros ex Africa Reges ſibi vectigal pendere coegiſſet, qui Regem Renatum regno Neapolitano depuliſſet, qui Franciſcum Sfortiam, Jacobum Caldoriam cunctoſque ſibi infeſtos ex Apulia propulſaſſet, Friderico neque laudare, neque conſiderare ſatis erat. Circumſtantes & admiratio ſimul, & gaudium ingens opplevit, ex voluptate Regum, ex ſolemnibus, quæ fiebant, ex verbis, quæ dicebantur, benevolentia plenis & ſale. Nam qua magnificentia qui-

busque festivitatibus & ludis Imperator Neapolim introierit, consultius arbitror reticere, quam pro magnitudine parum dicere. Imperatrix eo, quo Cæsar honore susceptа est. Alfonsus, qui antea neptim suam nunquam vidisset, tunc eam miro desiderio nuptam, & in alto locatam, complexus est, neque præ gaudio tenere lacrimas potuit. Apud Neapolim, quocunque vel Cæsar transitum vel conjux ejus habuit, strata omnia floribus & odoriferis herbis fuere: publicæ domus ac privatæ, & foris & intus, ornatæ pannis, instructæ thoris, pretiosa suppellectili præparatæ, pueri saltantes innuptæque puellæ, cantus ubique audiri virorum, clangorque tubarum: invitari nunc isti, nunc illi, epulæ cibique optimi in communi parari: omnifariam vini fontes derivari: omnium delectarum rerum tantam vim esse, ut nihil non prorsus ubique affluеret. Jussi ministri Regis omnia dare, quæ peterentur, non petiti ultro ferre. Mansit illic Cæsar & sanctam hebdomadam & octavam Paschæ, ut mœsti temporis & læti mores inspicere posset. In passione Salvatoris Christi, quæ recitari quotannis solet, mirabiles personatus acti, adeoque pulchre & ingeniose sunt expressi, ut res fieri vere putarentur. Quicquid ad passionem Dominicam resurrectionemque potest æmulari, per idem tempus repræsentatum est. Ostendit quoque Alfonsus Thesaurum suum, quicquid pretiosum habuit, in aperto fuit, omnemque Regni & potentiæ suæ gloriam manifestavit. Nunc Cæsarem, nunc Imperatricem accedere, rectene se cuncta haberent, inspicere, corrigere negligentiam, hilari vultu adesse, nunc seria nunc jocos agere, ludos militares indicere, venationes instruere, voluptatis omne genus præbere. Ad hæc solemnia flos nobilitatis ex Sicilia, Apulia, Calabria, Aragonia, Catalonia, cunctisque regnis Alfonsi, partim vocata, partim ipsi sponte venerant, tantorum Regum inspecturi conventum, sumptuque regio omnes advenæ pascebantur, neque rerum copia minui poterat.

Post sacros dies, & Dominorum concilia facta & salutationes habitæ inter Dominas. Prima fuit Imperatrix, secunda filia Principis Tarenti, conjux Fernandi Ducis Calabriæ, filii Regis. Et quamvis aliæ quamplures adessent illustrissimæ tum Virgines, tum Matronæ, tertius tamen locus Lucretiæ datus. Ea seu virgo seu mulier (nam de hoc varius in populo rumor fuit) forma decenti, facundia præstabili, mundissimis moribus, neque regio, neque obscuro loco, sed inter Neapolitanos honestis nata parentibus, Regem, ut se amaret, miro modo pellexerat, atque ab eo in Palatium recepta, multis donata bonis, & se & suos adeo ditaverat, ut pares Principibus viderentur: fratrem ad metropoliticam & suæ Civitatis dignitatem & denique ad Cardinalatum evexerat: Patri & reliquis fratribus latissimas possessiones acquisierat: Sorores cum magna dote inter primos curiæ Proceres, nuptui dederat. Fuerunt, qui Regi cum ea consuetudinem stupri esse dicerent. Nonnulli adhuc eam Virginem intactam asseveraverunt, Regemque tantum verbis secum agere, oblectarique visu, eamque

que aliquando dixiſſe, non ſe ſui nominis oblitam, nihil turpitudinis habere cum rege, neque regem id petere: quod ſi peteret, non ut altera Lucretia Collatini conjux admiſſo ſcelere, ſed caſtam ſe potius occideret. Sed de his ſatis. Illud certum eſt, ſæpe Regem eſſe cum ea ſolum: illam, quæcunque petit, obtinere: Regi dilectiſſimam eſſe: familiam, curiamque propemodum reginalem tenere: gratiam Regis, quibus velit impetrare. Id multi non probant in Rege, maxime conjugato, ætate gravi, cui de morte, quam de voluptate cogitandum inſtat. Tamen quidam mitiori mente magno Regi ignoſcendum ajunt, ſi poſt duros ſuperioris ætatis labores ſenectutem mollius agit, ſi ſibi conſulit, ſi feſſam animam ac pene fugientem dulci ſermone leniendam tenendamque voluptate aliqua nititur. Nam ſenes homines, ut cibi leviores, ſic mores manſuetiores in vita conſervant. Plerique autem arbitrantur, ſi conjux Alfonſi moreretur, hanc Reginam futuram, ac propterea ſervari intactam. Quod ſi ita eſt, laudari in eo Rex poteſt, qui Sacramenta Eccleſiæ ludibrio non habet, neque ab lege divina recedere præſumit, ut aliquos partim vidimus, partim legimus agitaſſe, qui ſe ſupra leges exiſtimantes, aut fortaſſe falſa putantes, quæ de pœnis ſceleratorum apud inferos referuntur, uxores vel accepere vel dimiſere, quas ſacri canones prohibebant. Ladislai Siciliæ Regis recens memoria eſt. Qui repudiata legitima conjuge, alteram ſuperduxit. Idem Lotharius Rex egit: Idem Rex Bohemiæ Ottocarus. Ludovici Bavari Cæſaris Filius Comitiſſam Tirolis, quæ a viro ſuo Johanne Regis Bohemiæ filio ſine lege diverterat, uxorem duxit. Quos pro ſuis iniquitatibus etiam in hoc ſeculo pœnas dediſſe, manifeſtum eſt. Nec plura de Lucretia. Cujus amores potenti Regi, quamvis ſeni, tolerandos an damnandos exiſtimare par ſit, aliorum judicio relinquamus.

Fridericus autem, licet undique voluptates affluerent, non tamen Reipublicæ negotia extra mentem habuit; ſed ubi tempus idoneum vidit, de Statu Italiæ verba fecit: nobilem provinciam, Imperii caput, ortum orbis terrarum, indignum eſſe vaſtari bello, dicere: Regi, qui Regnum in ea terra obtineret, pacem cariſſimam eſſe debere: contra Florentinos Franciſcumque Vicecomitem odia poneret pacis æquas conditiones accipere. Ejus rei curam vel Papæ vel ſibi credere, impium eſſe infinitas animas belli periculis objectare. Alfonſus ad ea: pacem ſe cupere, ait, ſed eam cum Florentinis habere difficillimum eſſe, qui verba non facta darent. Franciſcum ſine fide, levem hominem eſſe, Tyrannum volubilem; ſæpe deceptum ſe promiſſionibus fuiſſe. Nunc claſſem mari paratam eſſe, jam terreſtres exercitus inſtructos, ordinem rebus poſitum, ſtipendia data: experiundum jam fore, cui fortuna prælii faveat. At cum Cæſar iterum & iterum inſtaret, victus Alfonſus importunitate precum, miſſurum ſe Ferrariam Legatos, inquit, qui de pace ad imperium Cæſaris agerent.

Exinde feſtinabat Imperator abire. Leonoram autem ſponſam ſuam nondum cognoverat, quod id operis in

in Alemaniam referre volebat, ſive ne ſanguis Italicus ſibi naſceretur, ſive aliud religionis in mente gerens. Virgo mœſta videbatur, quæ ſe circumduci, velut parum placentem, exiſtimabat. Quod cum Alfonſus animadverſiſſet, adiens Cæſarem, in ea urbe atque in his ædibus, ubi tunc fuere, contractum fuiſſe matrimonium indicit, ibique merito conſummandum: a Deo datum eſſe, in eundem locum ut ambo veniſſent. Orat ergo, ut virgini miſceatur. Quod cum Fridericus negaret, Ergo, inquit Alfonſus, neptem meam in Alemaniam duces virginem, atque illinc cognitam, ſi minus placuerit, ad nos remittes, aut ea fortaſſe neglecta, cum alia contrahes? Quin potius eam hic cognoſces, ut, ſi placeat, adducas rem gratam tecum; ſi minus, apud nos onus dimittas. Quibus verbis, etſi erat Cæſar paulo debilior, commotus eſt, atque operam matrimonio dare ſtatuit. Juſſit igitur theutonico more ſtratum apparari, jacentique ſibi Leonoram in ulnas complexuſque dari, ac præſente Rege cunctiſque Proceribus aſtantibus ſuperduci Lodicem. Neque aliud actum eſt, niſi datum oſculum. Erant autem ambo veſtiti, moxque inde ſurrexerunt. Sicque conſuetudo theutonicorum ſe habet, cum Principes primo junguntur. Mulieres Hiſpanæ, quæ aderant, arbitratæ rem ſerio geri, cum ſuperduci Lodicem viderunt, exclamantes, indignum fieri facinus, Regem, qui talia permitteret, increpabant. Ille autem non ſine riſu & jucunditate peregrinos ſpectabat mores. Nocte, quæ inſtabat, futurus erat concubitus nudis. Dum ergo ſaltationibus univerſa curia intenta eſt, fœminæ Portugalenſes, quibus cubiculi ſecretioris commiſſa cura erat, fumigationes ſuper ſtratum faciunt, in quo jacendum eſt: carmina dicunt, & accerſito Sacerdote lectum benedicunt, irrorantque ſanctis aquis, ut eſt ſuperſtitio mulierum, quæ ſic fœlix connubium, & amorem utrinque perpetuum arbitrantur futurum. Quod, ubi Cæſar accepit, veritus, ne quid veneficii interveniret, alium ſibi ſubſterni lectum juſſit, vocarique ad ſe conjugem. Timebat enim nutricem Imperatricis, quam rerum hujuſmodi peritam ajunt, quibus faſcinari mentes hominum ſolent, ſimilemque illi putant, de qua nobis *Poeta* ſcribit, *hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes, quas velit, aſt aliis duras immittere curas, ſiſtere aquam fluviis & vertere ſidera retro, nocturnoſque ciet manes & mugire videbis ſub pedibus terram & deſcendere montibus ornos.* Quibus rebus etſi plerique fidem habendam negent, *Flaccus* tamen, cum diu putaſſet, magicis artibus nihil ineſſe ponderis, mutatus tandem, *jamjam*, inquit, *efficaci do manus ſcientiæ ſupplex.* Et ſunt qui Circem non fabuloſe vertiſſe in feras hominum vultus affirment. Nos illud inprimis trahit, quod de Pythoniſſa ſacri libri commemorant, quam Samuelis animam de inferni abditis evocaſſe tradunt, ut vivorum conſpectibus redderetur. Si tamen animam Prophetæ fuiſſe credimus, & non fantaſticam potius illuſionem Sathanæ; utcunque ſit, conſultiſſimum cenſeo, cum facultas eſt, magicarum artium evitare fallacias, conſiliumque Cæſaris in ea re non vanum dico fuiſſe. Verum Imperatrix bis terque vocata, in ſuo lecto manere, morem ſervandum, dicere: viros in

ſtra-

ſtratum uxoris ire ſolitos, non contra fieri ſolere. Cæſar veluti victus ad eam pergit, rogatque ſecum in alium thalamum proficiſcatur. Recuſantem manu prendit, vincitque facile, nolentem vincere; atque eo pacto vitatis incantationibus in alio lecto matrimonium conſummatum eſt.

Sequenti die Cæſar naves aſcendit, Romam petiturus. Imperatrix octo diebus apud avunculum poſtea manſit, deinde Manfredoniam profecta eſt, atque illo ex loco per mare Venetias navigavit. Cum autem Cæſar Neapolim peteret, noluit ſecum ducere Ladislaum Regem: cum propter laborem itineris & immitius cœlum Campaniæ; tum quia Rex Aragonum etiam Vngariæ ſeſe Regem appellat, videturque Ladislai competitor. Ad quem ſi Ladislaus veniſſet, vel hungari ſiniſtre tuliſſent, vel Auſtrales, neque murmura defuiſſent. Reliquit ergo eum Romæ apud Nicolaum Pontificem, ſub cuſtodia ſuorum: & cum eo remanſit Æneas Epiſcopus Senenſis, qui nonnihil ægrotans ſequi Cæſarem non valuerat. Dum ergo Cæſar apud Neapolim lætitiæ operam præbet, Ladislaus Rex de fuga tentatus aures adhibet. Quæritque tempus quo cuſtodes fallat. Id cuipiam Sacerdoti relatum eſt, qui Dominico Cardinali Firmano, juſto & gravi Patri, ſummo pœnitentiario, ultro rem aperit. Is ea nocte, qua facinus patrari debuit, Pontificem adiit, atque de fuga Regis eum edocet. Pontifex Æneam ad ſe nocte intempeſta vocat, ſcelus, quod paratur, enarrat: monet, operam det, ne quid detrimenti ex eo facto Cæſar patiatur: rectene cum Rege agatur, inſpiciat: fidi ne ſint cuſtodes, interrogat: ægre ſe paſſurum, ait, Imperatori id dedecoris, idque damni afferri. Æneas nil moratus Regiam domum adiit, vocatisque cuſtodibus periculum exponit, fidem, quam Cæſari debent, requirit: iſti ſtupentes, facinus deteſtantur, noctem inſomnem ducunt, circuuntque undique, rimant domum, eoque modo ſalvata res eſt. Nam proditores, ubi detectum ſcelus cognoverunt, ab incœpto deſtitere. Eam ob cauſam, cum nonnulli ex Cardinalibus ſub ſpecie venationis educere, Regem vellent, ſibique voluptates præbere, mandato Pontificis ſunt prohibiti, cui etiam Cardinalium fides in tali negotio ſuſpecta fuit.

Igitur Cæſar Romam rediens, ſalva omnia reperit. Quatuor ei Cardinales juſſu Pontificis ad ædem Sancti Pauli occurrerunt. Quia vero dies Sabbathi fuit, Cæſarque ſtolam candidam detulit, quam Rex Aragonum dare ſolet, obloquendi, murmurandique præbita eſt occaſio quampluribus, qui Cæſarem dare, quibus velit, inſignia nobilitatis, non accipere ab aliis dignum, afferebant. Quæ voces ab his emittebantur, quibus Alfonſi nomen invidioſum fuit, indigna tamen calumnia; neque enim ſtola Nobilitatis, ſed religionis eſt ſignum, quod in honorem cœleſtis Reginæ deferunt: neque novum eſt, Reges amicitiæ cauſa inter ſe ſigna dare atque accipere, ſive majores ſive minores fuerint. Nam & Sigiſmundum Imperatorem Henrici Regis Angliæ inſigne geſtare ſolitum novimus, ut amicitiæ ſolidæ ſtabiliſque benevolentiæ pignus. Triduo Cæſar ex Neapoli

reverſus Romæ manſit. Pridie autem, quam recederet, ingentes grates Pontifici Maximo, ſacroque Cardinalium Collegio, reddidit, quod ſibi benigni magnificique fuiſſent. Æneæ deinde commiſit, in publico conſiſtorio ut ſtatum Chriſtianorum, qui per Syriam, Ægyptum, Aſiam, Græciamque ſub Soldani magnique Turci imperio opprimuntur, exponeret; utque Hungari proximis annis horrendas clades pepeſſi eſſent. Timendum eſſe Conſtantinopoli, cæteriſque Civitatibus Græciæ, Chriſtianam fidem habentibus, ſuccurrendum oppreſſis, diceret, expeditionem ſanctam ſuaderet, operas atque vires Imperii in ipſum negotium offerret. Quibus de rebus adeo efficaciter Æneas verba fecit, ut pluribus circumſtantibus lacrimas extorſerit. Cujus orationis, quoniam futuri præſcia fuiſſe videtur, inſerere hoc loco tenorem, non alienum putavi.

A *vus Cæſar Fridericus Romanorum Imperator Auguſtus, filius tuus obſequentiſſimus, ſuis diebus adverſus impios Mahumeti cultores generale paſſagium fieri, atque in illud ſuum ſtudium, ſuas curas, ſuaſque vires omnes convertere; Te prius, magni Dei Vicarium, Chriſtianæ plebis ſacratum caput, perfectum ducem, optimum rectorem, veracem magiſtrum, & conſulendum, & ſequendum exiſtimavit; cujus providentia noſcere, auctoritas monere, poteſtas implere poſſit, quod* B *ſit agendum. Venit igitur ad te hodie, tuumque gravem & ornatiſſimum ſenatum, Cæſar, ſuper univerſali paſſagio cum tua beatitudine tractaturus. Coronatus jam triplici corona, ejuſque regni beneficentia Rex confirmatus, cujus potentiam Daniel ferro comparavit, cujus limites ſolus claudit Oceanus, cujus fundator Octavianus, confirmator Dominus Hieſus fuit, quod Romana ſemper Eccleſia magni fecit, extulit, honoravit; cujus auctoritas*

*Moyſes Vir Dei, Beatiſſime* C *in terris, niſi tuæ, cedit nulli: cujus officium eſt patrocinari Eccleſiæ, tueri religionem, parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos. Hujus, inquam Regni ſolium adeptus Cæſar, quid aliud cogitet quam Paſſagium, per quod & Chriſtiani fortiores & hoſtes fidei reddantur imbecilliores? Principes, inquit Sapiens, quæ ſunt digna Principe cogitabunt. Reges apud Medos, ut Herodotus; apud omnes, ut Cicero ſenſit, Juſtitiæ fruendæ cauſa, ſunt creati, injuriarum propulſatores; qui ſi Platoni magno voluerit auſcultare, cæteriſque Philoſophis recta monentibus obedire, procurationem Rei Publicæ non ad ſuam, ſed ad eorum, qui ſibi commiſſi ſunt, utilitatem convertere conabuntur. Atque hoc eſt, quod*

*Maxime Pontifex, cum ſibi Succeſſorem ordinaret Joſue filium Nun, divinam vocem ad ſe dicentem audivit:* pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet dominum; ad verbum ejus egredietur & ingredietur, ipſe & omnes filii Iſrael cum eo, & cetera multitudo. *Quibus verbis non populi ſolum ſed Reges & Principes admonentur, magnis in rebus, etiam bellicis, ſummi Sacerdotis, & conſilium quærere, & imperium ſequi. Quod poſtmodum in novo Teſtamento & in tempore gratiæ, multis exemplis & auctoritatibus eſt firmatum. Sicut & Conſtantini Magni & Theodoſii, Juſtiniani geſta teſtantur. Eam ob cauſam cupidus atque avidiſſimus Di-*

*de Paſſagio Cæſarem & ſollicitum & anxium facit. Super qua re dicturus, quæ ſua mihi Majeſtas imperat, oratiunculam meam tres in partes ego dividam. In prima dicam, quod ſit Paſſagium, quod petitur. In ſecunda, cur petatur. In tertia, facilene Paſſagium fructuoſumque ſit futurum. Quibus in rebus ſi longior fuero, cum rerum magnitudine verba comparentur. Sic fortaſſe brevior apparebo; Imo ero revera brevis. Nam docti dicere multa poſſunt: ſola brevitas, ut Ennodius ait, commendat indoctos. Sed jam primum abſolvamus. Paſſagii vocabulo nihil aliud deſignamus, quam militarem expeditionem numeroſiſſimam adverſus infideles, per Romanum Pontificem indictam: quam qui ſequuntur, cruce ſignati plenariam peccatorum remiſſionem & merentur & aſſequuntur. Apellaturque paſſagium ſermone Italico, quaſi tranſitus. Nam ſicut Aves quædam certis anni temporibus de regione in regiones tranſeunt, dicunturque paſſagium facere; Sic & Chriſtiani nonnunquam armis ſumptis trans mare incedentes, atque in hoſtes fidei ex Appoſtolicæ ſedis juſſione, proſilientes, & viſi & dicti ſunt paſſagium habuiſſe. Nunquam tamen verum Paſſagium dici poteſt, niſi multorum fuerit populorum, qui migrare, magis novas ſedes quæſituri, quam bellaturi videantur. Qualis Gallorum, Cimbrorum, Hunnorum in Italiam inundatio fuit. Intelligunt jam omnes, niſi fallor, quid ſit Paſſagium quod petitur. Nunc petitionis cauſas exponamus. Quas tres eſſe comperio: commiſerationem, utilitatem & honeſtatem. Unde vero commiſeratio prodeat, paucis adverte docebo.* Quis infirmatur, *inquit Apoſtolus*, & ego non infirmor? *pulcre, recte, religioſe, ſancte dictum. Nam cujus pectus adeo durum eſt, ut dolentibus non condoleat, gementibus non congemat, triſtantibus non contriſtetur? Cæſar quidem, poſtquam diſcretionis attigit annos, cœpitque noſcere fidei noſtræ ſacramenta, mox religionis induit zelum, rebus omnibus divini cultus præpoſuit augmentum. Sic enim & ſuæ naturæ bonitas, & ſanguinis nobilitas expoſcebat. Nam ſublimis Domus Auſtriæ Princeps, inter quos plures & Reges & Imperatores claruerunt, tunc ſibi proſpere ſuccedere ſperaverunt, cum divino numini bene & conſtanter famulati fuiſſent. Quorum veſtigia ſectatus Fridericus, defunctis Parentibus, ut primum tutelam exuit, adoleſcens admodum trans mare navigavit, contemnenſque pelagus & tempeſtatum minas, digitis a morte remotus quatuor aut ſeptem, cupidus oſculari locum, ubi fuerunt pedes ejus, qui nos redemit, medio terræ ſalutem operatus, Hieroſolymam perrexit, ſepulchrum Domini viſitavit, calvariæ locum inſpexit, montem aſcendit Oliveti, vidit cœnaculum grande ſtratum, & Pilati prætorium, intravit deſertum, transivit Jordanem, Bethleem acceſſit, & vallem Joſaphat penetravit. Mirabilem ſibi ac incredibilem devotionem, ſanctorum locorum viſio ſuggerebat. At cum ſpurcidos illic Sarracenos, immundos, horridos, ſceleratos dominari, veniebat in mentem; tactus dolore cordis intrinſecus, nil aliud dicere potuit, quam Propheticum illud:* O Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. *Et iterum ſicut alius Propheta clamat:* Quomodo ſedet ſola,

Civitas plena populo? facta est vidua Domina gentium, Princeps Provinciarum est sub tributo. *Prob quantum urgebat angebatque Fridericum illius sanctæ Civitatis indigna servitus, & illorum, qui trans mare sunt, Christianorum oppressio? Sed quid Græcia? litterarum mater, inventrix legum, cultrix morum, atque omnium bonarum & optimarum artium magistra. Quem non misereat illius gentis afflictæ, conculcatæ, pessumdatæ? Cujus imperium non solum sub Alexandro Macedone suisque successoribus, sed sub Atheniensibus, Spartanis, olim florentissimum & potentissimum fuit, nunc vilibus effœminatisque Turcis cogitur obedire. Quid Regnum illud Hungariæ nobilissimum; terra antiqua potens armis atque ubere gleba? Heu! quanta passi sunt Hungari diebus nostris, qui dum nostrum servant, sanguinem, fundunt suum, quorum pectora nostri sunt muri? Obligamur certe omnes Christiani Magnatibus & populis Ungariæ, qui pro nobis mortificantur tota die, & facti sunt sicut oves occisionis. Ecce tibi præsentem illorum Regem puellum, pupillum, orphanum, Ladislaum; clarissimam & Regum & Imperatorum Sobolem; qui dum suo regno suisque opem orat afferri, toti Christianismo consulit. Vtinam tam tuam sanctitatem, quam Cæsaris Majestatem, suæ lacrimæ moveant! Nam illi genti postulat auxilium, quæ suis armis nobis omnibus affert præsidium. Accidit & aliarum calamitas Provinciarum. Massagetæ, & alii Scytharum quamplures populi, nunc Livoniam, nunc Lituaniam vexant. Mauri non parvum Hispaniarum occupant Regnum, Jonii, Carpathii, Ægyptii, nostrique maris Insulas. Cyprum, Rhodum, Cretam, Siciliam. Quin & ipsa Italiæ littora Barbarorum sæpe classes invadunt, asportantque Christianos. O nostram maximam negligentiam! o tempora! o mores! prob pudor! major est Sarracenorum in sua perfidia, quam noster in fide Zelus. Dum gentiles fuerunt Cæsares, Idolorum cultores, augebatur in dies credentium numerus: nunc, dum Christiani sunt Imperatores, Reges, Duces, Christi cultus, qui totum fere orbem oppleverat, in angulum Europæ redactus est. Africam & Asiam amisimus, Europæ vix partem tenemus. Movetur super his Cæsar, compatitur afflictis fratribus, commiseretur injuriam patientium, cupit laborantibus subvenire. Nam qui non defendit indigna ferentes, neque obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, sicut Philosophis placet, quam si parentes, aut amicos, aut patriam deserat. Quod ne sibi, neve tibi, quisquam imputet, passagium petitur. Sed accipe nunc Vtilitatem, quam parere passagium poterit. Subveniemus laborantibus Hungaris; aufferemus jugum servitutis ex collo Græcorum; recuperabimus sanctam terram; exterminabimus idolum, monstrum illud pessimum, horrendum, ingens Mahumeti, & Christianæ religionis fines super & Garamantes & Indos proferemus. Jacet extra sidera tellus, extra anni solisque vias, ubi cœlifer Atlas axem humero premit stellis ardentibus aptum. En magnam utilitatem! nam sic agentes, aut agere tentantes, incorruptibilem cœlestis Regni coronam adipiscemur; quam reddet nobis in illam diem justus judex. Sed quid de honestate gloriaque dicemus, quam vel tuæ beatitudini, vel Cæsaris altitudini accumula-*

*laturum cernimus esse passagium? bellorum æquitatem majores nostri sanctissime feciali jure præscripserant, denuntiata indictaque bella justa esse censebant. In quibus qui viriliter pugnavissent, non vincentes modo, sed occumbentes quoque dignos honore glorioso-* A *que judicabant, atque his statuas dicabant & triumphales arcus. Quid nos de hoc bello dicemus? Quod non terrenus, sed cœlestis Imperator indicit; in quo non Pomœrii, sed fidei propagatio quæritur; in quo non paterna domus, sed fides Catholica defenditur, & honor Salvatoris nostri, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbi-* B *tratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nos ex Diabolica servitute redimeret. En gloriosum atque honestissimum bellum, quod tanti beneficii memores susceperimus, in quo redemptoris nostri, in quo magni Dei causam tuebimur, in quo qui vitam temporalem amittet, acquiret æternam, & famam clarumque nomen adipiscetur sempiternum. Ac tantum de secunda parte sit dictum, in qua,* C *cur passagium quæreretur, monstrandum fuit. Supererat nunc de possibilitate congregandi passagii, deque spe fructus, dicere. Plurimi sunt, beatissime Pater, qui cum nominari passagium audiunt, ecce vetus somnium, inquiunt, vetus deliramentum, veteres atque inanes fabulas. At Vrbanus antecessor tuus, cum vexaretur a Paganis Orientalis Ecclesia, Sarracenique terram sanctam invasissent, motus Alexii, qui Constantinopolim tenebat, precibus & aliorum Christianorum, qui sub tributo Turcorum vitam agebant, rogatibus, excitatus, gravi & laborioso itinere in Galliam profectus, maximum exercitum comparavit, quibus nullæ Sarracenorum copiæ, nullæ vires obsistere potuerunt, quin & Antiochiam expugnarent & Hierosolymam obtinerent. Vnde adhuc & Vrbani, qui convocavit Passagium, & Gothfridi, qui duxit, illustre nomen habetur: quamvis quinquaginta & trecenti ab illo tempore fluxerint anni. Quid tua sanctitas faciat, quam pro similibus ac majoribus causis verus Imperator totaque Christianitas orat passagium convocare? Pensandum est, inquies, an hodie spes bona sit habendi Passagii: quia nemo sciens, impossibilia tentat, neque aggreditur quisquam quod assequi desperat. Magnum facimus spes enutrit. Sunt ergo duo consideranda, sanctissime Pater! unum, an Christiani facile in Passagium trahi possint; Alterum, an coacto Passagio spes sit magna vincendi. Nam quamvis dubius est omnium bellorum eventus, nunquam committendum est prælium sine spe quadam & argumento victoriæ. Ne, sicut Augusti Proverbium, aureo piscantes hamo videamur; quorum damni major quam lucri ratio possit haberi. Difficile quippe primum videtur, Christianos, qui sunt inter se discordantes, apertisque flagrant odiis, in unam Passagii ducere sententiam. Verum, quod multi putant obstare Passagio, Sapientia Cæsaris conducere judicat. Namque si pax Christianos haberet, incassum quietos Principes atque otio torpentes populos excitaremus; neque utiles bello manus invenirentur; horrerent inertes ferrum, neque signum neque tubam ferre valerent. At nunc exercitati bellis populi ultro sese offerrent, facilius ex*

*bello vocatur in bellum miles, quam ex otio. Bonum eſt viro, ſicut Prophetа teſtatur, qui portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Quis Chriſtianorum eſt, poſtquam pugnare oportet, qui non potius in hoſtes quam in domeſticos fidei gladium ſtringet? Placebit omnibus, arma in Turcos vertere, patriam ut quietam relinquant. Et fortaſſe unica pacandi Chriſtianos via eſt, paſſagii convocatio. Martiales enim & feroces Europæ populi, neſcientes quieſcere, niſi adverſus exteros prælientur, in ſeſe ruunt. Qua ratione* A *ductus olim vir Senatorius quidam, excindi Karthaginem probibebat; ne pacem habentes in circuitu Romani, manus in ſe verterent: ſicut Reges Iſrael feciſſe conſtat, qui victis hoſtibus mutuis cecidere vulneribus. Pacem ergo ut habeant Chriſtiani, bellum eſt in exteros transferendum. Ad quam rem neque Germanorum illuſtris animus, neque cor nobile Gallorum, neque ſublimis mens Hiſpanorum, neque gloriæ cupidus Italorum Spiritus deerit. Omnes, quod tua videbit ſanctitas, corde magno & animo volenti ſuſcipient. Quis dubitet, cogi poſſe paſſagium, quod Romani Pontificis auctoritate decretum, & Imperatoris voluntate fuerit ordinatum. Sed dicit fortaſſe quiſpiam, quod Bractius olim, quamvis hoſtis Eccleſiæ, tamen alioquin homo ſenſatus, frequenti ſermone uſurpare ſolebat*: Qui bellum gerat, tribus potiſſime rebus indigere, & has tres unam eſſe pecuniam. *Vnde igitur aurum corrademus, ad tantum & tam remotum bellum neceſſarium? Sunt in promptu modi, Præſul maxime, quibus inveniri pecunia poterit ſumptuſque neceſſarius miniſtrari. Sed bos vulgare modo non eſt ex uſu. Illud tamen dicere poſſum, Civitates, quæ propter pacem perpetuo bello fatigantur, libenter paſſagio contribuent, ut pacis tandem compotes fiant. Non eſt igitur deſperata res paſſagii convocatio. Nec rurſus ſpes magna victoriæ deerit. Novit Imperatoria ſublimitas, Aſſyriorum, Turcoram, Ægyptiorumque gentes imbelles, inermes, viles, effœminatæque ſunt, neque animo neque conſilio martiali. Quis aut tunicatos mitratoſque Turcos, aut braccatos Ægyptios timeat? Quos Rapſaces, ad Ezechiam Regem loquens, baculo arundineo confractoque comparavit. Sar-*B *matica erunt ſpolia ſine ſudore & ſanguine. Multa notavit Cæſarea Majeſtas, cum tranſmarinas partes luſtraret, quæ ſpem certiſſimam victoriæ præbent, ſuoque tempore patefient. Nec moveri debemus, quia noſtri nonnunquam exercitus ab illis victi deletique ſunt. Nam neque viribus eorum, neque rei militaris peritiæ; ſed noſtris peccatis aſcribendum eſt. Quod ſi emendati fuerimus, rectaque mente Chriſti cauſam defenſuri bellum ſuſceperimus, nihil de victoria fuerit hæſitandum: quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſto-*C *rum. Juvabunt & nos tum diviſiones illorum, tum odia, quæ cum Tartaris habent aſſiduaque certamina: juvabit & gentis illius deſperatio. Nam Mabumetum, cui maxime credunt, ſectam ſuam in Octingentos uſque annos augendam, exinde minuendam, adſtruunt prophetaſſe. Is autem ſub Heraclio Cæſare malignari occæpit, poſt quem ſupputantur anni quadraginta & octingenti. Quæ res terrorem non parvum Turcis, ſpem Chriſtianis, adjicit. Nam etſi pſeudoprophetа Mabumetus eſt, non tamen falſum vaticinium*

*nium dici potest, quod sacri Hieremiæ sermonibus quadrare videmus. Hieremias enim primo & quinquagesimo capitulo, quasi tuam Sanctitatem & Cæsaris Majestatem adversus Mahumetum suscipere bellum hortetur*, Nolite tacere, *inquit*, super iniquitatem ejus: quoniam tempus ultionis est domino; vicissitudinem ipse tribuit ei. *Possemus ad rem hanc plura deducere: sed neque doctissimis tuis auribus, neque præclaris sapientissimisque patribus, qui assident, quique adstant, donanda sunt verba. Satis est nobis absolvisse, quæ promisimus, & quæ Cæsarea sublimitas mandaverat, exposuisse. Intellexisti desiderium suum, sanctum propositum, integram mentem. Verum quamvis examen Imperatorium sic de passagio sentiat, totum tamen & consilio & judicio tuo relinquitur, qui ligandi solvendique claves accepisti, qui Petri & Pauli locum tenes, jam cum Christo regnantium; cujus est inter sanguinem & sanguinem, inter causam & causam, inter lepram & lepram judicare. Cæsar cum esset hac vice apud tuam beatitudinem, noluit hanc rem intactam relinquere; quæ sibi adhuc in minoribus constituto atque ab ineunte adolescentia semper cordi curæque fuit. Alius fortasse vel generale concilium, vel reformationis decreta petivisset. Sed quod majus haberi concilium potest, quam tuæ sanctitatis tuique Sancti Senatus præsentia: frustra concilium petit, qui Romani Pontificis mandata non recipit. Ubi tua sanctitas est, ibi Concilium, ibi Reges, ibi mores, ibi decreta salubrisque reformatio. Cæsari susceptis Imperialibus infulis, tuaque sacra manu coronato, nihil hoc tempore visum est antiquius, quam de Passagio tecum agere. Quod si fortasse A prima fronte videtur arduum, nihil est tamen difficile, quod quærendo non fiat facile. Asperis in rebus, & vir noscitur, & gloria quæritur. Quæ magno animo fortiter excellenterque geruntur, nisi quodammodo pleniori bucca laudare solemus? Difficiles aditus virtus appetit. Clari & illustres sunt tituli tui, gloriossime Præsul; qui unionem feceris, Jubilæum indulseris, Cæsarem coronaveris. Passagii tamen titulus, & dignior & diuturnior omnibus erit. Quem ne successori relinquas, & Cæsarea pietas suadet, & omnis Christianitas orat. B Nam tibi, jam coronato Cæsare, quamvis multa incumbant magna & alta negotia, nihil tamen est, de quo vel utilius agere vel glorioslus, quam de Passagio, valeas, Amen.*

Nicolaus ubi responsum dedit, primum *quæ facta essent in honorem Cæsaris, & digna & bene merenti præstita, minora tamen fuisse, quam merita*, dixit. *Ecclesiam nunquam Imperio sacro tam gratam esse posse, quam debeat: Expeditionem, de qua loquutus esset Æneas, laudandum opus, C dignumque Cæsare multam præ se ferre pietatem: ejus rei Apostolicæ sedi maximam curam esse: se verbis Æneæ veluti quibusdam stimulis vehementer commotum in ea re minime torpere. Consulendos tamen esse cæteros Christianæ Religionis Principes, eorumque auxilia in tantum opus quærenda: quos si benivolentes invenerit, relaturum se Cæsari, atque tam sanctum negotium summo conatu aggressurum.* Postea multis verbis hinc atque inde factis, in magnam noctis partem protractum est colloquium. In crastinum quoque Cæsar Papam adivit, atque

ab

ab eo benedictus, dimissus est. Quem Cardinales universi ad primum lapidem extra urbem prosecuti sunt; duo usque ad Aquam Pendentem, atque ad limites Senensium cum eo profecti sunt Bononiensis, Germanus Papæ, & Sancti Angeli, Cardinales.

Inter equitandum autem fuerunt nonnulli, qui Florentiam Cæsari penitus declinandam suaderent, idque causæ afferebant: quod fama esset, Cæsarem, dum Neapoli moram traheret, Vicariatum Hetruriæ Regi Alfonso commisisse, Albertoque Fratri Ducatum Mediolani concessisse: quas res Florentini molestissime ferrent, neque servare possent, qui cum Rege sibi adversante fœdus habere diceretur. Super quo dubio rogatus Æneas a Cæsare sententiam dicere, non ego, inquit, Dive Cæsar, apud Neapolim tecum fui: nescio, quos cum Alfonso tractatus habueris, tute verum scis. Si quid adversum Florentinos aut eorum amicos a te actum est; ne putato secretum esse, neque te illis committito. Scient, mihi crede, occultissima quæque: neque inter eos tutus eris. At si nihil horum est, quæ dicuntur, sinceramque mentem geris, nihil est, quod te vereri oporteat. Neque levis est Florentinus Populus, & habet in Germania plures negotiatores, quibus timeret, si te offenderet. Cumque Cæsar, nihil se cum Rege agitavisse, diceret, quod vel Florentinorum Rempubl. vel res Italas concerneret, nisi communem pacem; Ergo, ait, hilaris ito metumque procul omnem abjicito. Verum cum Senas reditum esset, atque ingentes honores apud devotos Imperio cives Imperatoria Majestas accepisset; placuit Æneam Episcopum atque Ulricum Riderer ad Florentiam antecedere, qui litteras publicæ fidei innovari peterent, illumque petitioni colorem præberent, quia salvus conductus, sub nomine Regio datus, non videretur ad Imperatorem extendi, jam vero Imperatorem ex Rege factum: mutari litteras opportere. Ea res satis insolens Florentinis visa, qui, nomen Imperatorium non vim litteris ademisse, sed adjecisse robur, ajebant. Tumque maxime obnoxios Imperatori Florentinos, cum Romæ Coronam accepisset. Dolere se, tantum æmulos suos potuisse, ut fidem Florentinam Cæsari dubiam redderent: facturos se tamen, quod Cæsar optaret. Cum vero Legati rem excusarent, magnamque fidem habere in Florentinos Cæsarem, dicerent, qui cum aliam viam habuisset, Florentia transitum facere decrevisset; Cosmas de Medicis, suæ Civitatis facile Princeps, cujus opes innumerabiles esse dicuntur, nolite, inquit, nostro senatui verba vendere, qui ea reliquis gentibus dono dare solet. Aut enim per agrum nostrum in Tuscia Cæsarem transire oportuit, aut per Marchiam & Romandiolam euntem, Sigismundi Malatestæ & Hectoris Faventini, nostrorum Ducum, manus incidere. Iterumque dicentibus Legatis, potuisse apud Anconam Cæsarem naves ascendere, nullisque prohibentibus Tergestum, sui Patrimonii Civitatem, petere: At, inquit, rem Cæsare dignam, Imperatorem cum exercitu terrestri intrasse Italiam; postquam Romam venisset, quasi furatum coronam, veluti fugitivum, mari abire. Ad ea Legati, ne contendere viderentur, seu justa est, dixerunt

sive

ſive injuſta petitio noſtra, Communitati veſtræ gratiam habeamus, quia morem Cæſari geritis. Atque ita, obtentis litteris, Cæſar Florentiam rediens, ut Imperator & Dominus exceptus eſt, atque apud Sanctam Mariam novellam, ubi primum fuerat, manſionem habuit.

Dum hæc in Italia Cæſar agitat, Auſtrales animo volventes, quantam rem cœpiſſent, cogitanteſque ſolos non poſſe ſe vim Cæſaris ferre, Vlricum Comitem Ciliæ, ultro ſe offerentem, in ſocietatem accipiunt, locum ei inter ſe primum præbent, vocantque ipſum, ut eſt ſui moris, præceſſorem: cum Moravis ac Bohemis fœdus inire conantur. Annuunt Moravi. Ex Bohemis, nulli ſentire contra Cæſarem volunt, niſi Domini de Roſis, qui ex cæteris Bohemis apud Fridericum ſemper acceptiores habiti fuerant, majoraque receperant beneficia. Sic ſæpe accidit, ut, de quo plura ſperes, in eo minus invenias. Hungari quamvis inducias cum Cæſare haberent, nihilque adverſus eum medio tempore moliri deberent, ſecuti tamen naturam ſuam, apud quos nihil eſt fide levius, cum Auſtralibus amicitiam faciunt, eorum propoſitum laudant, auxilia promittunt: fitque quatuor ex gentibus unus populus; atque ut conjunctiores videantur, ſigna ſimul conjungunt, & in excelſa turri Sancti Stephani apud Viennam ponunt; ac ſub quatuor terrarum nomine, Vngariæ, Bohemiæ, Auſtriæ, Moraviæ, ſubditis imperant: litteras ſcribunt, exercitus comparant, belloque ſeſe accingunt. Quibus ex ſententia diſpoſitis, Oratores ad ſummum Pontificem atque ad Cæſarem, ex Auſtria atque Hungaria, graves viros legant. Inter quos fuit Auguſtinus Epiſcopus Jaurinenſis, qui pro magnis beneficiis a Cæſare ſuſceptis (nam ejus voluntate Epiſcopatum obtinuit) Barbarica fide gratias ei veniebat acturus. Hi cum intraſſent Italiam, apud Principes & Communitates, multis verbis Cæſarem criminati ſunt, qui ſuum Dominum contra jus faſque retineret. Et cum Florentiam veniſſent, ibi Cæſarem expectaverunt, neque eum Senis adire audebant, veriti, ne apud Civitatem, Imperio devotam, pro meritis acciperentur. Sciebat autem jam Fridericus, quæcunque illi adverſum ſe dixerant. Audientes enim Principes & Communitates, ſingula Cæſari reſcripſerant. Nonnulli etiam litteras Auſtralium & Hungarorum ſibi directas ad eum miſerant. Eam ob cauſam, cum peterent audientiam Florentiæ, non habuerunt, dicente Cæſare, ſe non poſſe Legationi eorum, cujus pondus non ignoraret, apud Florentiam dare operam, unde ſequenti die abiturus eſſet. Ferrariæ dies aliquot manendum ſibi eſſe, ibi & audire & reſpondere velle. Et hic quidem titulus negandæ audientiæ fuit: cauſam vero ſuſpicio præbuit, quam de Florentinis Cæſar habuit, quos favere Ladislao putabat. Legati, ubi negatum ſibi Cæſaris aditum intelligunt, litteras ei mittunt Hungarorum, Auſtralium, Moravorum nomine conſcriptas, quarum hæc ſententia fuit: *Sæpe tuam Majeſtatem, Cæſar, oravimus, Regem noſtrum Ladislaum ad nos uti dimitteres, ſua Dominia recturum: quod ſine ejus præſentia diutius eſſe non valebamus. Tu vero, ſpretis pre-*

*cibus noſtris, in alienas Regiones nobilem ſanguinem, ſpem, pacem, ſalutemque noſtram abduxiſti. Id nobis ægre eſt, neque feremus amplius tuam inſolentiam. Omnium noſtrum una ſententia eſt, Dominum noſtrum tuis e manibus vendicare. Si dederis eum bona voluntate, gratias tibi habebimus, curabimuſque inter tuam Majeſtatem noſtrumque Regem ſtabilem amicitiam æternumque fœdus eſſe: ſi negaveris, faciemus quæ fidelibus ſubditis pro ſuo Domino incumbunt. Si bellum ſequetur, uaſtabuntur agri, cædes, incendia fient; earum ex te prodire cauſam ſcito, qui juſtæ petitioni noſtræ non annueris. Cætera ex Oratoribus noſtris intelliges, quibus ut audientiam fidemque præbeas, rogamus, Vale.* Cognovit Cæſar, indictum ſibi bellum eſſe: Quia tamen in Auſtriam reverti feſtinabat, Legatis aliter reſpondere haud neceſſarium duxit. Illi clam Caſparem Regium Pedagogum accerſunt, percunctanturque, noctune, dormiente familia Regis Ladislai, per hortum, qui retro erat, admoveri ſcalæ ad feneſtram cubiculi poſſent, indeque Rex abduci: de cujus voluntate non dubitarent. Caſpar id negat fieri poſſe, quoniam ſibi non credatur cuſtodia pueri, duos eſſe viros nobiles, qui cum Rege dormiant, omniaque diligenter claudant firmentque clavibus, antequam ſomnum accipiant. Tum Legati, alium ſe modum excogitaſſe, ajunt. Regem, dicunt, publicam Florentinorum fidem habere: rogandos Magiſtratus, ei ut præſidio ſint, neque patiantur ſibi a Cæſare in ſua Civitate vim fieri: habere ſe civem unum ex Florentinis, qui Senatum urbis alloqui velit, ut Ladislao fidem ſervet, ſi forte contra ſuam voluntatem in eum aliquid Cæſar ſtatuerat. Tantum monendum Regem, uti forti animo ſit. Sequenti die, cum Cæſar iter acceperit, uſque ad urbis portas eum ſequatur, ibique valere eum jubeat, dicatque, ſeſe dies aliquot Florentiæ velle morari, atque, ſi Cæſar eum aliter compellere vellet, fidem Civitatis imploret, ſe Regem liberum clamitet, violentiam deprecetur: armatos ibi præſto futuros, qui vim prohibeant, Regique vindicent libertatem. Hic Caſpar, ex plebe natus, tenui domo & obſcuris Parentibus, cum ſe litteris dediſſet, creviſſetque apud Viennam inter artiſtas, tandem in Cancellariam Auſtralem receptus, in gratiam Cæſaris venit, eoque profectus eſt, ut imbuendus litteris Ladislaus ei potiſſimum crederetur. Auctus autem & honoribus & opibus, licet ad menſam Regiam quotidie ſederet, & inter Principes verſaretur, non tamen contentus, majora quærit: exiſtimans, ſi Rex Ladislaus ad Regna ſua dimitteretur, ſine ullo negotio Epiſcopum ſe futurum. Maxime igitur anxius erat, uti Ladislaus Cæſaris manum quamprimum exiret. Apud Græcium ergo Stiriæ, cum Paulo Epiſcopo Agrienſi, de quo ſupra meminimus, immemor beneficiorum, quæ de Cæſaris benignitate ſuſceperat, fidemque ſuam fallens, & jusjurandum effringens, convenerat: ſi petente Italiam Cæſare Rex in Stiria dimitteretur, ad ejus fugam navare operas. Nam Regis animum haud alienum ab ea re norat, & ſe facile inventurum ejus negotii Comites ſperabat. Paulus autem, poſtquam locum & tempus edoctus eſſet, mittere equites aliquot ar-

armatos promiserat, qui latentes in silvis ad dictam diem horamque venientes Regem susciperent. At cum hoc non successisset, frequentes inter Paulum & Casparem litteræ missæ sunt, quibus de modis aliis abducendi Regis invicem agitabant. Paulus quoque, de voluntate Casparis, Jaurinensem Episcopum instruxerat, eique literas dederat, propter quas facilius Caspar ejus suasibus captus est. Qui cum audisset inventum Legatorum, ita recessit ab eis, ut Regi negotium ad eorum propositum suaderet, illi apud Magistratus Florentinorum reliquum proditionis opus absolverent. Rex facile in sententiam tractus est: nam puer libertatis cupidus, quantum periculi auderet, per ætatem intelligere non poterat. Apud Florentinos autem, plus æquum bonumque valuit, quam Legatorum arguta suasio. Reversus enim ad Legatos civis ille Florentinus, qui de Magistratuum præsidio certam spem fecerat, ait: se, quod putaverat, minime reperisse: Senatum Florentinum nolle id oneris assumere, qui Cæsarem, ut introierat, sic abire quietum vellet; sciretque, Ladislaum Regem puerum sub tutela esse Imperatoris, neque velle habere, neque nolle. Irrita igitur proditio fuit: Rogaverunt tamen Legati Casparem, quoniam Romam ituri essent, Regem uti summo Pontifici propria manu scribere hortaretur, quod ille Bononiæ fecit, atque in hunc fere modum dictatæ sunt litteræ: *Ladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex Nicolao Papæ quinto salutem. Veniunt ad te Legati ex Provinciis nostris, viri boni & nobis fideles: ex his accipies, quæ sit subditorum nostrorum pro nostra liberatione vel cura vel voluntas: eos benigne exauditos remittas, obnixe rogamus. Deinde, quia cognovimus relatu vario, tuam pietatem adversus nostros Austriæ subditos sententiam excommunicationis fulminasse, quia nos e manibus Friderici Cæsaris eripere studeant, petimus, hujusmodi processus revocare non pigeat, qui nobis damno sunt: quod nisi feceris, dabis nobis causam ad majores judices provocandi. Namque cum scriptum sit, pupillo tu eris adjutor, non Cæsari; non est cur eos insectaris, aut anathemate ferias, qui de salute & commodo nostro solliciti sunt, Vale.*

Has litteras Caspar per nuntium proprium Romam ex Bononia misit. Sed is postea, cum Cæsar ex Ferraria Venetias peteret, conscius tanti facinoris, timensque deprehendi, ait Cæsari: non sibi bene esse in mari, velle Tervisium terrestri itinere proficisci, atque ibi expectare alios. Quod cum Cæsar annuisset, receptis rebus suis, versus Veronam & Tridentum iter arripuit. Sed nihil est malefactori tutum: latere in tempus scelera possunt, diu non possunt. Forte tabellarius quidam, quem vocant Paterculum, ex Mantua rediens, cum Casparem in via reperisset, admiratus hominem ire solum, Cæsari, fugere illum, retulit. Cæsar post eum duos equites e vestigio misit, qui die noctuque festinantes, ante illum apprehenderunt, quam territorium Venetorum exiret, excussumque bonis omnibus, Venetiis eum Cæsari præsentarunt. Ille, quæ supra scripsimus, omnia sine tormentis confessus, nobis tandem judicandus traditus est: & usque in hanc diem in carcere custoditur.

Imperator autem apud Florentiam, inſcius proditionis, quæ contra ſe parabatur, Florentinis, quæ cum Rege Aragonum feciſſet, expoſuit: utque ille ſuo precatu inductus, tandem promiſiſſet, Legatos Ferrariam mittere, qui de communi Italiæ pace tranſigerent: hortatus, ut & ipſi ſuos mitterent. Florentini Cæſarem commendavere, qui ſuæ Italiæ pacem dare conaretur: arbitrari ſe tamen, dixerunt, neque paci futurum locum, neque Regem ex condicto miſſurum. Neque enim Alfonſum Imperatori tantum favere, ut ejus conſilio pacari Italiam velit, cujus ſe magis Dominum quam Cæſarem putat, habereque illum ſæpe facta contraria verbis. Miſſuros ſe tamen, ex juſſu Cæſaris, amplexuroſque pacem ejus judicio. Nam etſi armis, equis, viris, auro, quo potiſſimum bella fiunt, minime ſe Regi inferiores ſciant, paci tamen, quæ non habeat inſidias, qualem ab Imperatoris ſolio provenire non dubitant, ſe ſemper aſſenſuros.

Hæc Carolus Aretinus Civitatis Cancellarius, quamvis ex tempore, tamen ornatiſſime pronunciavit: Vir ſui temporis Latinæ Græcæque linguæ peritiſſimus: cui & orationem ſolutam & carmen facere, juxta erat. Laudandi multis in rebus Florentini ſunt, atque in hoc non parum: quoniam Cancellarios omnium doctiſſimos habere ſtudent: neque, ut Senenſes noſtri, quotannis Cancellarios mutant, ut tunc officium dimittant, cum cœperunt intelligere: neque ut Theutones & aliæ pleræque gentes, omnes Cancellariæ aptos arbitrantur, qui vel Civilis vel Canonici juris periti dicuntur, aut quos vocant Magiſtros artium, qui præter garrulam & loquacem Dialecticam nihil aliarum artium didicere: ſed eos aſſumunt, quibus Ciceronis & Quintiliani præcepta notiſſima ſunt, Poëtarum & Oratorum imbuti doctrinis, quos Oratores atque Poëtas merito quis appellaverit: atque eos, ſi domi non inveniunt, foris quærunt. Neque ſubditos ſuos, ubi ſufficientes habentur, ad eum honorem verentur attollere. Nam Carolum, & qui ante ipſum litteras ſignavit, Leonardum, ex Aretio natos conſtat, viros clari nominis, quorum multa extant opera, apud omnes peræque gentes commendata. Et Leonardus quidem Ariſtotelem nobis, qui prius Barbarus habebatur, & in Ethicis & in Politicis Latinum reddidit.

In Florentia quoque Nicolaus Arzimboldus, vir doctus & ſcientia juris eminens, Legatus Franciſci Sfortiæ Vicecomitis, nocte ad Cæſarem venit: Et quoniam ſuis in rebus nunquam reſponſum habuerat, ſed indies ſuſpenſus fuerat, tandem ſe fieri certiorem petivit, ſuo Domino Cæſar, an Vaſallo, an hoſte uti vellet. Cæſar, neque inveſtituram tanti Principatus, Imperio debiti, offerre in animo habuit, neque negare audebat in Civitate, illi amica. Verebatur, ne homo potens armis atque amicis, turbas ſibi aliquas appararet, priuſquam Ferrariam attingeret: nam deinceps ſatis ſe tutum arbitrabatur. Ait ergo: ſe affectum eſſe virtuti Comitis, cupere ſibi bene eſſe: Verum tantum Principatum, qui ad Imperium devolutus ſit, inconſultis Electoribus, cæteriſque Germaniæ Principibus extra ma-

manus dare, periculi plenum esse: Velle tamen amplius in ea re cogitare, ac Ferrariæ respondere, ubi de pace Italiæ esset acturus. Nicolaus, postquam aliqua contra devolutionem dixit, rursus sibi mentem Cæsaris apertius manifestari petivit, ut suo Principi scribere posset: nam si quid esset, quod illum facere oporteret, ab eo responsum in Ferraria posset habere. Cæsar, se commissurum, ait Æneæ Senensi Episcopo & Vlrico Ridrer, ut secum postera die latius de suo proposito verba facerent. Sequenti die, priusquam Florentini apparati essent, ut decreverant, exeuntem Cæsarem honorare, Imperator & Ladislaus cum Alberto Florentiam exivere. Æneas atque Vlricus accersito Nicolao responderunt ei ad ea, quæ nocte præcedente petiverat: minime dignum esse, tantum Principatum, quantum Franciscus optabat, sine magno aliquo emolumento ab Imperio alienari: quod si Dominus suus vellet Imperio quotannis censum, tanto Domino dignum, pendere; aut aliquam civitatem, veluti Comum aut Parmam, Imperatori reddere, investituram sperare posset. At dicere pulchra verba, quæ nulla facta sequantur, vanum apud Cæsarem esse, nihil enim animadvertere, si quis dicat, tuus sum Cæsar, tibi omnia debeo, tuis obtemperabo mandatis, tibi corpus, tibi devovi animam, tu mihi Rex, tu Deus eris, quæcunque jusseris libens agam. Scit Cæsar, nihil his inesse verbis, sæpeque minus facere, qui majora promittunt. Franciscum igitur, si titulum Ducatus assequi vellet, aut annua quinquaginta millia promitteret, caveretque certam esse solutionem, aut, quæ tanti censeri posset, civitatem offerret. De summa Nicolaus admodum alienum se præbuit: de Civitate danda, non abhorruit, Parmamque, si fieri posset, in eam rem nominabat: forsitan, quia natus illic erat, patriam ex durissima servitute ad dulcem Imperii libertatem reducere cupiebat. Sed sui Principis aliam mentem reperit, qui de Ducatu, armis quæsito, nihil diminuendum existimavit.

Cæsar autem Appennino transacto, quam celeri cursu Bononiam venit; ibique sola nocte moratus, altera die ad horam vesperarum Ferrariam attigit: a Marchione loci summo gaudio & ingenti solemnitate receptus, qui sibi in ipsis Bononiæ Ferrariæque metis, cum magna Baronum caterva occurrerat. Legati Florentini, Mediolanenses, Mantuanique, tertia demum die affuerunt. Veneti quoque eo venere. Aragonenses autem diu expectati nequaquam comparuerunt. Sed erant Venetiis duo Legati Regis Aragonum: horum alter Ferrariam se contulit. Cum ventum est ad Pacis tractatum, Mediolanenses Florentinique suas partes offerebant, mediatoremque Cæsarem libentibus animis accipiebant: Borsius quoque Marchio ad eam rem curiosissime se præbebat. At Veneti & Aragonenses ab eo proposito longe aberant, nihilque se agere posse de pace, dicebant, nisi venirent novi Regis Oratores, quos prope diem venturos affirmabant. Verum illi nunquam comparuere: neque, qui præsentes fuerunt, ingredi Pacis tractatum voluerunt: sive quod Cæsarem suspectum haberent, sive quod illum ei

honorem inviderent, ut pacis Italicæ compositor diceretur. Ex qua re titulus procul dubio redundasset honestior quam ex Corona recepta: Seu quod se præstantiores armis existimantes, victoriam in manu habere crederent: seu recens odium mentes adhuc possidebat iratas: neque enim inter se partes quicquam pacifice loqui poterant. Cum ergo Ferrariæ desperatum esset pacis negotium, rogavit Imperator oratores partium, suis Dominis ut Pacem tenere suaderent, donec se Venetias conferret: nam & illic rursus apud senatum urbis agere vellet, ne tantum bonum negligeretur. Sed jam Venetorum copiæ in agrum Mantuanum prolapsæ rapinas egerant.

Dum hæc aguntur, Borsius de re sua anxius, magnopere apud Cæsarem instat, Mutinam atque Regium in Ducatum ut erigat, sibique conferat. Civitates hæ inter Bononiam & Parmam jacent: montem Appenninum ab Austro, a Septentrione Padum fluvium habent: harum alteram Marchiones Estenses ab Imperio in Vicariatum: alteram a Ducibus Mediolanenses in feudum habuere. Diu Cæsar dubius fuit. Nam etsi Borsium summa virtute præditum, quovis honore dignum existimabat; indignum tamen putabat, injusto matrimonio natum, Nicolai Patris & Leonelli Fratris eum præferre legitimis, qui exstabant, liberis, Vicariatumque; in Ducatum erigere, species quædam alienationis, Imperatori prohibita, videbatur; qui augere jura Imperii non minuere juraviſſet. Sed contra multæ rationes agebant: subditi omnes terrarum concordibus animis Borsium sibi Dominum elegerant: Romanus Pontifex, cujus potissimum est, matrimonii jura tueri, Vicariatum Ferrarienſem, exclusis legitimis hæredibus, Borsio dederat: Marchionatus Estensis longa majorum serie ab illegitimis hæredibus possessus, jam præscriptus videri poterat: Borsius etiam fratris ultima voce prælatus filiis ferebatur, nobilitati plebique juxta dilectus. His accedebant ingentes honores, & obsequia pene incredibilia, quæ Borsius in Cæsarem suosque omnes quam libentissime contulerat. Legati quoque Principum & Communitatum Borsii laudes in cœlum ferebant. Matrem ejus, etsi legitima Nicolai conjunx non fuerat, nobilem tamen ex vetusta Ptolomæorum Senensium domo natam constabat: honestam & sapientem fœminam, neque pretio, neque precibus, sed vi corruptam, & potentia Principis, cui etiam promissum fuisse matrimonium, quamplurimi tradiderunt. Quibus rebus victus Cæsar Ducatum ex duabus Civitatibus, Rodigiumque cum territorio adjacenti, in Comitatum erexit, hosque Borsio & suis heredibus ex se legitime descendentibus, atque, his deficientibus, alteri ex collateralibus fratribus sive nepotibus, quem sibi deligeret ipse successorem, concessit: reservato quatuor millium aureorum censu, qui sacro Imperio quotannis in Ascensionis Dominicæ festivitate persolvi deberent, primis duobus annis sine solutione remissis. Sic enim non diminutum sed auctum est jus Imperii: cum ante nihil Imperium ex Vicariatu reciperet. Borsius ipse pro tanta dignitate suscepta, suopte ingenio monile pretiosum Cæsari dono dedit, quod patrem uno & vigin-

viginti millibus aureis emiſſe ferebant. Solemnitas Ducalis in foro Civitatis atque in ſublimi tribunali acta eſt: ubi de laudibus Domus Eſtenſis, deque nova dignitate, atque ſummis Borſii meritis, Æneas Epiſcopus Senenſis, jubente Cæſare, Italicis verbis & vulgo notis ſermonem fecit. Legati qui affuerunt, omnes Cæſaris factum commendavere, benefactumque bene locatum omnis Italia dixit. Neque enim Principes Eſtenſes Italiæ bella ſectantur: pacem, ubi poſſunt, inter vicinos componunt: ſua cuſtodiunt, aliena non invadunt: quorum progenitores apud omnes Italos communes Patres exiſtimati ſunt: Maxime autem Nicolaus, Leonelli Borſiique Pater, acceptus per Italiam fuit: vir liberalis, & inter ſapientes numeratus: voluptatis tamen nimium ſequax habitus, cui ultra conjugem, concubinarum greges fuere, tum nobiles tum plebejæ atque ruricolæ, ex quibus quamplures ei nati ſunt filii, fœlix ac nimium fœlix, niſi funeſtus eum caſus labefactaſſet, quem hoc loco præterire non poſſumus. Fuerunt ei ex Concubina Ptolomæa, cujus ſupra meminimus, tres filii forma præſtantes & moribus, Hugo, Leonellus, Borſius. Primus candidior celſiorque reliquis, Patris legitimam conjugem, quam ex Domo Malateſtarum duxerat, cum ſæpe familiariter viſitaret, amore ſauciam reddidit, quæ non minus ſibi, quam virgo matrimonii leges transgrediendas arbitrata, nobilem adoleſcentem, incautum, dum modo donis, modo verbis licentioribus allicit, teneræque blanditur ætati, facile ab imperito impetrat, quod non ſine labore peritiores negant. Sed dum miſcentur ſæpius, maleſanos amores minus tegunt. Nequit latere furor! dum repetuntur amplexus. In lucem crimina veniunt. Licet aliquando ſemel atque iterum impune delinquere, perſæpe, non licet. Peſſima neſcio quæ lingua retexit ſcelus, patrique facinus indicavit: impatiens impotensque ſui, iratus pœnas adulterantium quæſivit, neque flecti precibus ullis potuit: ambos præbere cervices gladio juſſit; truncataque ſunt publice honeſtiſſima corpora, flente Civitatis omni ætate: ſic infœlices amantes periere. Patri poſt hæc rarum gaudium fuit, qui & aliorum, & ſuo judicio, in filium crudelis, & in conjugem vel injurius judicatus eſt, ex qua plus, quam præſtaret, exigere voluit. Sed fuit hoc præmium voluptatum, quas paſſim auxit, neque ipſe conjugi, neque conjunx ſibi, fidem ſervavit. Fragilior pœnas ſolvit: potens peccator, quem mundus judicare non eſt auſus, divino judicio ſervatus eſt. Quem ſanguinem ſuum fundere coactum, dum vixit, mens ſemper attonitum habuit, ſurdo verbere percuſſit, occultum quatiente animo tortore flagellum. Is Mediolani, dum Philippi Ducis nomine gubernat Inſubres, mortem obiit. Filii ſtatuam ei equeſtrem in foro Ferrarienſi erexerunt. Leonellus, mitis Princeps, ei ſucceſſit, Muſicæ peritus, pacis tenax, litterarum cultor, epiſtolam ſcribere carmenque facere doctus: cui duæ uxores fuere, Prima Johannis Franciſci Marchionis Mantuæ filia: Secunda Regis Aragoniæ filia ex Concubina nata. Ex prima liberos ſuſtulit: Secunda ſterilis obiit. Hunc ſecutus

eſt

eſt Borſius, neque fratre neque parente minor, qui Ducalem dignitatem primus in Domum Eſtenſem deduxit.

Mira res, ac multis inaudita ſeculis: Italiam, noſtra tempeſtate, maxima ex parte illegitime nati gubernant. Longobardiam Franciſcus Sforcia armis ſibi ſubegit: Calabriam Ferdinandus Alfonſi filius regit, Regnumque Siciliæ univerſum, ad ſe morte paterna devolvendum, expectat. Ferrariam, Mutinam, Rhegium Borſius habet. Romandiolæ & Marchiæ parti Malateſta Sigiſmundus imperat: quamvis magnanimes & excellentes viri, omnes tamen extra matrimonium nati. Taceo Bononiam, Xancti cujuſdam nutibus parentem, quem pro Baſtardo Antonii Bentivolii obſervant: quamvis alii, vulgo natum, exiſtiment. Quis non miretur, Italiæ mores adeo noſtro ſeculo degeneraſſe, ut apud Vrbinates legitime natus Fridericus Comes regnare non poſſit, niſi ſe falſo patre genitum & illegitimum fateatur?

Sed malo res Cæſaris proſequi, quam talia de patria referre. Is, poſtquam ſolennitas Ducalis abſoluta eſt, ingreſſus navem per fluenta Padi Venetias petiit. Cum civitati proximus eſſet, navigia infinita & artificum & nobilium occurrerunt, mirabiles ſumptuoſoſque ludos præbentia. Mare tamen forte tranquillum fuit: ob quam rem, genus omne navigiorum extra urbem miſſum, quicquid erat Pelagi, texit. Franciſcus Foſcari, Dux Venetiarum, vir grandævus, annis ſenex, ſapientia Senior, qui triginta & amplius annis Reipublicæ Venetorum præfuerat, gravi aſpectu, veneranda facie, totius corporis majeſtate ſublimis, cum trecentis Senatoribus primariis urbis nobilibus obviam venit: togati omnes fuere. Qui ut Cæſarem videre, navem egreſſi, ad quoddam monaſterium expectarunt, atque ibi eum ſuſcipientes, in navem Ducalem, quam vocant bucentorium, ſublimique ipſum in ſede locaverunt: Regem ſibi Vngariæ a dextris, ſuumque Ducem a ſiniſtris, & alios ex ordine conſtituentes, in urbem navigavere. Interea circumquaque, per mare latum, millia navium tendere vela, concurſare, vexilla ſuſtollere, invicem joco laceſſere: alii Venerem & amoris ludum, Amazonum prælia, Apollinem novemque Muſas, Bacchum & tres Gratias, ferocem Martem, forteſque ſeculi prioris Duces, Herculem, Achillem, Hectorem, Romulum, Alexandrum, Julium, Pompejum, Auguſtum, Fortunam quoque cœcam regna regentem, Centauros & Gigantes, & centumgeminum Briareum, & Lernæ beluam, monſtriferaſque mille facies oſtentare: alii cœleſtes Angelos, ipſumque Salvatorem reſurgentem atque aſcendentem in Cœlum, multaque cum veteris tum novi Teſtamenti miracula repræſentare: quidam ſuper extenſum currere funem, baliſtam tendere, cimbalum tangere, ſaltare, ſpectaculum diſcrimine plenum præbere. Canale majus, quod rivi alti vocitant, undique populo confertum, feneſtras, oſtia, tectaque domorum, onerata fœminis, inde roſas ſpargi, floreſque mitti, Muſicorum omne genus audiri, inauditam inſolitam feſti-

vi-

vitem universos ostendere. Quippe rem novam novos honores mereri, censebant. Neque enim, memoria hominum eo quempiam Cæsarum introisse, constabat. Nam Veneti post Fridericum primum, quo cum navale bellum habuere, plerumque hostes Imperii habiti sunt. Sigismundus, quamvis cum his pacem fecerit, Paduæque ac Brixiæ & Pergami Vicariatum præbuerit, Venetias tamen adire non est ausus. Verum Domus Austriæ finitima Venetis, in amicitia Venetorum longo tempore perseveravit, eamque Fridericus & conservaverat & auxerat, quæ res eum Venetiis, prægrandi omnium lætitia, excipiendum suasit. Nec minori solemnitate octo post diebus intromissa est Imperatrix. Illi Ducis conjux cum trecentis matronis, uxoribus senatorum occurrit: quarum ullam invenisses, cujus vestimenta mille aureorum non ascenderet. Multi autem existimata est apud Venetos Imperatricis Majestas, in cujus facie decor, in ore plurimus lepos erat: quicquid pretiosi apud Venetos fuit, hoc tempore in propatulo habitum est: Imperator sæpe, sub specie cujuspiam mediocris hominis, stationes negotiatorum invisit, emitque res plurimas domum mittendas.

Deinde cum Dux Senatusque urbis ad Cæsarem diebus fere singulis venisset, de Pace Italiæ factus est sermo, rogatique sunt Veneti multis verbis, ut pacis tractatum amplecterentur, neque finerent nobilissimam orbis terrarum regionem diutino bello vastari. Dux Venetorum, consultatione recepta, postquam in Senatu non reperit placere pacem, reversus ad Cæsarem, ait: populo Veneto pacis nomen omni tempore & cum omni gente fuisse acceptum, cum Francisco quoque sæpe quæsitam pacem: quam cum ille refutasset, ingentibusque contumeliis Rem Venetorum publicam affecisset, coactos Venetos exercitum comparasse. Ventum jam esse ad arma cœptumque bellum, victoriam jam prope in manibus datam, castella quædam capta, prædam non parvam receptam, non convenire Venetorum dignitati pacis tractatum admittere. Ad ea, cum Cæsaris jussu Æneas Episcopus Senensis dixisset, meliorem esse certam pacem, quam speratam victoriam, rursusque rogaret, verba Cæsaris de pace susciperent; nos, inquit Dux Venetorum, plane scimus, quod cum Cæsare loquimur, qui primum inter mortales obtinet locum, cui nefas est verba dare; idcirco, quod facturi eramus, primo verbo expressimus. Responsum invariabile datum est; atque hunc finem Italicæ pacis tractatus habuit. Duri nimis atque elati contra hostes eo tempore visi sunt Veneti. Verum, ut superbiæ mos est, quod tunc oblatum a Cæsare contempserunt, suopte demum ingenio a Romano Pontifice petitum miserunt. Namque, cum postea anno revoluto, Turcorum Dominus violenta manu Constantinopolim occupasset, atque Venetorum Insulis, quas in mari Cretico Ægeoque possident, minatus essset, trepidi confractique, animo Veneti compositionis pacem, quam prius spreverant, omni conatu quæsiverunt.

Mansit autem Imperator apud Venetias diebus decem: Sumptus ei &

& Conſorti ſuæ magnifice ubertimque non ſolum in urbe, ſed in omni eorum territorio præbiti ſunt. Deinde recedentem ipſum omnis Senatus cum Duce ad littus proſecutus eſt. Ibi cum invicem ſepararentur, Jam, inquit Dux Venetorum, libens moriar, quando me Deus tantam nobilitatem intueri dedit: nam quid majus mihi contingere poterat, quam, me Duce gentis meæ, Imperatorem atque Imperatricem, Regemque Hungariæ potentiſſimum veniſſe Venetias. Sed vale Cæſar, & hujus populi devotam erga te mentem commendatam habeto: Cæſar, redditis amicis verbis, ab eo ſæpius amplexatus, abſceſſit.

Medio tempore Legati Vngarorum & Auſtralium, qui Romam iverant, ad Pontificem intromiſſi, plurima contra Cæſarem locuti ſunt: qui Regem eorum veluti captivum contra jus faſque retineret, dixeruntque, jam decretum eſſe in communi provinciarum Conſilio armis cum Cæſare decertandum, futurumque grave bellum & Cæſari periculoſum, niſi Regem Ladislaum ad ſua regna remitteret. Rogabant igitur Papam, tantum mali ut interciperet, ſuaderetque Cæſari, quæ pacis eſſent: ne vellet ulterius invitum pupillum apud ſe cuſtodire, ne ſe objiceret tantarum conatibus provinciarum. Idque ſummi Pontificis officium eſſe. Poſtremo, audiſſe ſe, nonnullos proceſſus adverſus Auſtrales decretos neque juſte neque provide, eos revocandos caſſandoſque eſſe, ne forſitan emiſſi in dedecus Apoſtolicæ Majeſtatis redundarent, ſeditionemque potius majorem quam pacem excitarent. Ad hæc Romanus Præſul pauca pro ſuo more benigneque reſpondit: faviſſe ſe, ait, hactenus multis in rebus fauturumque vita comite bono animo Regi Ladislao: cujus majores de Romana ſede totaque religione Chriſtiana optime meriti fuiſſent. Sed aliam eſſe Auſtralium, aliam Ladislai cauſam: Pupillum eum tutore indigere, neque in manu cujuſpiam rectius eſſe, quam Cæſaris, proximioris & dignioris conſanguinei. Auſtrales, qui ſe officio tutoris opponerent, indigne agere, commonendos, Imperatori ut pareant, & adminiſtrationem tutelæ reſtituant. Si qua Cæſar minus juſte faciat, velle ſe adhortari ſerenitatem ſuam, ne pupillo, neve ſubditis gravis ſit: ſi nolit parere, facturam ſedem Apoſtolicam, quod ex jure fuerit. Proceſſus adverſus Auſtrales promulgatos, nihil mandare, quod non ſit juſtum: contumacibus futuros atroces, obedientibus nihil nocituros: neque revocandos videri, qui rite proceſſiſſent. Ea cum Papa dixiſſet, unus ex Oratoribus, qui ſibi magis ſciolus videbatur. At cauſa hæc, inquit, beatiſſime Pater, minime ex his eſt, quæ tuo judicio ſubſunt: de temporali dominio, de regnis agitur. Cur non impune tibi Auſtrales non pareant? Spiritualia tuæ curæ ſubjacent: temporalia ſeculi Principibus competunt. Si revocares proceſſus, conſultius agas. Commotus talibus verbis Nicolaus, audacter, ait, magis quam docte loqueris: falſa forſitan exiſtimans, quæ de Salvatore ſcribunt evangelia, cum Petro poteſtatem ligandi & ſolvendi non hæc aut illa, ſed quæcunque, conceſſit: quod

Petro

Petro permiſſum eſt, & Succeſſoribus traditum credit Eccleſia. Quo igitur pacto hanc cauſam Apoſtolico negas examini convenire, cui omnia ſubſunt? Inſuper cum Regnum Vngariæ nullum ſuperiorem inter ſeculares Principes accipiat, Imperatorem vero certum ſit, omni temporali poteſtate majorem eſſe; contendentibus his invicem, quis alius, quam ſummus Pontifex, judex erit? dices forſitan, ut plerique, gladius: iniquus exiſtimator es, qui cæcam belli fortunam judicio ſanctæ ſedis anteponas. Verum quid eſt, quod nunc officii noſtri dicis, Imperatorem monere, ut morem Hungaris & Auſtralibus gerat? Cauſam ad noſtrum examen nunc pertinere negas, nunc concedis? Sane ut mentis noſtræ ſententiam teneas, illud propalam dicimus: Aut obedient Auſtrales juſſionibus noſtris, aut extra Chriſtianorum numerum habebuntur. Terrefacti tali reſponſo Legati, Roma quantocius abeunt, ac per mare Tyrrhenum iter facientes, in portum Veneris deferuntur, indeque per vaſtos & aſperrimos montes in Longobardiam deſcendunt: venienteſque Mediolanum, per lacum Comanum & montes Vormii, tum primum ſe tutos putaverunt, cum in agrum Sigiſmundi Ducis deſcenderunt. Tuſciam enim & Venetorum territorium, tanquam Cæſari faverent, ſummo ſtudio declinaverunt. Reverſi autem ad ſuos, Romanum Pontificem, Friderico ſtudentem, ajunt: Ladislao gravem, popularibus infenſum. Ex Cardinalibus potiſſime Johannem Sancti Angeli culpant, quem, cum putaſſent amicum, hoſtem inveniſſent: proceſſus adverſus ſe fulminatos affirmant, ſuadentque reſiſtendum.

Auſtrales vero non multo ante id temporis, cum pecuniam ad res gerendas non haberent, mutuum ex Ludovico Duce Bavariæ ſuſceperunt, partemque ſibi terræ Auſtriæ pignori dederunt. Fuerunt, & qui Ducem illum Auſtralibus junctum fœdere, dicerent, & cum eo ſentientem eſſe Albertum Marchionem Brandenburgenſem: quod ambo Ladislao proximi eſſent ſanguine: maxime Ludovicus, qui ex ſorore patris Ladislai natus eſſet. Quippe Johannes Comes Pulchri Montis (Schaunberg) Legatus in Bajoariam miſſus, Ludovicum multis verbis in ſuam ſententiam trahere conatus eſt. Sed fuit vir in conſilio Ducis, qui Comitem non parum derideret. Namque, cum legerentur litteræ ſuæ legationis, in quibus Eizinger terræ Auſtriæ Capitaneus nominabatur, Miſeret me, inquit, Comitis hujus. Quem cum Cæſaris Conſiliarium aliquando viderim in primis acceptum, uſque adeo nunc eum declinaſſe contueor, ut Eizingeri, vilis hominis, quem noſtra, terra velut inutilem, ab ſeſe repulit, jam nuntius & famulus ad nos tranſiverit. Accidit & aliud huic Comiti relatu dignum, quod ei non parvo documento eſſe poſſet: ſi quid eum turpitudinis pigeret, & non perverſam naturam magis, quam rationem ſequi delectaret. Dum enim conventus Auſtralium apud Viennam frequentiſſimus eſſet, iſque inter primos ſederet, homo, quamvis natu nobilis, tamen cenſu non magno, ſed vitio mentis liberior atque dicacior,

ubi Comitem conſpicatus eſt, profiliens in medium multitudinis, manuque mentum ejus apprehendens: Quo pacto, inquit, ſceleſte bonis te viris miſcere audes, cui neque veri neque fidei cura eſt? Alberto Regi ſemper infidus fuiſti, Fridericum Cæſarem prodidiſti, nunc te ad nos recipis, Ladislao ut aliquando noxius eſſe poſſis. Surge atque in malam crucem abi: fidelium hic, non proditorum conventus eſt. Id quamvis multi ex vero dictum meritoque putabant, tamen delirum hominem apprehendentes in carcerem conjecerunt, qui nobilem Comitem non convicio tantum, ſed manu quoque aggredi præſumpſiſſet.

Fridericus interea, poſt miſſa Italia, cum in montes, ex quibus exiverat, regreſſus eſſet, ac Germaniæ metas attigiſſet, horribile viſu fuit, dictu mirabile videri poteſt, quam turbidam aëris faciem, mutatumque cœli vultum offenderit. Ex aëre puriſſimo, mox nubilus factus eſt: e veſtigio fumigare montes, coruſcationes videri creberrimæ, audiri tonitrua, imbres cœlo cadere, torrentes ire præcipites, volvi ſaxa, tumeſcere flumina, nullius veſtimenta contra diluvium pluviæ ſatis eſſe. Quod præſagium futuræ cladis multi judicaverunt, tanquam voluptatis Italicæ finem, Theutonicæ miſeriæ principium, exciperet.

Apud Villacum igitur cum Cæſar biduo quieviſſet, Johannes Neipergius occurrit, inter conſiliarios ejus & Senior & auctoritate potentior; Vir acris ingenii, & quo nemo libe-A rius ſuo Principi verum dicere aſſuevit: domi nobilis & conſanguineorum ſtipatus catervis, quem Cæſar in Auſtria ex Rectoribus unum dimiſerat. Hic res Auſtriæ turbulentas nulla re niſi gladio reformari poſſe, confirmavit: ſuperbos, inſolentes Auſtrales eſſe, adjutores habere Hungaros atque Moravos, Comitem Ciliæ juniorem & Vlricum Eizingerum multitudinis Principes cunctos ducere, bellum magno conatu parare: gravem tota in terra pecuniæ ſummam indictam indies exigi debere: impediendam omni ſtudio ſolutionem eſſe: B defuturos Auſtralibus milites, ſi defuerit aurum: præcipiendum, ne quis argentum contribuat: ſuapte natura homines ægre pecunias exponere: quid ſi retinere jubeantur? Tum multos eſſe in Auſtria bonos viros, qui novitates horreant: Barones pleroſque in fide Cæſaris perſeverare: nutantes aliquos, ubi Cæſar acriter intenderit, facile ad eum venturos. Placet univerſis conſilium Johannis: litteræ in Auſtriam ſcribuntur: ne quis ad mandatum Eizingeri ſuorumque complicum æra contribuat: ſi quis denarium illi dederit, eum Cæ-C ſari poſthac triplum ſoluturum: ſed hujuſmodi litteræ tardius poſtea miſſæ ſunt. Medio tempore Stirienſes in Prukam vocati, ibi enim duplex via eſt, altera in Auſtriam tendit, altera in Stiriam inferiorem. Conſilium hic cum Stirienſibus receptum eſt: Eundumne ſtatim eſſet ad Novam Civitatem, an Grætium petendum antiquius videretur. Æneas Epiſcopus Senenſis, quoniam Dux Albertus, qui ante ſe ſedebat, in tanta re conſulere noluit, juſſus ſententiam

tiam dicere, novam Civitatem petendam esse censuit: quoniam is locus esset Imperatoriæ sedis, unde iter in Italiam receptum fuisset: videri timidum, nisi eo rediretur, eoque nova nupta conduceretur. Australes, qui fidem servassent, aucturos animos si ad eos iretur; posituros, si fugiantur: hostes, ubi Cæsarem penes se audierint, futuros timidos: audaces, ubi procul eum esse cognoverint. Ex Nova Civitate facile intelligi hostium posse consilia: venturos ad Cæsarem plurimos, qui arcana Comitis & Eizingeri patefaciant: sive cum Australibus, seu cum Bohemis aut Hungaris pertractandum quidpiam fuerit, commodiorem locum esse Novæ Civitatis, quam Grætii: videri ergo in Austriam eundum, conducendum militem, parandum, festinandum, antequam hostes arma sumant: multum valere in bello, priorem occupare campum: Stirienſibus præcipiendum, præsto in armis atque ad signum parati sint, alios Cilienſibus, alios Hungaris opponant. In Austria conducto potius milite præliandum. Atque in hunc modum Æneæ consilium fuit. Cæteri, haud tutum esse, ajebant: in Austriam transitum: non esse difficile Australibus, Novam Civitatem obsidione cingere, Imperatoremque ibi claudere: prius conventum in Stiria habendum, Exercitumque convocandum: Deinde cum magnis copiis intrandam Austriam, ac ferro & igne vastanda omnia, donec superba capita retunderentur. Idque fere omnes dicere: præter Procopium Equitem, & Hartungum Jurisconsultum, qui in sententiam Æneæ pedibus ibant. Dux Albertus, ubi ex utraque parte validas rationes esse animadvertit, sine sententia mansit. Fridericus autem, postquam omnes finiere, turpe, ait, sibique nimis imputandum videri, si metu Australium domum suam repetere non auderet: scire se, nondum hostes esse armatos: prius se militem habiturum, quam illi pecúniam exigere possint, qua volunt exercitum comparare, venisse jam tempus, quo thesaurum exponere oporteat: daturum se omne aurum, patrimonium consumpturum, postremo corpus positurum, ut Australium temeritatem cohibeat, neque passurum se, aut Comitis Ciliæ aut Eizingeri conatibus Austria pelli: benignitate superum satis esse sibi auri, armorum, equorum, & hominum. Aut moriendum sibi, aut ulciscendas injurias Domus Austriæ. Velle se igitur ad Novam Civitatem proficisci, Imperatricem Regemque Ladislaum eo conducere: neque Vlricos, neque alium quempiam ex Austria sibi metum inferre. Stirienses, placere sibi, uti conventum habeant, consulantque terræ Stiriæ, ne quid detrimenti per Hungaros aut Cilienses patiatur: si vocentur in Austriam, præsto adsint.

Sic re concluſa, Albertus in Sveviam perrexit. Contraxerat enim, paulo antequam intraret Italiam, matrimonium cum Sorore Friderici Comitis Palatini; neque adhuc ei conjacuerat: quod nunc facturus erat, simulque Fratri, si opus esset, ex partibus illis militem adducturus. Inter eundum autem de re bellica cum Senensi Episcopo verba fecit: interrogatusque, quonam potissimum milite uti vellet, quolibet, inquit, qui aptus armis suum stipendium mereri non refugeret. Cui Episcopus, cave,

inquit, ne quos Bohemorum hæreti-
A cos tibi adjungas, neque enim id Deo gratum eſt: ſæpe bonam cauſam vitiavere Reges, dum ſe infidelibus conjunxere: felicius cum paucis tuæ fidei pugnabis, quam ſi hæreticorum ingentes copias in prælium ducas: quamvis etiam vincens, in periculo depoſitionis eris. Inter cæteros enim articulos, quibus Romani Pontifices Imperatores privare dignitate ſolent, hic maximus eſt, ſi aut hæreſim ſapiant, aut hæreticis ſe conjungant. Noſti quidem Bohemicam peſtem veneno plenam, Romanæ Eccleſiæ, quæ tibi Coronam dedit, infeſtiſſi-
B mam eſſe: ſi ejus ſectæ homines in auxilium advocaris, Romanam ſedem id ægre laturam, ne dubites: neque Reges Chriſtianos tuum factum laudaturos putato. Tum Cæſar, minime ſe vocaturum Bohemos, inquit, niſi neceſſitas urgeat: non tamen ſibi minus licere, quam Pontifici Colonienſi: qui licet Eccleſiaſticus eſſet, Huſſitas nihilominus in auxilium contra Suſatenſes adduxerat. Marchiones quoque Brandenburgenſes ac Saxoniæ Duces, ſæpe Huſſitis auxiliatoribus eſſe uſos, commemoravit. Ad quem rurſus Epiſcopus, memi-
C niſſe ſe, ait, Johannem Marchionem Brandenburgenſem in anno Jubilæo, cum Romam veniſſet, a Nicolao Pontifice durioribus verbis caſtigatum fuiſſe, quoniam fœdus cum Hæreticis percuſſiſſet: Colonienſem Antiſtitem aut perverſe feciſſe, neque imitandum eſſe; aut ex indulgentia Papæ in favorem Eccleſiæ Huſſitas vocaſſe. Iterum Cæſar, neque ſe id neglexiſſe, reſpondit: locutum ſe Papæ, Bohemoſne poſſet hæreticos in auxilium accerſire: indultumque ſibi eſſe, ubi non poſſent fideles habere, ad cohibendam temeritatem Auſtralium, quodvis genus hominum advocare. Cui Epiſcopus adverſus decreta Pontificis nihil ſtatuit repetendum. Venit igitur Imperator Novam Civitatem, ſuiſque omnibus conſolationi fuit. Auſtrales, qui fidem ſervaverant, læti eum acceſſere, Georgius de Buchaim, Rudigerus de Starnberg, Sigiſmundus de Ebersdorf, atque alii quamplures Barones, quibus indigna videbantur, quæ Comes Ciliæ & Eizingerus agitabant. Cum his de modo gerendi belli conſilium capitur.

Quæ cum Auſtrales accepiſſent, ex alto animo paululum dimiſerunt, rebuſque ſuis diffidere cœperunt: quos cum Eizingerus forti animo eſſe juberet, fuerunt, qui Cæſarem ex Italia cum gloria reverſum, ſibi objectarent, nimiſque ipſum auſum, ſuaque conſilia terræ Auſtriæ damnoſa publice dicerent. Ad quos ille incenſus iracundia: Credideram, inquit, viris me verba facere: ſed invenio muliebres animos. Agite jam ut libet: ego ex Bajoaria unico contentus famulo huc deſcendi, crevique inter vos, Alberto Principi ſumma fide ſerviens: vidi vos hactenus, duris in rebus ingentes animos præſtitiſſe: nunc ſi vobis mutata mens eſt, neque virorum pectore uti vultis, revertar eo, unde veni, neque dedecori ducam, ſi vel ſolus domum repetam: vos naturali domino quam debetis fidem, an ſervaveritis, veſtro judicio relinquo. Exinde Comes Ciliæ Vlricus, Ne movearis, inquit, Eizingere, ſtat ſententia proſequi, quod cœptum eſt: neque, ſi duo vel tres re-

retrorſum ierint, propterea communitatis ruet decretum: timor aliquos adverſos facit, qui magnum eſſe ducunt, rediiſſe Fridericum ex Italia Coronatum, ſecundaque illi omnia fuiſſe. Neſciunt inexperti homines Italiæ mores: non eſt Italis curæ corona, dum vectigalia ſalva ſunt eis, reſque ſuas ipſi gubernant, facile tranſitum præbent Cæſaribus, qui regiminibus eorum non ſe objiciunt, quemadmodum Fridericum feciſſe conſtat, qui Coronam, quam ſecum duxit, ex Italia reduxit, ſuumque caput ſuo auro adornavit. Quod ſi dominari apud Italos tentaſſet, invaſiſſetque Civitates aliquas atque Imperii jura vendicaſſet, idque ſibi ex ſententia ceſſiſſet: tunc eum & ſapientem & fortunatum & timendum faterer; at cum talis redierit, & aliquanto pauperior quam ivit; non eſt cur quiſquam eum timeat. Hæc ubi a Comite dicta ſunt, hortari alter alterum cœpit, ſuadere, inſtare, urgere, bonum animum facere. Hungari quoque ſcribere Auſtralibus, uti Domino ſuo fidem tenerent, neque his adverſarentur, quæ nuper in communi concluſa eſſent. Domini de Roſis auxilia promittere: Eizingerus nunc Bajoariorum, nunc Franconum opes polliceri: avarum Cæſarem, affirmare: moriturum facilius, quam aurum expoſiturum. Conſiliarios habere inexpertos, inutiles, puſillanimes, qui ſuo Principi ſolum adulando ſerviant. Sic perſuaſa multitudine, operas navant, ut quam mature exercitum comparent, pecunias ſumma diligentia colligunt, indigenas in arma compellunt.

Forte per id temporis tabellarius quidam Cæſaris cum litteris Viennam adventaverat, qui, cum opes Ladislai Regis male conſumi vidiſſet, Comitem Ciliæ magnam familiam regio ſumptu alere, Eizingerum ſplendide vivere, Nobiles quoque, ubi poſſent, publicas pecunias rapere; Et quid vos, inquit, Auſtrales Cæſarem incuſatis, tanquam bona pupilli Regis diſſiparet? Plus vos una die conſumitis, quam Cæſaris annus expoſuerit. Id cum Eizingerus intellexiſſet, mox hominem apprehendi, linguamque ſibi abſcindi juſſit.

Vlricus Comes, ubi Cæſarem in Nova Civitate eſſe intelligit, Magdeburgenſi Comiti ſcribit, ſuis Legatis, quos mittere velit, publicam Cæſaris fidem petens. Cæſar, daturum ſe fidem negat, niſi cauſam miſſionis præſciverit. Vlricus non aliam cauſam mittendi Legatos ait, niſi ut coronatum Cæſarem pro ſuo officio ſalutaret, ſimulque caſtrum redderet, quod ab eo teneret, in Villa Bertholdi, non longe a Vienna. Quod ſi nollet Cæſar Legatos ſuos audire, ſaltem mitteret, qui caſtrum ex ſuis manibus acciperent. Cæſar, qui caſtrum recipiant, ad certam diem miſſurum ſe ait, ſi modo fraus abſit. Sed nihil in Comite fidum fuit; certior enim factus eſt Cæſar, ſuos in captivitatem ire, ſi quos mitteret. Comes deinde caſtrum Viennenſibus tradidit. Poſt hæc Cæſar, tanquam res Principatuum legibus agantur, Vlricum Eizingerum Civeſque Viennenſes litteris vocat, certa die ut coram ſe compareant, de vi, de fide fracta, de perjurio reſponſuri. Illi Heraldum, qui ſcripta detulit, ſericeis veſtibus & aureis aliquot nummis donant, gratiaſque Cæſari referunt,

quem

quem cum putassent armis secum contendere, litteris agentem inveniunt, quibus se facile satisfacturos minime dubitant.

Tum quoque & Apostolici Processus ad Viennam, ad Saltzburgam, ad Patavium & Olomucium mittuntur, quibus monentur Australes: intra quadraginta dies Friderico Cæsari administrationem Regni restituere: nisi id agant, anathematis sententia in eos fulminatur. Pergunt & ad loca prædicta Notarii, qui litteras in valvis Ecclesiarum affigant ac publicationis testimonia requirant. Sed nihil horum admissum est. Quippe Saltzburgensis Antistes, tam se prudentem quam potentem existimans, neque Papæ, neque Imperatori parendum duxit: Apostolicas litteras in sua Ecclesia publicari prohibuit: sic enim se litis compositionem melius assumere posse, confirmabat, quasi mox alteri parti suspectus esset, si apud Saltzburgam Processus Apostolici publicati fuissent; cum tamen factum suum in ea re nullum requireretur, & obedire illum Romano Pontifici oportebat. Sed maluit homo sui juris retinens, consilio non desiderato, quam debito obsequio respondere: quod cum permittitur inferiori, omne officium procul dubio imperantis corrumpitur atque dissolvitur. Verum neque Patavienses Canonici meliores fuere, qui jam se fœdere junxerant Australibus, nam cum litteras Apostolicas adesse senserunt, vocato bajulo eas sibi tradi jusserunt, neque multum rogati restituerunt. De Papa atque Imperatore proterve locuti, gloriabundi quoque: namque de suis natalibus nullos se superiores habere, jactabant: & Papam ignobilem, Imperatorem desidem atque inutilem esse, dicebant. Par contumacia apud Olomucenses inventa est. Australes autem Notarium, qui litteras deferebat, apprehensum in carcerem conjecere, plurimisque opprobriis affecere. Vbi vero tenorem litterarum, didicerunt, vocatis Doctoribus, Appellationem hujusmodi interposuerunt. Quoniam Pontifex Maximus Imperatoris Friderici suasibus motus ea nos facere jubet, quæ nec nobis nec Domino nostro Ladislao conducant, gravesque pœnas in nos minatur, nisi paruerimus; cum in nobis oneri sit, arbitrantes eundem Pontificem, ut res inter nos & Imperatorem Fridericum sese habent, ignorare; ab eo parum instructo, ad eundem instruendum informandumque magis, sive ad Concilium generale indictum, seu indicendum, vel demum ad universalem Ecclesiam appellamus. Ea consilia male consulta, sunt qui Theologos Viennenses præbuisse affirment, apud quos auctoritas summi Pontificis odiosa est. Nam legum & Canonum interpretes nemo tam deliros fuisse credit, ut a Romani Pontificis decreto, quod ex certa scientia emissum est, appellari posse suasissent, cum id jure manifestissimo sit prohibitum. Appellationis autem schedula & apud Sanctum Stephanum Viennæ affixa est, & in Saltzburga, permittente Præsule, publicata. Tanta est auctoritas Ecclesiæ, & Sacrorum Canonum apud illum hominem reverentia. Processus autem Apostolici & in nova Civitate publicati sunt, & apud Castrum Gars ultra Danubium. Nec dubium est, quin Australes his ligati fuerint, quorum exitum sentient,

cum

cum illi placuerit, qui ſuam vindictam, quo magis differt, eo graviorem infligit.

A

Dum hæc in Auſtria geruntur, Albertus & Ludovicus Bavariæ Duces, & cum his Albertus Marchio Brandenburgenſis, Legatos ad Cæſarem mittunt, qui reverſioni ejus felicique coronationi gratulentur. Contentionem vero, quæ inter Cæſarem & Auſtrales emerſit, indignam eſſe dicant, moleſtamque ſibi: laudent concordiam: mediatores ſe pacis offerant, excuſatoſque reddant, quod Romam non iverint. Poſtremo Cæſarem rogent, ne fidem adhibeat, ſi B quis eos detulerit, Auſtralibus præbere favorem. Cæſar Principes illos commendat, qui Domini ſui gloriam libenter videant, honorem ſuum & illorum eſſe affirmat, capitis laudem membra quoque ornare: optaſſe ſe, illos comites itineris habuiſſe: multum enim ſplendoris ſuæ coronationi præbuiſſent: arbitrari ſe tamen, urgentes fuiſſe cauſas remanſionis: nihil ſe mali de ipſis credere, quamvis Eizingerus publice dixiſſet, in conventione Auſtralium: Ludovicum Ducem & Albertum Marchionem ſui propoſiti adjutores eſſe: ſed illud ab C eo fictum fuiſſe, ut eo facilius multitudinis animos in ſuam ſententiam traheret. Contentionis quoque Auſtralicæ ortum, progreſſumque Legatis exponi juſſit, imperans eis, ut ſuis Dominis cuncta referrent, eoſque nomine Cæſareo hortarentur, aſſiſtentiam ſibi, ut eſſent obnoxii, facerent, pacem vero ſemper acceptam fuiſſe Cæſari, neque recuſaturum hodie concordiam, quæ nihil habeat turpitudinis, quamvis inſolentem multitudinem melius ad honeſta rigor quam manſuetudo reducat. Atque cum his reſponſis Legati abierunt.

Poſthæc Cæſar equitum quatuor millia conducit, peditumque non parvum numerum. In Bohemiam quoque mittit, qui Gregorium Gubernatorem Regni in ſuas partes trahant. Neque ille conditionem reſpuit, ſtipendii ſolum parvitatem contemnit, venturumque ſe pollicetur, turbaturumque omnem Auſtriam, ſi ſtipem militi neceſſariam habeat. Prior Cæſar in armis exercitum, quam Auſtrales habuit. Quod ſi nondum illis paratis in campum exiviſſet, atque ante Viennam ſe oſtendens ferroque & igne terram vaſtare cœpiſſet, non dubium, quin multitudo inconſtans, ſine certo rectore nutans, ex propoſito cecidiſſet. Nam & feroces ſæpe populi, tum Reges bello præventi, tumidos animos poſuere, pacem ex arbitrio tenentis arma petentes. Adeo magnum eſt, priores belli partes occupaviſſe. Porro Auſtrales inter ſe diviſi, carentes milite, cauſæ parum fidentes, neque natura ſua, niſi cum hoſtes fugiant, audaces, omnium, qui ſapere exiſtimati ſunt, judicio, armatum atque urgentem Cæſarem nequaquam tuliſſent. Sed data ſunt omnia deſuper, quo vult Deus, eo victoriam flectit. Vani ſunt omnes hominum conatus, niſi Deum habeant adjutorem. Conſiliariorum magna pars ſuadebat, e veſtigio Ducem belli fortem & fortunatum eligi virum, exire in campos militiam, vaſtare hoſtium agros, prædas agere, caſtra in monte Viennenſi ponere. Quorum vocibus nihil momenti fuit. Tres tantum viri apud Cæſarem auditi ſunt, qui plus

cæteris ſapere putabantur, duo Johannes, alter Neipergius, alter Vngnadius, & Gualterus Zebinger: cum his enim Cæſar in abditas cameras ſeſe reducere ſolitus erat, reſque cunctas eorum conſilio gerere: ſive quod eos præ cæteris prudentiores exiſtimavit, ſive quod fidem eorum ſolidiorem credidit. Quidam putaverunt adulationibus & malis artibus horum potentiam apud Cæſarem ingentem fuiſſe. Nos exploratum habemus, omnes Principes penes ſe habere aliquos, quorum converſatione jucundius ac prolixius utantur; & quibus imputari omnia ſolent, quæ Principibus accidere videntur adverſa. Cum his autem Cæſar de re bellica diſponens (nam cæteros raro ad conſilium ejus negotii admiſit) duo millia equitum trans Danubium deputat, hiſque Rudigerum de Starnberg, forti animo & alto conſilio virum, præfecit: Comitemque ſibi Georgium de Puchaim adjungit, antiquum & potentem Auſtriæ Baronem: apud ſe, in Nova Civitate, & in proximis locis, reliquos equites retinet, quibus, cum Johannem Neipergium præficere voluiſſet, nunquam id ex eo extorquere potuit, ut Capitanei nomen aſſumeret. Electus eſt igitur Dux militiæ Georgius Tſernahora Baro Moravus, domi nobilis, & rei militaris expertus, verum Huſſitarum labe infectus, & oculo altero carens. Neque enim hujus mortalis lucis plenam ei viſionem permittere Deus voluit, qui fidei lumen integrum non haberet. Octingenti equites & totidem pedites in Nova Civitate retenti ſunt: reliqui milites, peſſimo conſilio, per diverſa caſtella diſtributi. Perſuaſum eſt enim Cæſari, A ſatis eſſe, ſi caſtra ſua bene munita tueretur, atque militem præſto habens terreret Auſtrales: neque enim eos tot copias poſſe comparare, ut caſtra facerent, ſumptus eis futuros graves, dum viderint, in longum rem protrahi: neque perſeveraturam plebem, ne gladium verſaret, qui ſolo tempore vincere poſſet. Contrariam tamen ſententiam plurima ſuadebant: nam populos nulla quam repentina mala magis frangunt: neque Cæſari minus graves expenſæ, quam Viennenſibus erant, & poſt duos menſes induciæ cum Hungaris Bfiniebantur, quibus durantibus non licebat eis auxilium Auſtralibus ferre, finitis, non erat dubium, quin novo fœderi ſatisfacerent: neque probandus eſt, qui, cum poſſit hodie vincere, in craſtinam pugnam transfert, maximeque illud improbabile fuit, quod de copiarum diviſione prædiximus. Multis enim in locis, oppreſſæ partes militiæ ſunt, quæ ſimul junctæ, hoſtes fuerant oppreſſuræ. Sic ordinationi divinæ placitum eſt, cujus voluntati nullius curæ ſollicitudo poteſt obſiſtere: quicquid patimur mortale genus, quicquid facimus, venit ex alto. At cum Cæſar C eo deductus eſſet, ut neceſſe haberet, aut ſuos lædere, aut a ſuis lædi; laudandus eſt, ſi pati potius, quam facere ſcelus maluit.

Auſtrales interea, cum execrationibus Apoſtolicis ſe devotos cernerent, cumque citatum ad Imperiale tribunal Eizingerum & Viennenſem conſulatum intelligerent, multa in Papam & Cæſarem probra devomere: Nicolaum adverſum decreta concilii Baſilienſis electum, non eſſe Papam, di-

dicere: Felicem verum fuiſſe Pontificem: Fridericum inique Concilium ex Baſilea deturbaſſe: Eugenium depoſitum contra jus faſque juviſſe: ejus opera Nicolaum Petri cathedram invaſiſſe: qui Fridericum, imperio minime dignum, coronaverit, compenſaſſe ſibi invicem crimina: neque illum Papam, aut iſtum Cæſarem legitimum eſſe, indignum utrumque tanto honore: ſceleratiſſimum Nicolaum, qui etſi Papa eſſet, non tamen ſecularibus ſe rebus immiſcere deberet, atque injuriam magno Principi, Regi Vngariæ, irrogare: futurum brevi concilium, ubi tanta temeritas compeſcatur: velle ſe Gallicis aſſiſtere, atque cum his concilium celebrare. Sic fex illa populi Viennenſis, ultimæ ſortis multitudo, cænoſa ſocietas, loquebatur. Quos ſermones non ex ſe habuit: neque enim tantum penſi plebibus ineſt. Schola, quæ illic eſt, arma miniſtravit: in qua ſingulares opiniones, cerebroſaque capita ſemper dominari conſueverunt, ac mentes magis elatæ quam doctæ, & nimis de ſe credentes, cathedras regunt: ingrata filia ſedis Apoſtolicæ, quæ filios novitatum cupidos matri rebelles ac magiſtros erroris nutrire non erubeſcit. Hac inſtante, ut fama fuit, qui rem publicam gerebant Auſtrales, cum vererentur in Cæſarem vel ſummum Pontificem ſcribere, contra Johannem Vngenadium virus omne devomunt, cui litteras hujuſcemodi direxerunt: *Vlricus Eizingerus Capitaneus, cæterique Gubernatores terræ Auſtriæ, Johanni Vngenadio, Imperialis Cameræ Magiſtro, S.p.d. Quamvis in omnes ſemper malus fueris, in nos peſſimus, neque ſpes ſit, te unquam*

A *quod emendes, (nam factus mali moris habitus mutari non poteſt) pro noſtro tamen officio ſcribere tibi pauca decrevimus, quibus & te ipſum agnoſcas, &, ſi non mutes vitam, ſaltem erubeſcas de vita, ſciaſque, nos tibi nimis hactenus indulſiſſe. Nimis multa ſunt, quæ de te turpia dictu, obſcœna auditu, miſerrima factu, referri poſſunt: quæ quoniam tu non es veritus perpetrare, neque nos timebimus dicere. Diu regnum inter nos poſſediſti: tu enim nobis imperaſti, non Cæſar: pudet nos patientiæ noſtræ, qui tanto tempore ſceleratiſſimum te omnium,*

B *qui vivunt, hominum, tolerare potuimus: ſed abjecimus jugum tuum, neque ſuper nos amplius dominaberis; neque nos Cæſar mutare dominium compulit, qui ſuapte natura bonus eſſet & amandus Princeps, niſi te ſequeretur. Tu nos arma ſumere & Imperium Friderici dejicere compuliſti: qui licet humili loco natus, incredibili tamen ſuperbia viges: nemo te alloqui potuit, niſi detecto capite: nulli oſtium tuum patuit, niſi munera deferenti: pede pulſanda apud te janua non manibus fuit.*

C *Omnes unus præcedere voluiſti, primus in conſilio loqui, primus ſedere, proximus Cæſari adſtare, & quamvis reverentiam ab aliis exigeres, non tamen ipſe Cæſarem reverebaris: ſæpe illo ſtante ſedebas: ſæpe ſuper ejus humerum, quaſi ſocius, quaſi magiſter brachium reponebas: ejus equitantis primus ſtipabas latus. Cumque non liceret tibi præcedere Principes, qui aderant: fingebas, te habere aliquid negotii, quod Cæſaris in aurem ſtillares, ut, qui te viderent Principi proximum, unum te mirarentur, ſalutarent, honorarent. Facilius Cæſarem, quam te alloqui potuimus, qui neque*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*nobis reſpondere dignabare: gravis & intolerabilis tua ſuperbia fuit, ſed intolerabilior ingens illa tua rapacitas, qua omnes vexaſti, clericos & laicos: omnes tibi vectigales fuimus. Quis aliquando gratiam quampiam ex Cæſare tulit, qui non te prius auro placaverit? Apud te venalia cuncta fuerunt: præturas, præfecturas, ſacerdotia, honeſta & inhoneſta, ſacra & profana, pecunia vendidiſti: qui plura dedit, non qui majora meruit, te conante, magiſtratum obtinuit: ſæpe quoque ex nuda promiſſione argentum extorſiſti, deinde plus offerenti præfecturam commiſiſti: ille apud te melior indicatus eſt, quem pecunioſiorem inveniſti: nihil tibi dulcius, quam pecunia fuit. Nos tuam domum tritico, vino, ſale, carne, piſce complere oportuit: fœnum bladumque tuis equis dedimus: clavos quoque tibi coëmimus, quibus equos ferro munires. Omnis tua ſupellex dono parata eſt: religioſos viros, Barones, pari tenore cum plebibus habuiſti. Quippe ſolitus apud Novam Civitatem Judæos deglubere, quorum anſeres & anſerum jecinora devoraſti, nos ex illorum more tractandos exiſtimabas. Splendidas cœnas, lautas menſas, ex pauperum tibi ſanguine comparaſti. Omittimus nuptas ad te, domumque tuam noctu deductas, defloratasque virgines, dum tuum patrocinium apud Cæſarem rogant. Quid de tuis mendaciis ſatis referri poteſt? nunquam ex te verum, niſi errante, auditum eſt: nunc promittere, nunc promiſſum negare, dictum atque indictum apud te juxta fuit, neque jurata tua fides ſtabilis manſit. Ad hæc monebas Cæſarem, ne cui ſe crederet Auſtrali: raperet ex Auſtria, quæ poſſet: ſciret ſe aliquando dominium dimiſſurum: quod medio tempore de pupilli hæreditate ſurriperet, id ſuum eſſe. Caveret, ut quam exhauſtum patrimonium patrueli relinqueret: ſed inde qui fructus ex tuo conſilio ſunt ſecuti, meminiſti; quamvis es memoria breviori. Comitatum Tyrolis in poteſtate Cæſarem habuiſſe, quid ni memineris, illum qui expilaſti? Scis Auſtriam & Moraviam ab eo gubernatam: Scis Hungaros, Bohemos, Sileſitas frequenter ad eum recurrere ſolitos: regnorum negotia ex ſuo conſilio agitare, magnum tunc tuum nomen, ingens potentia fuit. Sane dextra manus Cæſaris, conſiliorum oculus, cor Principis, dicebare. Extende nunc brachium tuum extra Stiriam, ſeu Carinthiæ, Carnioliæve montes, nemo te timet, nemo te pendit, rident te omnes, atque contemnunt: quodque videmus inviti, ſpernitur etiam tua culpa Cæſar: primi Tyrolenſes tuam inſolentiam retuderunt, armiſque ſuum dominum vendicarunt. Hungari, cum tuo nutu duci Cæſarem viderent, offenſi tuis moribus, ex curia retraxerunt pedem, nec Bohæmi diu manſerunt, poſtquam te magiſtratus, judicia, juſtitiam, atque ipſum vendere Cæſarem, animadverterunt. Vltimi nos ac Moravi in obedientia manſimus, & quamvis graviſſima eſſent onera, quæ te ſuadente nobis Cæſar imponebat, quia tamen ſperavimus, corrigi mores veſtros, &, ſi non te, ſaltem Cæſarem ad ſanitatem reverti, veſtras ineptias diu nimiſque patienter tulimus. At cum vos patientia noſtra abuteremini, ſecuti ſumus Atheſinorum exemplum, atque in libertatem nos vindicavimus, ut nobis ipſis & domino noſtro conſuleremus. Non eſt cur nobis Cæſar infeſtus ſit, ſi tuis rapinis nolumus ulterius*

*terius ſubjacere : nihil ex Cæſare petimus, niſi Principem noſtrum. Nam, quæ per annos undecim a nobis excuſſit, conſcientiæ ſuæ relinquimus. At ipſe tuo conſilio deceptus ( nam cæteri Conſiliarii, quæ ſunt pacis, amant ) tradere Dominum negat, armis contendere nobiſcum apparat, vincula cædeſque minatur: nihil movemur; ſtat ſententia vendicare Dominum, arma in manu ſunt. Nobiſcum Hungari, Bohæmi, Moravi, Sileſitæque ſentiunt. Amittet Ladislaum Cæſar, niſi dederit. Eum ſi non impetrabimus, rapiemus. Nimis temerarius Cæſar eſt, ſi ſe confidit, tantis viribus obſiſtere poſſe. Quibus ex rebus, etſi ſcimus, nos verba perdere, tamen rogamus te, ut aliquando tua facta conſideres, melioremque mentem recipias, neque ſemper, quæ peſſima ſunt, Cæſari conſulas. Satis vulneratus eſt tua culpa Cæſar: noli Principem, qui tibi credit, funditus extinguere, reduc in memoriam male conſulta conſilia tua. Amiciſſimus Cæſaris, Colonienſis Antiſtes, alienatus eſt; cum ſibi, te ſuadente, contra Suſatenſes negatum eſt auxilium; tuo ſuaſu perditi ſunt Turicenſes, adverſus Suicenſes arma ſumentes: res Atheſinæ tua cauſa perditæ ſunt: per te Mediolanenſe negotium infectum eſt: res Goritiæ ad intentionem Cæſaris vadentes, quis niſi tua negligentia atque inſcitia perturbavit? Quis Cilienſes Principes, niſi arrogantia tua, a Cæſare alienavit? Quid de Friſingenſi Eccleſia dixerimus? Quam Johanni de Viridi ſilva vendidiſti, ſummumque illum & excellentiſſimum veſtræ Curiæ lumen Caſparem Cancellarium prodidiſti: tu Magdeburgenſem Archiepiſcopum, & Saltzburgenſem, quia non datur auri, quantum flagitas, ab inveſtitura repuliſti. Nunc quoque Patavienſem electum omni conatu perſequeris, parum tibi offerentem. Sic tu Cæſari, quæ ſunt in rem ſuam, conſulis: ſic imples fidem, juramentumque tenes. Nihil eſt, quod unquam tuo conſilio laudandum a Cæſare factum ſit. Nam quod res Eccleſiæ compoſuit, quod uxorem illuſtrem duxit, quod Romæ feliciter coronatus eſt, quod Ducem Mutinæ creavit, quod apud omnem Italiam honoratus fuit; ideo res bene geſtæ ſunt, quia tuo conſilio geri non potuerunt: qui negotia Eccleſiaſtica neſcis, litterarum non ſolum ignarus, ſed etiam hoſtis: neque res Italas, aut Hiſpanas tractare, ſermonis neſcius, potuiſti. Quod ſi tu illarum rerum ductor fuiſſes, ſicut & cætera Cæſaris facta, ſic & iſta male abiiſſent. Neque de corona Theutonica, quod te laudes, afferre potes. Vtimus tunc inter Cæſaris caros habebare. At cum jam ſolus Cæſari conſulas, ſolus ejus curiam regas, cum per ſe ille tuo conſilio neſciat abſtinere; miſereat te ſaltem ejus, qui de ſtercore te erexit: noli Principem de te bene meritum perdere, aut contraria his, quæ hactenus ſuaſiſti, conſule; aut, ſi bene conſulere neſcis, conſiliariatu te ipſum abdicato, mutatoque tandem mores, ut, qui male vixiſti, bene, ſi fieri poteſt, quod minime credimus, moriare, Vale!*

Has litteras, cum Johannes accepiſſet, mirabundus atque indignatus vehementer, eas ad Cæſarem detulit, juſſitque in conſilio legi. Indigna ſcribere nonnullis Vlricus videbatur: quidam tacere, atque inter ſe clanculum vera eſſe dicere, quæ ſcribebantur, gaudereque, tandem aliquem eſſe repertum, qui Johannis caput acri lixivio

purgaret, insolentiamque retunderet hominis tumidi. Cæsar autem, etsi se morderi non ignoraret, haud tamen movebatur, Johannisque contumelias æquo animo ferre videbatur. Ille vero in hunc modum respondit: *Johannes Vignadius Ulrico Eizingero salutem. Tantum esse tibi a republica otii, ut maledictis des operam, miror: qui ausu nefario Austriæ Principatum invadens, contra jus fasque dominatum arripiens, cogitare satis haberes, quo pacto vitam tibi tuisque complicibus retineas. Sed facit hoc otium tibi mansuetudo ac clementia Cæsaris: qui etsi tuis malignis atque nefandissimis conatibus omni ingenio resistere, teque arte quavis perdere studere deberet, juris tamen ordine tecum agere pergit, teque potius flectere, quam frangere cupit. Indigne meo judicio; nam cum tu ferro Cæsarem atque veneno extinguere curaveris, cur non te ipse tuis artibus persequatur non video, cui quam facillimum esset, hominem comparare, qui te medio in foro truncaret. At cum Cæsar non tantum, quod tua perfidia meretur, quantum quod se decet, animadvertit, tu ad convitia te convertis, meque obscœnis carpere verbis audes. Quid mirum si tua mihi malignitas non ignoscit, quæ neque Cæsari parcit? Divo Cæsari tanquam Tutori Ladislai Regis fidem dedisti: in consilium ejus admissus jusjurandum præstitisti: Romano Imperio, cujus auctoritate nobilitatus eras, maximo vinculo tenebaris. Effare, quo pacto tuo debito feceris satis; si fidei, si juramenti, si boni, aut æqui, memor fuisti. Dum Cæsar Romam proficiscitur, concionem Australium advocas, superiorem dominum tuum accusas, seditionem concitas, tumultum facis, rebellare multitudinem cogis, principatum sceleratæ multitudinis accipis: fideles Cæsaris armis oppugnas, palatium invadis, judicia usurpas, publicum vectigal exigis: neque contentus his, litteras ad Romanam Curiam scribis, quibus Cæsari negandam esse coronam suadere conaris: hoccine fidem servare est, an prodere? Siccine domino tuo consulis? Tu mea consilia Cæsari damnosa esse, contendis; at ego tua facta perniciosa ostendo. Si non est consilium meum prudentis hominis, certe fidelis est: decipior, fallor opinione, neque ego, quod esset, sed quod putarem optimum, juravi me consulturum, tu Cæsari certa scientia noces, quem publice criminaris: quem sua tutela depellis, cui necem struis. Quis nostrum pejerat? En audaciam & perfidiam hominis! tibi ipse malefacta condonas, mihi male consulta imputas. Non jactito me sapientem, sed ajo, me nihil Cæsari suadere, quod non ex usu putem: si secus evenit, a crimine procul absum: consilia rerum, non exitus metiri oportet. Tu ex proposito lædis, mala mens, malus tibi est animus, ipsa tua te negotia produnt: sed culpas me superbum, & arrogantem, quia non tibi veteri atque potenti homini cessi: quia non te, quotiens voluisti, secutus sim. Indigne tulisti, cum Baroni tibi & seniori, minoris ætatis eques ego tecto capite verba feci: tanquam non sit tua conditio nota omnibus, qui ex Bajoaria fugitivus in Austriam novus homo venisti: nemo progenitores tuos novit: te fere omnes insignem esse criminibus norunt. Majores mei, quos parvi facis, ante memoriam hominum, qui vivunt, in Stiria atque Carinthia nobiles habiti, & in primis magni fuere. Quid mirum,*

rum, si non potui novo tibi homini & sceleribus aucto morigerus esse: si eos sprevi, qui me apud Albertum spreverant, si fecem populi superbientem contempsi, si Cæsari adhæsi, cum me voluit? Sæpe is mecum sermones seruit, non tam necessario, quam ut te cæterosque garrulos & iniqua petentes evaderet. Confer denique tuam superbiam, rogo, cum mea. Ego te rure venientem despexi; tute Cæsari præferendum existimasti: qui, rogas? Nescis emptionem Castri de lapide formidinis apud Albertum Ducem quanta præsumptione sis prosecutus. Quid illud: nunquid superbissimum est, quod te nobilitatis Austriæ ductorem appellas? Quamvis sint alii quam plurimi, qui te, non dico nativo sanguine, (nam hic nullus tibi contigit) sed divitiis ac prudentia superant. Ea demum vera superbia est, quæ hominem supra virtutem, supraque meritum effert. Tu cum boni & graves viri honorem tibi nullum deferrent, ad vulgares & infimas plebes confugisti, ut qui non poteras apud integros crescere, apud corruptos & obsoletos mores magnus evaderes. Verum, quia me rapacem insimulas, oro mihi respondeas, unde tibi tot opes advenere, ut castella pignoris nomine reciperes, oppida comparares, Baroniam coëmeres? Profugus, inops, nudus ex Bajoaria descendisti: nulla tibi hæreditas obvenit: negotiari te nemo vidit: neque Princeps neque privatus in te dona contulit: nulla tibi militia prædas attulit: neque thesaurum invenisse te rumor ait. Vnde igitur tam repente dives evasisti? At fuisti exactor publicæ pecuniæ, magistratum hubarum gessisti, omne argentum atque aurum regionis in tuas manus incidit: quid mirum si non potui novo tibi homini & sceleribus aucto morigerus esse: si eos sprevi, qui me apud Albertum spreverant, si fecem populi superbientem contempsi, si Cæsari adhæsi, cum me voluit? Sæpe is mecum sermones seruit, non tam necessario, quam ut te cæterosque garrulos & iniqua petentes evaderet. Confer denique tuam superbiam, rogo, cum mea. Ego te rure venientem despexi; tute Cæsari præferendum existimasti: qui, rogas? Nescis emptionem Castri de lapide formidinis apud Albertum Ducem quanta præsumptione sis prosecutus. Quid illud: nunquid superbissimum est, quod te nobilitatis Austriæ ductorem appellas? Quamvis sint alii quam plurimi, qui te, non dico nativo sanguine, (nam hic nullus tibi contigit) sed divitiis ac prudentia superant. Ea demum vera superbia est, quæ hominem supra virtutem, supraque meritum effert. Tu cum boni & graves viri honorem tibi nullum deferrent, ad vulgares & infimas plebes confugisti, ut qui non poteras apud integros crescere, apud corruptos & obsoletos mores magnus evaderes. Verum, quia me rapacem insimulas, oro mihi respondeas, unde tibi tot opes advenere, ut castella pignoris nomine reciperes, oppida comparares, Baroniam coëmeres? Profugus, inops, nudus ex Bajoaria descendisti: nulla tibi hæreditas obvenit: negotiari te nemo vidit: neque Princeps neque privatus in te dona contulit: nulla tibi militia prædas attulit: neque thesaurum invenisse te rumor ait. Vnde igitur tam repente dives evasisti? At fuisti exactor publicæ pecuniæ, magistratum hubarum gessisti, omne argentum atque aurum regionis in tuas manus incidit: quid mirum si rubigo remansit? Teneo jam te, habeo: furto publico ditatus es: qui cæteros morte afficit, peculatus te dominum fecit. Quod vero me xenia recepisse dicis, collatis beneficiis, non æstimo reprehensione dignum. Quis enim Reipublicæ serviens non ex re publica vitam ducit? Sacerdotes ex altari vivunt, in quo rem divinam faciunt. Si quis in me gratum se præbuit, cur ejus munuscula respuere debui? Officia, si qua pecunia data sunt, non mihi, sed Reipublicæ aurum obvenit. Quod si malum est, miror, qui tu idem facias. Quis modo præfecturam quamvis minimam accepit, nisi argentum contulerit? Quo pacto tibi honestum est, quod in me turpe fuit? Quis tibi nunc non censualis est? Quot dies singulos tuas ædes intrant munera? Cum facias omnia, quæ me feciſſe criminaris, quis non intelligit, actorem tibi, non actum displicuisse? Solus qui furari posses, esse cupiebas, idque conatus es implere. At quamvis furto vivis, incumbisque rapinis, non tamen solus rempublicam expilas. Quam plures in hac nova gubernatione vestra tui similes emersérunt? In prædam datus est Ladislaus: quod cum tibi in faciem diceretur, commotus conscientia criminis, libertatem loquentis linguæ amputatione multasti. Peto ex te rursus, quoniam te curiosum Ladislai bonorum assimulas, ac Cæsaris pignora reprehendis: cur non castella restituis, quæ tibi inscripta pignori sunt? Doles pauca esse, plura malles. Id te Cæsari alienum fecit, quia, quæ petivisti, non omnia dedit. Intelligo cur novandarum rerum consilium accepisti; obstantem cupiditati tuæ Cæsarem ferre non poteras. Transis deinde, mendacemque me dicis, nullum tamen

habes

*habes teſtem, qui me ſibi mentitum di-* A *cat, oſtendiſque te maxime mentito-rem, cum aliena inſectaris mendacia, quæ non reperis. Vna tamen uteris cautela, ne nimium mentiaris. Nam poſteaquam in Auſtriam veniſti, annis jam ſupra triginta, ut ajunt, nunquam confeſſus es, nunquam te ſacerdotibus oſtendiſti. Cur Eccleſiæ juſſionem ſpernis? Quippe ne vel prodere horrenda ſcelera tua vel mentiri cogaris, verax homo, ſolidus religioni addictus. Denique cur tu mihi impudicitiam & adulteria imputas, impudentiſſimus omnium: luxurioſior ſue, hirco libidinoſior? Fa-*
*terer me dignum quovis ſupplicio, ſi* B *vera diceres: neque enim, qui vitam alteram præſtolatur, hujus ſervire illecebris debet. Tibi vero nihil ſuccenſendum eſt, ſi voluptatibus hujus ſeculi ſervis, qui futuri ſpe nulla teneris: hic te cæno involvis, hic te Veneri Bacchoque dediſti. Sic tua te admonet phytoniſſa, cujus nutu duceris: duce diabolo vitam agis nimirum, ſi bonos omnes odio habes. Poſtremo quam magna minaris, niſi Ladislaum Regem obtineas. Non eſt meum, dicere, quæ ſit mens Cæſaris. Illud ajo, ſi*
*meo conſilio, quemadmodum putare* C *videris, res agerentur; neque tuum ſcelus, neque Viennenſis populi temeritas, aut univerſæ gentis Auſtralicæ perfidia impune cederet. Docerem te atque illos, quam grave ſit, ſuo domino fidem fallere, juriſjurandi religionem contemnere, divina & humana jura pervertere: quaſque de tuo ſceleratiſſimo capite, ſumpturus eſt magiſter tuus Sathan, ego ipſe pœnas ſumerem: neque te meis manibus, aut Sileſitæ bibuli, aut mendaces Hungari, poſſent eripere. Vale quantum volo.*

Talibus ultro citroque delatis epiſtolis magis irritati animi ſunt. Eizingerus hortari proceres Auſtriæ, monere Viennenſes, rogare Vngaros, invitare Bohemos: parare, feſtinare, neque die neque nocte quieſcere, dum copias ad caſtra metandum cogeret. At cum pauciores ſe milites habere cerneret, quam neceſſarios ad obſidionem Novæ Civitatis exiſtimabat; ne tempus fruſtra laberetur, dum auxilia vicinorum præſtolatur, cum ſolis Auſtralibus, & his, quæ Ciliæ Comes adduxerat, auxiliis, Viennam egreſſus trans Danubium pergit, atque ante Ort caſtra metatur. Id caſtellum in terra Auſtria hæreditarium Imperatoris erat, muro & foſſa egregie munitum: intus ſexaginta fortiſſimi juvenes cuſtodiam habuere. Inter quos duo Cæſaris cubicularii Mittendorffius & Aſpanius, inſignis animi de ſe fidem præſtitere: qui ſæpe extra portam progredientes laceſſere hoſtes in ſuis caſtris minime timuerunt: neque firmata obſidione, eruptionisque omnium facultate præcluſa, ullam deditionis conditionem accipere voluerunt. Pugnatum eſt ibi ſumma vi octo diebus, cum modo ex hac, modo ex illa parte, quæ minus ad defendendum idonea videretur, hoſtes in oppidum niterentur irrumpere: neque ulla hora lapides bombardarum, cæteræque belli machinæ conquieſcerent. Sed illi die noctuque in armis exiſtentes, nullum inſidiis apertum locum permittere, vires viribus retundere: oppugnantes, nunc telis, nunc ſaxis e muro præcipites dare: miſſilum omni genere multos in caſtris occidere. Ad poſtremum tamen, cum turpe ducerent hoſtes, ante unicum oppidum cum magno

gno ſuorum damno tantam moram ducere; irritati ſuorum moribus, jam murorum non parva parte dejecta, uno omnes impetu concurrentes, accepta multa materia foſſam complent: ſagittis atque bombardis Cæſarianos ex muro proturbant, crates jaciunt, ſcalas admovent: pugnatur uno tempore omnibus locis, quæ minime pars firma eſt, huc concurritur: fit magna cædes, audaciſſimi hoſtium cadunt, diu res dubia perſeverat: ſed trajectus tandem guttur Aſpanius, defeſſis commilitonibus magis quam victis, cum vix quiſpiam ſine vulnere ſuorum remanſiſſet, loco cedens, ingreſſum hoſtibus præbuit. Sic caſtellum captum eſt, direptum atque incenſum, præda militibus diſtributa. Cuſtodes, qui prælio ſuperfuerant, in captivitatem ducti. Aſpanium cum milites occidere vellent, Eizingerus, quia neptem ejus deſponſatam haberet, e manu multitudinis liberavit.

Dum hæc aguntur, Rudigerus Sterembergius, unus ex Cæſarianis Ducibus, munitionem quandam ultra Danubium aggreſſus, ad quam plurimi confugerant, non ſine grandi cæde expugnavit, atque diripuit, prædamque non modicam, & captivos admodum multos, domum duxit. Nec facta mora equitatum omnem educens, uſque ad pontem Danubii, quo Viennenſes utuntur, omnes villas agroſque populatur, atque in ipſis pontis anguſtiis fugientes intercipit, adeoque magno impetu munitionem pontis aggreditur, ut ægre ab expugnatione repelli potuerit. It rumor in civitatem: pontes Danubii, ab hoſtibus teneri, dicuntur. Alii accurrentes e proximis villis nuntiant, Cæſarem cum forti exercitu Viennam petere, jamque montem aſcendere, qui ſupereminet civitati. Nec deſunt, qui ſe vidiſſe Imperiale vexillum, dicant, & Aquilæ ſignum. Trepidare viri, plorare mulieres: huc atque illuc diſcurrere: nunc forum, nunc templa, hic miſericordiam Dei repoſcere, ibi, quid agat Senatus, inquirere. Qui ſuburbia colunt, vallo & foſſæ diffidere: raptim bona, quæ poſſunt mobilia, in oppidum ferre. Cives ipſi pecuniam & quæ pretioſa reputant, aut murare, aut ſub terra condere: nihil invium hoſti, nihil ſibi tutum credere: nulli ſatis animi aut conſilii eſſe: novitatem, quæ facta eſſet, damnare: Eizingerum & omnes belli auctores odire: jamjam ſe victos & in captivitatem ituros exiſtimare. Quod ſi vera, quæ de Cæſare ferebatur, fama fuiſſet, & finem illa dies bello & ſtultitiæ Viennenſium digna præmia tribuiſſet. At defenſo ponte, cum vanum fuiſſe timorem, qui de Cæſare ſumptus erat, compertum eſt; rurſus in contumaciam plebis animi ſunt erecti, &, quem paulo ante ut fortem & animoſum Ducem formidabant, mox quaſi mulierem inermem contemnere, ejuſque nomen irridere, cœperunt.

Per idem tempus Hamburgenſes, qui ſupra Danubium ſedent in Auſtriæ finibus, ad Hungariam reſpicientes, cupidi rerum novarum, quamvis arcem eminentem opido & munitiſſimam, & altiſſimam in poteſtate Cæſaris eſſe ſcirent, ad Eizingerum mittentes, ejus ſe partem ſecuturos ajunt, ſi præſidium ad eos mittatur; quoniam, ſe Regis eſſe homines non Cæſaris, dicerent. Eizingerus milites eo dirigit, quos putat adverſus eos, qui

arcem teneant, oppidanos tueri poſ-
A ſe. Qua re Cæſari nuntiata, Mare-
ſcallus, cujus frater arcem in manu habebat, cum quadringentis equitibus, noctu feſtinare, atque opidum vendicare jubetur. Is imperata celeriter exequens, ante lucis ortum eo pervenit, ac equis in abdito loco cum cuſtodia relictis, pedes montem aſcendit, portamque ſecretam arcis, ignorantibus opidanis, ingreditur. Deinde ſigno dato in opidum ruit, ferro, atque igne cuncta perturbans. Oppidani, improviſo malo deterriti, fugam faciunt: milites, quos eorum præſidio veniſſe diximus, in turrim quandam ſe reci-
B piunt: ſed inde brevi fumo igneque deturbati capiuntur. Opidi major pars incendio conſumitur: neque templo, quod ibi ſacrum erat, vorax flamma pepercit. Fuit & rumor, ſacerdotem loci, cum audito tumultu in turrim Eccleſiæ fugiſſet, ardente templo fumi magnitudine ſuffocatum: quod poſtea falſum fuiſſe comperimus. Sed libros ejus, & ſacri Altaris ornatus, qui in manus inciderant Bohemorum, venditioni expoſitos in Nova Civitate, nos ipſi vidimus.

Uzingerus quoque adoleſcens,
C unus ex cubiculariis Cæſaris, qui Romæ fuerant, non reticendum facinus ſub eodem tempore geſſit. Hujus pater caſtellum quoddam in Auſtria ſuperiori, natura munitiſſimum ac magnorum reddituum, dum Cæſar Romam peteret, cuſtodiendum accepeperat; quod, cum parum caute obſervaſſet, ex improviſo ab hoſtibus eſt occupatum: quæ res Patri & filio veluti probro ſæpius eſt objecta: ſed magis juvenem, quam ſenem contumelia momordit. Anxius igitur adoleſcens, paternam quo pacto purgaret infamiam, dum tendit inſidias hoſtibus, arcem eſſe comperit Dominorum de Valſe in altiſſimo monte ſitam, in quo vicini propter metum belli, quæcunque habent cariora, reconderint, præfectumque loci, relicta illic cum paucis uxore, peregre profectum. Hinc nactus occaſionem, qua patris ignominiam deleret, barbam ſuam, quamvis modica eſſet, accuratiſſime radit, veſtes muliebres aſſumit, minorem fratrem adhuc imberbem parem habitum induere & gladium ſub tunica cingere jubet: pullos deinde
B aliquot gallinaceos & caſeos, & neſcio quid pomorum in caniſtrum accipiens, accerſitis decem famulis, quos edocuerat, quid facto opus eſſet, verſus arcem proficiſcitur: famuli cum armis opportuno loco in inſidiis collocantur: ipſe ſub ſpecie mulieris, cum fratre, quem typum ancillæ gerere juſſit, portam accedens, arcis oſtiarium vocitat: quærens, an domi præfectus ſit, quem de ſua cauſa velit conſultum habere. Quo reſponden-
C te: ſolam dominam & duos famulos domi eſſe, Præfectum autem die heſterna negotium aliquod acturum equitaſſe: ſine ergo, inquit, quæ domino ferebam munuſcula, ſuæ me conjugi reddere: ſimulque pullos oſtendit. Ille nil mali ſuſpicans, adoleſcentes, quos credit fœminas, intromittit, qui mox habitu muliebri dejecto, evaginatis gladiis portam occupant & concurrentibus ad ſignum famulis patefaciunt: invadenteſque arcem, cuncta ſine controverſia in poteſtatem ſuam recipiunt: ſcribuntque Cæſari, ut quam celerrime ſibi auxilia mittat, quibus ſe poſſent contra vicinos defendere. Sed re circumquaque cognita,

gnita, cum malum ad totam viciniam pertineret, quæ omnem illic thesaurum suum absconderat, repente omnes in circuitu sumptis armis unanimi consensu velut, ad commune restringendum incendium adolescentes obsidione circumdederunt: atque admotis bombardis die noctuque oppugnantes, prius eos in deditionem acceperunt, quam missum a Cæsare subsidium eo pertingere posset. Sic adolescentes magis animosi, quam fortunati, dum patri maculam demere properant, sibi ingerunt, damnumque damno accumulant.

Wolffenreuter quoque, non incognitus apud Australes nobilis, iisdem diebus nonnullas ultra Danubium villas diripit atque incendit. Nec Comitis Magdeburgensis equitatus quiescit: ubique rapinæ atque incendia fiunt: hic Cæsariani vastantur, illic Australes diripiuntur. Et, quoniam castella inter se commixta sunt amicorum atque inimicorum, nusquam tota Austria quieta. Bellum domesticum & intestinum cuncta provolvit, nihil usquam tutum. Horrida & miserabilis terræ facies: cognati cognatos oppugnant, fratres contra fratres, filii contra patres, & patres adversus filios arma gerunt. Comes de Pulchromonte, alias de Schaunberg, cujus supra meminimus, & filius ejus senior, partes Australes juvabant: duo filii juniores Cæsariano favebant nomini. Ex domo Pottendorfia, Ebersdorfia quoque, alii Cæsarem, alii Australes sequebantur: rara non divisa familia fuit.

Hungari, quoniam inducias, ut demonstratum est, cum Cæsare habuerunt, cum manifeste indicere bellum non auderent, nobilibus Austriæ, qui partem Cæsaris fovebant, in hanc sententiam scripsere: Arma ne contra suum Principem pro Friderico Cæsare sumerent: Hungaros, Australes, cæterosque Ladislai subditos ejus esse propositi cogitarent, ut suum Dominum ex manibus Imperatoris eriperent, atque in paterno solio collocarent: caverent, ne dissentirent a cæteris: scirent, turpissimam esse partem, quæ universo non conveniret: providerent, ne contra patriam agere viderentur, ac non solum possessiones amitterent, sed infamiæ quoque notam incurrerent. Nemo tamen his litteris motus est. Omnes, qui Cæsari fidem dederant, in sententia perseveraverunt, nec dignos Hungaros putavere, quibus rescriberent. Cæsar autem maximum existimans, si regni hujus favores Australibus demeret, Æneam Episcopum Senensem ad eos mittere decrevit: cui & Romanus Pontifex in Hungariam Legationis officium commiserat, atque instructiones transmiserat, secundum quas Prælatos Hungariæ & Proceres alloqueretur. Iamque publicæ securitatis litteras Regni Gubernator ad Æneam direxerat, qui ejus adventum non invitus expectabat.

Erat hoc tempore Regni Gubernator Johannes Hunniades, Vajvoda Transylvanus: haud magno genere natus, sed animo grandi & consilio provido, qui post Alberti Regis obitum unus judicatus est, qui Regnum Hungariæ a Turcorum invasionibus liberaret. Sæpe cum eis manus conseruit: sæpe copias eorum fudit: multas intulit eis strages: militaria signa

quamplurima ex eis domum retulit. Bis tamen ab illis, non ſine maxima Chriſtianorum calamitate ſuperatus eſt; ſemel, ſub Ladislao Rege Poloniæ & Juliano Cæſarino Cardinali ſancti Angeli Apoſtolicæ ſedis legato, qui tunc perierunt: & iterum, cum ductor ipſe magnas copias haberet, cum Varadienſis, & Agrienſis Epiſcopi, multique regni Barones interierunt. Nam duobus his præliis non minus quam quadraginta millia Chriſtianorum vel cæſa vel capta creduntur. Remanſit tamen apud Hungaros Gubernator Johannes. Nam qui exercitum ſemper apud ſe paratum haberet, arceſque regni meliores poſſideret, amovendus haud facile videbatur. Hic Fridericum Cæſarem, ſive vera fuit, ſive ſimulata benevolentia, ſingulari affectione proſequi ſeſe oſtentabat. Nonnulli exiſtimabant, hominem regnandi cupidum, libenter ſtudere Cæſari, ut quam diutiſſime Ladislaum in poteſtate haberet, haud dubie reputantem, illo dimiſſo, & ſe Regnum dimiſſurum. Optabat igitur, Æneam ad ſe mitti, per quem poſſet ſuam mentem Cæſari notam facere. Jamque litteras ad Æneam direxerat, quæ tutum ſibi per Hungariam iter præberent. Sed reverſi oratores Ducem Bavariæ & Alberti Marchionis, de quibus ſupra mentio facta eſt, dum tractatus pacis cum Auſtralibus inchoare nituntur, miſſionem Æneæ in Hungariam retinuerunt. Hi, cum Cæſarem alloquerentur, ajebant: Auſtrales jam paratis copiis prope diem ad Novam Civitatem venturos, atque, ut minabantur, obſidionem facturos; ſuadebant igitur, pacis tractatum ante ſuſcipiendum eſſe, quam profundius inimicitiæ procederent. Cæſar, quamvis nullo ſe timore concuſſum oſtenderet, non tamen tractare de concordia recuſat: ſeque, ſi Auſtrales conſentiant, conventum habiturum, dicit, vocaturumque Principes ſuos ac Ladislai conſanguineos, & utriuſque partis ſubditos, cumque his diſcuſſurum, quid ſit agendum. Interim ambæ partes arma remittant: idque Legatos apud hoſtes quærere jubet.

Dum talia fiunt, Henricus, filius Vlrici de Roſis, homo nobilis, ex Bohemia cum peditibus octingentis, equitibus ducentis, ad Auſtrales venit. Hic olim Cæſaris ſtipendia meruerat: ſed cum ſibi minus daretur, quam Bohemorum poſcit ingluvies, indignatus abiens hoc tempus expectavit, quo Cæſari, quid poſſet, oſtenderet. Adduxit autem ſecum Thaboritas, pleroſque irreligioſos atque infideles homines, cædibus ac rapinis aſſuetos: quos nec humana ratio, nec Dei metus ab ullo unquam facinore revocavit. Cum his Henricus ingreſſus Auſtriam, primo impetu cujuſdam Nobilis Neuchirei, qui partes Cæſarianas fovebat, caſtellum expugnavit, militibusque præbuit diripiendum: inde ad Eizingerum ſe contulit, cujus adventu, ſimulque victoria Ortiana ſublati Auſtrales, haud morandum amplius cenſent, quin Cæſarem domi obſideant. Sed apparatis curribus, & omni bellica ſuppellectile comparata, Vienna exeunt, recto itinere Novam Civitatem petituri. Quibus Legati Principum obviantes petunt, ne progrediantur ulterius, priuſquam ſe audiant. Data copia dicendi, ajunt: grande negotium eſſe, de quo cum Cæſare contro-

troverſia eſt, neque facile diſcuti poſſe: quod ſi fiant induciæ paucorum dierum, putare ſe, facile præbituros contentioni modum. Auſtrales his auditis, neque longas, neque breves inducias ſe daturos affirmant; niſi reſponſum ex Cæſare obtineant, quod Regem eorum ſit extra manus aliquando miſſurus, procedereque recta via ſe afferunt, ut novam Civitatem obſideant, experianturque, ſuum Regem an valeant vendicare. Legati ad Cæſarem reverſi exponunt, quæ audierant, petuntque reſponſum, an intra tempus aliquod Ladislaum extra manus Cæſar daturus ſit; nam- B que ſi hoc audire poſſint, ajunt, ſe ad conveniendum de tempore, deque modo dimiſſionis inducias obtenturos.

Cæſar rem in Concilio ponit: ibi Æneas Senenſis Epiſcopus rogatus ſententiam dicere: Ego, ſi tuo loco ſim Cæſar, inquit, dicam: me Ladislaum pupillum in hanc uſque diem gubernaſſe, educaſſeque ut conſanguineum, inſtruxiſſe ut filium; quod ſi nunc ſubditis ejus videatur jam tempus eſſe, ut ad regendum vel Auſtriam C vel cætera dominia dimittatur, non reſiſtam. Verum, quia puer adhuc eſt, & inſtructore indiget, petam fieri conventum ad certam diem ſubditorum ejus & Principum, qui ſibi ſanguine proximant; ut quo pacto deinceps ætas pueri dirigi debeat, in conventu diffiniatur, &, quicquid illic decretum fuerit, exequar. Non ſpoliabit te Conventus adminiſtratione pueri, quem videbunt ad regendum ineptum: non ſolus in conventu Eizingerus audietur. Quod ſi omnes dimittendum Regem decreverint; impetuoſo flumini minime te oppones: A facies ante diem, quod poſt diem omnino es facturus. Neque enim tu is es, qui perpetuo puerum hunc in poteſtate habere debeas. Evitabiſque meo conſilio impetum belli, quem ſupra te, parum modo proviſum, hoſtes adducunt. Poſt Æneam, Johannes Neipergius conſilium daturus, neque refellendam dictam ſententiam arbitratur, neque amplecti eam audet. Sed cum ad Johannem Vngnadium ventum eſſet, ſic ille locutus eſt: Tibi, Cæſar, Regina Eliſabeth puerum hunc Ladislaum, non Eizingero, aut cuipiam alteri credidit: tu illi tutor legitimus, & proximus conſanguineus es: nondum ejus anni ad gubernandum idonei venerunt. Cur tu cujuspiam arbitrium ſuper ejus dimiſſione ſequaris? Sæpe hunc puerum Bohemi atque Hungari ad ſe mitti petiverunt: habito cum Auſtralibus conſilio nunquam inveniſti, eum eſſe ante pubertatis annos dimittendum; cur modo ſententiam inter paucos mutes, non video. Conſilium hoc ſecretiſſimum habebatur, neque amplius quam octo ex Conſiliariis acceſiti fuerunt, ex quibus tres Æneam, tres Vngenadium ſunt ſecuti. Neipergius enim, quamvis prius, quid ſentiret, non aperte dixiſſet, audito tamen Vngnadio in ejus ſententiam manifeſta voce prolapſus eſt. Erant ergo tres illi, quibus Cæſar plurimum credebat, unius animi atque voti, & cum his Mareſcallus ſentiebat. Starhembergius autem, conſilio maturus, Æneæ ſententiam probavit, & Vlrici duo viri Eccleſiaſtici & juris peritiam habentes. Sed nihil momenti huic parti traditum eſt: placuit Cæſari conſilium, quod indigna-

tioni ſuæ conformius viſum eſt: neque enim facile verum irati vident. At cum poſtea pernicioſam ſeſe accepiſſe deliberationem Cæſar intellexiſſet, ſæpe inter Conſiliarios de rebus geſtis conqueſtus, utinam, Ænea, inquit, tuo conſilio auſcultaſſem. Reſpicienſque duos Vlricos aliquando cum Ænea loquentes, utinam, ait, ô Presbyteri, veſtris vocibus credidiſſem! neque enim in id dedecoris incidiſſem, quod modo perpetior. At ſera eſt poſt factum prudentia. Datur ergo reſponſum Legatis, quod ex conſilio Johannis Vngenadii recipi potuit, rurſuſque illis injungitur, inducias, ſi poſſint, belli ad tempus impetrent. Neque illi laborem recuſarunt: quamvis ſcirent ſe fruſtra niti. Sed profecti rurſus ad Auſtrales, quos non procul invenerunt (paulatim enim cum exercitu appropinquabant) expoſitis mandatis nihil obtinuere: dicentibus Auſtralibus, duritiem Cæſaris, quæ flecti verbis non poſſet, mox armis ceſſuram. Jamque ad ſextum lapidem hoſtilis exercitus conſederat. Quæ res Imperatori relata acerbum animum faciebat.

Dum hæc geruntur, Sigiſmundus Salzburgenſis Archiepiſcopus, Johannes Friſingenſis, & Fridericus Ratiſponenſis Epiſcopi, tractaturi pacem adventant: ſed non remote proſequebatur eos exercitus Auſtralium, ita ut ſimul & bellum & pax incedere viderentur. Erat Nova Civitas plena tumultu: & alii in armis decurrebant, hoſtibus obviaturi, alii cum Sacerdotibus & Sanctorum reliquiis excepturi novum Archiepiſcopum feſtinabant, quem ſedis Apoſtolicæ natum legatum appellant. Spectaculum minime lætum: Sacerdotes & milites, cruces & lanceas, clypeos & pictas Sanctorum tabellas, concurſantes cernere. Ingreſſus eſt autem Archiepiſcopus in habitu & inſignibus, quæ legato Cardinali debentur. Nam & crucem ante ſe detulit, & cappam & pileum rubei coloris geſtavit, benedixitque populo. Sed nihil horum Archiepiſcopo non debitum, præter pileum, & illum fortaſſe Salzburgenſis Eccleſia ſingulari privilegio meruit, de quo nondum fumus experti. Subita tamen & mirabilis mutatio hujus Prælati fuit. Intravit enim ut Cardinalis, manſit ut Epiſcopus, abiit ut ſimplex presbyter: neque enim Theutones Prælati, quamvis eccleſiaſtici, veſtimentis utuntur longioribus, præſertim iter facientes. Sequenti die Auſtrales in conſpectum ſe urbis dederunt, locumque conſpicati ſunt, ubi caſtra ponerent. Oſtendentes autem apparatum ingentem, in apertis campis, ſtructis aciebus, maximo tubarum clangore, & hominum clamore modo in hanc, modo in illam partem concurrebant, &, quaſi obſeſſis illuderent, nutibus ac vocibus indicabant. Ex Cæſarianis nonnulli egredientes, cum impares ſe multitudini hoſtium cernerent, comminus congredi non præſumpſerunt, ſed ſagittis eos eminus & bombardellis infeſtabant. Saxo tamen quidam, homo nobilis, & magis audax quam fortunatus, equi violentia longe a ſuis transportatus, cum ſe verteret, putaretque Cæſarianos ſuum ſequi curſum, inter medias hoſtium catervas ſeſe reperit: id cum ex ſermone circumſtantium deprehenderet, neſcius, veluti captus, quidnam ageret, aliquandiu ſubſtitit.

ſtitit. Poſtquam vero nulli ſe cognitum animadvertit, quaſi unus ex hoſtibus ſit, in Cæſarianos impetum facturus, urgenſque calcaribus equum, aciem egreſſus ordinem rumpit: tum cognitus non tam fugare quam fugere, cum non poſſet æquari curſu, ſagittis impetitur; quibus ille graviter vulneratus ad ſuos rediit, neque poſtmodum huic bello utilis fuit. Auſtrales autem ea die nil amplius auſi ſunt: Neque enim tam pugnaturi, quam ſitum experturi, tunc apparuerant.

Imperator vero commotus his rebus, jubet Oratoribus Principum dici, ne ſeſe poſthac paci medios offerant; quia tueri jus ſuum armis propoſuerit. Erant enim hi homines ſuſpecti Cæſari, tanquam hoſtibus nimis faverent, atque idcirco refutati ſunt, ſimulque putabatur, ſi de pace agendum eſſet, honeſtius illam Epiſcopos perquirere poſſe. Quod intelligentes Oratores, indignabundi abierunt die Lunæ, quæ fuit Auguſtini lux, quinto Kal. Septembris; Auſtrales iterum in conſpectum urbis, cum omni exercitu, ab ea parte, quæ Viennam reſpicit, venientes, ſtructis aciebus, clamore hominum maximo, tubiſque ſine modo clangentibus, inſultum faciunt: adortique Cæſarianos, qui loci anguſtias ante opidum tenere confidebant, ſine mora perturbant; tantuſque fuit hoſtium impetus, ut neque gladiis, neque ſagittis, neque lapidibus bombardarum, neque aliis quibuſcunque tormentis prohiberi potuerint, quin ad portam uſque ſuburbii per viam arctam atque aquoſam progrederentur, ægreque porta ipſa defenderetur. Nam & ingredi hoſtes inſequendo fugientes conati ſunt, & feciſſent, niſi converſi quidam robuſtiores, in ipſius portæ limine pro vallo ſe objeciſſent. Ibi aliquandiu acriter pugnatum eſt, cum Auſtrales ingreſſum animoſiſſime peterent, Cæſariani fortiſſime prohiberent. Inter quos Paumkircher, nobilis ex Stiria, quam vaſto corpore, tam viribus validiſſimis, clara ſuæ virtutis documenta demonſtravit: qui hoſtis impetum retinens occludendæ portæ præbuit facultatem. Illic & Capitaneus Imperialis manum confoſſus eſt: ut, qui carebat oculo, manu quoque careret. Prohibiti autem hoſtes intrare ſuburbium, molendino quodam, portæ propinquo, negligentius cuſtodito potiti ſunt. Vbi & munitionem fecerunt ad Eccleſiam Sancti Marci: e regione portæ bombardas locarunt: caſtra ad mille paſſus remota poſuerunt: tentoria & omnis exercitus ex muris opidi facile videri poterant. Exiſtimati ſunt, qui arma ferrent, hominum duodecim millia: equitatus vix quatuor millium judicatus eſt. Præcipui in exercitu fuerunt: Vlricus Comes Ciliæ, Henricus Dominus de Roſis, Vlricus Eizingerus, Auſtralium Capitaneus, Bernardus Comes de Schaumberg, ſenior fratrum de Valſe, tum aliqui ex conſulatu Viennenſi. Ex Moravia Capitaneus Snoimæ. Fuerunt & aliquot alii Barones ac viri ex Auſtria nobiles: ſed rerum ſumma penes hos fuit. Augebatur autem indies exercitus, confluentibus, ut fieri ſolet, aliis ſtipendii, aliis videndi cauſa. Sed pugnatum eſt hac ſolum die, a mane uſque ad horam duodecimam, dure atque aſperrime, poſtea remiſſior pugna fuit. Nam clauſa por-

porta, ſolum miſſilibus actum eſt. Ex opido, & in opidum aſſidue miſſi bombardarum lapides, quibus intra muros tres tantummodo perierunt: ſagittis vulnerati quamplures, nullus occiſus: ex hoſtibus admodum multi cecidere, in quos liberius bombardæ fulminaverunt. Sane primo congreſſu currus duo fuerunt ante portam, onerati bombardis, quæ ad humani capitis magnitudinem lapides jacerent, quarum magiſter, ut confertum agmen armatorum hoſtium appropinquare conſpexit, dato mox igne in condenſam aciem quatuor ſimul lapides direxit, & converſo temone curruum in opidum ſe recepit. Vidiſſes armorum fruſta per aërem volantia, ſimulque capita & brachia ferri, trunca quoque hominum corpora cum equis ruere: dirum & horribile ſpectaculum: poſt meridiem cum ſocium ſuum quiſpiam forte ſepeliret, dum brachia protendit, terram ligone colligens, quam cadaveri ſuperinduceret, ex improviſo lapide bombardæ percuſſus utraſque manus amiſit. In Molendino vero, quod ſupra captum ab hoſtibus diximus, adeo multos lapides cæciderunt, ut rivum ibi fluentem, ſanguinolentum ac rubeum redderent. Bohemi locum illum ſub vexillo de Valſe tenebant, quorum tanta pertinacia fuit, ut quamvis extingui juxta ſe ſocios cernerent, mori tamen potius ibi, quam vacuum relinquere locum mallent: deſpectum noſtro ſeculo hominum genus, qui nec ipſi mortem timerent, nec ſuis ducibus occiſi dolori eſſent.

Eizingerus autem in hæc, ut pugnam remiſſiorem aſpicit, veritus, ne Viennenſes in aſtutia ſua propoſito excidant, ſi forte minus fortunatas res audiant bellicas; Viennam, qui bombardas Cæſaris in curribus receptas, ſuburbiumque Novæ Civitatis obtentum, multos ex hoſtibus cæſos, referant, nuncios mittit. Quibus adhibita fide, tubicines totam urbem diſcurrentes bono eſſe animo plebem commonuerunt, victoriam in manu eſſe, dicentes. Quæ res, quamquam falſa eſſet, tamen ingenti gaudio civitatem replevit, occaſionemque omnem abſtulit novi conſilii capiundi, quod nonnulli quæritabant. Vtcumque tamen facta ſe haberent, apud Civitatem Novam pavere omnes, intra mœnia terroribus plena eſſe omnia: extra, hoſtes animum habere, minas creſcere. Qui frumentum in Civitate haberent, occultare: victui neceſſaria cuncta negare. Jam panis in foro nullus inveniri venalis, vinariæ claudi tabernæ: vultus pallere omnium: conqueri alter alteri, damnare bellum, vituperare ordinem, perditos ſe omnes credere: quæ ſunt in ſuburbiis, intra opidum ferri: ſi quid tardius adduceretur, rapinæ dari: mulieres ululatu complere omnia. Verum Archiepiſcopus & ſuffraganei, ut rem periculoſam animadvertunt, egreſſi ad hoſtes, inducias unius diei ad componendam pacem obtinent. Cum ea die nihil egiſſent, rurſus alterius diei moram impetrant. In hac factum eſt, ut Cæſar ad colloquium exiret: petente Comite Ciliæ, itum eſt extra portam, quæ oppoſita eſt Hungariæ. Ibi occurrentes hoſtium Duces, præter Eizingerum, qui remanſerat in caſtris, ut in conſpectu Cæſaris fuere, deſilientes ab equis mox ad genua ejus ſeſe dederunt. Quibus data dextra, & aſcendere

equos

equos jussis, Imperator & Comes Ciliæ in agrum seorsum egressi, ad horam & dimidiam collocuti sunt. Imperatori præsidium erat urbis porta, in propinquo armatis munita: Comitem tuebatur equitatus hostium, ad jactum sagittæ dispositus. Comitis verba, sicut postea nobis in consilio Cæsar exposuit, in hanc sententiam sonuere: *Non esse gratum sibi, adversus Imperatorem arma ferre; sed coactum status retinendi causa. Posse tamen & armatum prodesse, si Cæsar sibi auscultaret. Imminere Cæsari grave bellum Australium, Hungarorum, Moravorum: id posse declinari, si Testamento Alberti satisfieret, mitteretur que Ladislaus ad Posonium, juxta Patris voluntatem nutriendus, donec adolesceret. Hæc si Cæsar faceret, discessuros e castris Australes, Moravos quieturos, & Hungaros.* Cæsar incusare *Comitis infidelitatem:* monere, *ut rediret in viam: futurum apud se magno loco, si hoc agat: scire, injustam Australium causam: Testamentum, cujus feciset mentionem, nunquam fuisse ostensum: nunc demum post annos duodecim fingi. Iniquum esse, se privari tutela, quam sibi jus Patriæ, atque Imperatorium, gentiumque omnium crederet.*

Cum non convenirent, suasit Comes, in noctem recipienda consilia: prorogandas in crastinum inducias, mittendosque utrimque consiliarios, apud quandam Ecclesiam extra opidum, qui mediantibus Episcopis de pace transigerent. Sic recessum est. Sequenti die Cæsar sex Consiliarios ad colloquium misit: ab exercitu sex ipsi Principes multitudinis venerunt. Ibi ad meridiem coram Episcopis pro-

A tracta res est, meditataque sunt nonnulla pacis capitula. Placitum quoque, uti Cæsar rursus extra opidum egrederetur, ac præsentibus hostibus capitula confirmaret. Egressus est Cæsar ad hostes, duabus horis ante solis occasum, rursusque Duces hostium ad pedes Cæsaris se dederunt, inter quos etiam motor rerum Eizingerus fuit. Quibus iterum jussis equo insidere, corona facta est utriusque partis armatorum equitum: in medio Cæsar ex una parte cum consilio suo fuit: ab altera sex Duces hostium steterunt, penes quos belli gerendi arbitrium erat & pacis. Ibi cum leges concordiæ exponerentur, visæ sunt omnes secundum hostium desideria compositæ. Tempus erat ad deliberandum breve; neque enim ultra solis occasum, qui jam instabat, induciæ protendebantur: quas cum Episcopi ad proximam diem extendi petivissent, minime obtinuerunt. Ea igitur mente utrimque discessum est, ut mox arma sumerentur. Sed aderat forte Carolus, Marchio Badensis, Sororius Imperatoris, præstabilis virtutis Adolescens, dignaque Patre soboles. Is ubi turbatas ab invicem partes discedere cognovit, apud Australes remansit, sequentemque diem ad pacem tractandam quietum impetravit, cumque novæ in horas orirentur difficultates, usque ad meridiem Sabbathi, quod proxima luce sequebatur, induciæ promotæ sunt, atque in his per Marchionem & Episcopos pacis leges in hunc modum dictæ sunt: *Obsidio e vestigio solvatur: dimittaturque totus exercitus: Tertia post illam die Rex Ladislaus, extra opidum missus, Comiti Ciliæ gubernandus tradatur, donec per Conventum subditorum*

*rum ejus, & utriusque partis conſanguineorum, unanimi conſenſu ſimul cum Cæſare decretum fuerit, ubi teneri & per quos regi debeat. In feſto Martini proximo Hungari, Bohemi, Moravi, Auſtrales apud Viennam conveniant, ibique aut Cæſar adſit, aut Legatos habeat, ac de gubernatione & collocatione Regis, nondum puberis, apud conventum agant tres Epiſcopi: duo Bajoriæ Duces, duo Marchiones, alter Badenſis & alter Brandenburgenſis, aut adſint, aut mandatarios mittant, & auditis utriuſque partis contentionibus, amicabili tractatu lites diffiniant, pacem ex integro reformantes. Captivi utrinque liberi dimittantur: quæ bello rapta ſunt, ſi extant, reſtituantur: injuriarum omnis memoria deleatur. At, ſi concordia in conventu Viennenſi facta non fuerit, nihil actionum ſuarum Cæſari depereat.* Hæc cum in conſilio Cæſaris legerentur, peterenturque ſententiæ Senatorum; fuerunt, qui in hunc tenorem verba facerent: *Jurati ſumus tuæ manſuetudini, Cæſar, neque conſulere poſſumus, quod in rem tuam eſſe non credimus. Fernicioſa eſt & captionis plena, quæ tibi pax repromittitur. Nemo, niſi victus coactuſque, hanc pacem accipiat. Regem, cujus tutor es, extra manum dabis; de tutela poſtmodum diſputabis. At fiet conventus apud Viennam; Principes illic omnia diſponent: facient quidem, ſi potuerint; ſi partis utriuſque voluntatem habebunt. Verum quis Hungaros, & alios Regis ſubditos ad res æquas adducet? Si non erit concordia, ſalvæ ſunt tibi actiones, inquiunt. Fatemur: ſed non ſunt ſalva caſtella, quæ hoſtes diſruperunt, neque tutela Regis tibi ſalva eſt, quem Comiti tradis, homini fallaci & perfido. Quis agrum poſſidet, ac de illo litigaturus, adverſario tradit? Omnes poſſeſſioni incumbunt, quoad poſſunt: tu teipſum indicta, incognita cauſa ſpoliabis? Si placet Regem dimittere, diſponito prius, quæ dammorum compenſatio fiat, quæ præmia fideles, quæ pœnæ ſequantur injurios, quæ retineas, quæ reſtituas oppida. Cuncta melius retento, quam dimiſſo Rege, compones. Neceſſe eſt, ajunt plerique, amplecti pacem, quæ datur. Cincta eſt obſidione Civitas, quatiuntur muri undique, victui neceſſaria deſunt, auxilii ſpes nulla eſt: trepidat populus, hoſtis indies augetur, magnum dedecus, majus dammum, ſi capta civitate & Regem & nos ipſos amittamus. O imperitas voces! o inexpertos homines! timerene hic capturam oportet, ubi opidum forti milite plenum, alto muro & foſſa profunda circumdatum, & aquis munitum eſt perpetuo ſcaturientibus? Octingenti milites, abſque civibus, in urbe ſunt, qui non ſolum hujus opidi, ſed urbis Romæ tueri poſſent mœnia: frumenti magna vis apud cives habetur, quamvis multi ſuum obtegant. Frangemus manu triticum, ſi molæ defuerint: abſumptis aliis carnibus, equos vorabimus: non deerunt in quatuor menſibus cibaria: nequeunt hoſtes tamdiu obſidionem tenere: abibunt, quamprimum noſtros animos intellexerint obſtinatos. Nec nobis, ut quidam putant, auxilia deſunt. Scit tua ſublimitas, Gerziconem, Bohemiæ gubernatorem, jam exercitum inſtruxiſſe, quem tibi adducat: ante decimum diem ad Danubium veniet. Stirienſes ante octo dies cum quatuor millibus aderunt. Georgius de Pucham, Rogerius Starhemberger,*

*berger, & qui tuas partes juvant, ſine mora ſuccurrent. Quid deinde facturum credis Albertum Germanum tuum, cum te clauſum audiverit? Annon ille cum Suevis deſcendet? Quid inſuper cæteri faciant Imperii ſacri Principes? Crediſne te Dominum ſuum per injuriam obſideri permittant? Expelletur, ne dubita, perfida manus hoſtium, aut in campo, quod magis optandum fuerit, trucidabitur. Quod ſi omnia hæc defuerint, non aufferetur fugiendi facultas. Quid magnificamus hoſtes? Vnam ſolummodo portam obſident: tres nobis ad exitum patent: invitis hoſtibus cum Rege Stiriam petere poſſumus, atque illinc prælium inſtaurare. Quanquam, etſi omnes portas inimici cuſtodirent, irruptionem noctu facientes, ſi viri eſſemus, ſalvis liceret abire. Alius quippe, ſi hoc modo tuo loco clauſus eſſet, in quemcunque locum bombardæ hoſtium dirigerentur, ibi Ladislaum inermem collocaret, ictus lapidum excepturum. Sic enim aut omitteretur impugnatio, aut, qui cauſa belli eſſet, in eum pœna rediret. Magnum quidem atque horribile facinus: ſed ſcelus ſcelere vincitur. Perjuri homines Auſtriæ Ducem inſequuntur, Imperatorem obſident, Papæ illudunt, divina & humana jura pervertunt, & non omni adverſus eos arte utemur? At puer innocens conſervandus eſt. Immo vere nocentiſſimus, qui ſuis ſcriptis auſus eſt hos modo, modo illos incitare, & ante annos Imperium affectare, propter eum hæc tempeſtas orta eſt: pereat ipſe potius quam dignitas Imperii & Apoſtolicæ ſedis majeſtas intereat. Tu ſi ſapias has pacis leges nulla ratione ſuſcipies.* Hæc cum duo trefve dixiſſent, haberentque non paucos ſequaces, qui, etſi de Ladislao, miſſilibus hoſtium objiciendo, diſſentiebant, pacem tamen improbantes, reſiſtendum inimicis ſummo conatu ſuadebant. Alii abominantes illorum verba, ſententiamque damnantes, in hunc modum conſulebant: *Si pergis, ut nonnulli ſuadent, inclite Cæſar, pacem fugere, bellumque gerere; neceſſe eſt, ſumptus quam maximos ſubeas. Nemo tibi auxilium præbebit, qui non abs te præmium petat. Incerta eſt ſors belli, caput tuum & animas noſtras objectabis periculo. Terram Auſtriæ, tibi hæreditariam, incendio dabis. Si vinceris, & rem ſimul, & nomen amittis. Si victor evadis, paras tibi aliquid laudis, at emolumenti nihil: neque enim vivente Ladislao tuam facere provinciam potes. Tutorio fortaſſis nomine ad biennium trienniumve dominaberis. Quid tum, numquid plus bellum exhauriet, quam tutela tibi præſtare poſſit? Nemo, qui ſapiat, cum pace frui valeat, ei ſe prælio immiſcebit, cujus expenſas majores intelligat eſſe, quam prædas. Age, quid mali ſub promiſſa pace continetur? Nempe quod ante diem remittere tutelam juberis: tutelam noſtri majores onus eſſe, non honorem dixerunt. Levaris igitur pace data, non gravaris. Quin tu hodie facias, quod poſt biennium facere penitus oportebit. Remitte puerum iſtum, qui, cum venerit in manus hoſtium, non ſecus Hungariam, Bohemiam & Auſtriam, quam Junonem, Venerem ac Palladem exitiale pomum, quod Alexandri judicio conſignandum fabulæ tradunt, in contentionem adducet. Tua ſublimitas domi quieſcens vindictam inimicorum videbit, cum illi propter Regem ſeſe invicem laniabunt. Quod autem puerum mor-*

*morti offeras, non crudele ſed horridum & abominabile penitus, execrandumque tua pietas judicabit ſcelus.*

Ad ea Cæſar non eſt, inquit, ſine noſtro maximo dedecore, perjurum Auſtriæ populum in tantum debachari potuiſſe, ut nos urbemque noſtram obſidione cingeret, cum perfidis ejus conatibus valeremus obſiſtere. Ibit rumor hic in omnem terram, nec noſtrum quiſpiam nomen amplius verebitur, quando intelliget, nos a noſtris ſubditis coërceri. Quis noſtrum deinceps auxilium expectabit, cum nobis ipſis opus ſit auxilio? Quæ gens noſtrum timebit Imperium, quando viliſſima gens Auſtralis inſultare nobis eſt auſa? Contemnemur certe, atque irridebimur apud omnes gentes, qui ſuſceptis Imperialibus inſulis, mox a noſtris invaſi ſubditis, patruelis noſtri tutelam dimittere compulſi fuerimus. Hæc dum mente revolvimus, libet experiri extrema omnia, priuſquam ſceleratæ genti vel minimum complaceamus. Eſt, ut alii dixere, Georgius Regni Bohemiæ Gubernator, qui nobis ingentes copias in auxilium pollicetur: Stirienſes prope diem aderunt cum exercitu: Albertus Suevos adducet: non ſilebunt alii Principes: opidum & munitum eſt, & annonæ plenum: hoſtes rerum omnium patiuntur inopiam, neque perſeverare diu poſſunt, ſuntque inter ſe diſcordes. Hungari propter inducias nequeunt intereſſe. Cur non forti animo dies paucos obſidionem feramus? Donec venientibus auxiliis exire in hoſtes, ac turpiſſimi & iniquiſſimi populi ſumamus pœnas, cæteriſque gentibus oſtendamus, quam grave ſit, contra dominos erigere cornua. Liceret ſane pernicioſam gentis audaciam plectere, neque facultas abeſt, ut intelligitis; Sed cogitamus ex altera parte, qui ſint belli fructus: nemo ſatis victoriam temperare poteſt. Sive vincimus ſive vincimur, multas fieri cædes neceſſarium eſt: incendia, rapinæ, adulteria, neces ex bello emergunt. Quod deteſtabilius eſt, illi maxime patiuntur, qui minime ſunt culpabiles. Ruſtici & pauperes plebes luunt pœnas: his pecora, his uxores adimuntur. Horremus certe tantorum occaſionem præbere malorum. Abeant potius impune belli Duces, quam multitudo eorum cauſa conteratur. Veniet etiam dies eorum: juratus ab his Deus atque deluſus non ſinet impunitum ſcelus, neque in longum gloriabitur iniquitas impiorum. Nos Ladislaum Regem patruelem noſtrum in hanc uſque diem ſumma fide nutrivimus: abſit a nobis, ut aliquid dure ſtatuamus in eum: noſter ſanguis eſt, & caro ex carne noſtra. Petunt eum Auſtrales; habeant. Atque utinam bene inſtruant, neque his tradant, a quibus vel occidatur vel imbuatur hæreſi. Nos quidem, etſi punire malefactores poſſimus, quia tamen vindicta in damnum pupilli redundaret, volumus etiam nunc tutoris officium gerere: qui cum poſſumus in Auſtrales ulciſci, Ladislai cauſa malumus oblivi ſci. Amplectamur igitur pacem quæcunque offertur, neque rumoribus hominum moveamur. Qui ſapient, conſilium noſtrum ex pietate, non ex timore, profectum exiſtimabunt.

His dictis placuit iterum Imperatorem ad hoſtes exire, atque ipſis præſentibus firmare pacem. Neque

in

in ea re defuit labor; namque cum hoſtes jam deſiliiſſent ab equis, & ad manum Imperatoris recepti, rurſus equos conſcendiſſent, in colloquium venientes, immutare pacis capitula nitebantur, parumque abfuit, quin ex colloquio rebus infectis diſcederetur: ſed auctori pacis gratior pax quam bellum fuit. Quippe laborantibus Epiſcopis, & adnitente omnibus ſtudiis Marchione, conditiones, quas ſupra commemoravimus, in concordia receptæ ſunt, datiſque dextris confirmatæ. Promiſerunt quoque ſex hoſtium Duces, intra dies octo pacis capitula in ſcriptis redacta munire ſigillis. Idem Cæſar cum Epiſcopis & Marchione bona fide facturum ſe, ait. Parſum eſt humano ſanguini, & ruri conſultum. Hinc orta undique lætitia & ingens gaudium: cum frater fratrem & amicus amicum alloqui poſſet: tum Cæſarianis Auſtrales miſcentur, atque ex duobus exercitibus unus efficitur. Omnes in Cæſaris gratiam recipiuntur: duobus tamen dure reſponſum eſt: Comiti juniori de Schaumberg improperatum, quod compater adverſus compatrem arma ſumſiſſet, neque maximæ in ſe Cæſaris beneficentiæ memor fuiſſet. Eizingerus autem cum Cæſarem, ad urbis portam ſequeretur, veniam petens, crimenque ſuum attenuans, nihil aliud audire potuit, niſi: feciſti, quæ libuit; judicet inter nos Deus. Atque finito colloquio Cæſar in urbem rediit, ut ajunt, Auſtrales relictis caſtris ad octavum uſque lapidem abierunt.

Die Lunæ, quæ fuit quarta Septembris, Comes Ciliæ cæterique Duces hoſtium cum ingenti equitatu ad crucem lapideam extra portam, quæ Viennam reſpicit, in conſpectu urbis conſtiterunt; eo namque, ut conditum erat, ad eos duci Rex novellus debuit. Imperator igitur accerſito puero, atque Epiſcopis aſſignato, quatuor cum eo ex conſilio miſit: Æneam Epiſcopum, Johannem Neipergium, & duos Vlricos. Hora itaque nona more theutonico ante meridiem, extra urbem miſſus eſt, ac Comiti Ciliæ apud crucem expectanti commendatus. Eo in loco plurima verba, quæ ad pacem tenderent, facta ſunt: plures captivi libertati redditi, multæ injuriæ remiſſæ. Incredibile dictu eſt, quo gaudio ſuum Regem Auſtrales acceperint. Eizingerus uberes præ lætitia lacrymas emittebat. Hic Bohemi puerum, ibi Moravi conſalutabant, ac vel ut ex carcere miſſum amplexabantur: neque ſatis vidiſſe cuiquam fuit, quem mox inter ſe recipientes, clamoribus hominum atque tubarum clangoribus undique perſtrepentibus, ad balnea ea die, ut, ſi quid Stiricum adhuc ſuperet, totus deponeret: exinde ad villam, quam Bertoldi vocitant, ubi & arx eſt, quam Comiti Ciliæ Imperator crediderat, diebus aliquot manſurum deducunt.

Georgius Podiebratius Regni Bohemiæ Gubernator, dum hæc aguntur, cum accepiſſet, Imperatorem ab Auſtralibus urgeri, non expectatis amplioribus conditionibus, collecto exercitu ſeptem & decem millium pugnatorum verſus Auſtriam iter dirigit. Egreſſusque primo domum Taboritas, qui ejus gubernationi erant infeſti, Buduicenſes ac

Dominos de Roſis aggreſſus, agros eorum devaſtat, atque adeo vexat, ut coacti leges, quas velit, ab eo recipiant. Nec dubium erat, quin ad Danubium uſque profectus, rapinas atque incendia miſcens, Auſtrales obſidionem ſolvere, & ad propria tuenda reverti compuliſſet. Jam enim Henricus de Roſis, qui apud novam Civitatem caſtra tenebat, patris atque fratrum querelis vocatus, cum magna copiarum parte abiturum ſe dixerat. Neque Barones Auſtriæ, qui trans Danubium agros villasque poſſidebant, manſuri ulterius putabantur. Neque enim facile inventu eſt, qui aliena, quam ſua magis curet: communibus quiſque privata præfert. Sed cum intellexiſſet in via Georgius, obſidionem ſolutam, Regem traditum, pacem factam, indignabundus retroceſſit, atque ad ſuos verſus, En, inquit, quantum gloriæ nunc nobis amiſſum eſt, quantumque lucri hoc itinere? Nobis Auſtria ſpolium dives terra, nomenque nobis æternum erat Imperatoris defenſi. Sed arbitror, illi, qui conſulant, effœminatos homines eſſe, atque vecordes, qui neque ad octo dies obſidionem tolerare potuerunt. Nec minus indignati ſunt Stirienſes, qui pro Domino in armis congregatos ad ſex mille viros prope diem miſſuri erant. Neque dubii videbantur, quin ſumma cum laude Imperatori ſubvenirent, nomenque ſibi grande perquirerent. Sed auditis pactionibus, quæ cum hoſte habitæ fuerant, & Cæſari & conſilio ejus maledicebant: maxime vero Johanni Vngnadio & Gualtero Zebingero turpem pacem improperabant, quos, veluti fœminas, valentes verbis, cum veniſſent in opus, animo cadere.

Interea Comes Ciliæ, quamvis Cæſari affirmaſſet, Regem ſe minime *Auſtralibus* crediturum, rogatus tamen ab eis, ut eſt fidei parum tenax, Viennam cum eo pergit, ibi Rex in morem triumphantis excipitur, popularibus præ gaudio lacrimantibus, Clerus ei & omnis plebs cum ſenatoribus obviam venit: pueri, innuptæque puellæ carmina in ejus laudem decantabant: matronæ ornatiſſimæ extra portam effuſæ manus oſculatæ Principis ſui, benedicebant Deo, qui nobiliſſimam Alberti ſobolem eis reddidiſſet. Soror amplexa fratrem, tangere jam ſe gaudebat, quem nunquam venturum in ejus aſpectum, arbitrabatur. Erant omnia feſtivitatis & lætitiæ plena: dies ille in omne apud eos ævum memorabilis putabatur: jamque ſe felices Viennenſes, & omnibus vicinis beatiores, jactabant: quibus datum eſſet, armis ſuum Regem recuperaſſe, per quem poſſent Bohemis & Hungaris imperare: jam ſe vertice cœlum tangere, ſublimioribus vicinos aſtris, exiſtimabant: divinæ majeſtatis vitam adeptos. Puer in arce regia apud ſororem in poteſtate Comitis nutriendus aſſumitur. *Cujus vita in hunc modum inſtituta eſt. Mane cum primum e plumis aſſurexit, confectæ nuces, & Græci vini veteris, quod malvaticum appellant, ei pocula deferuntur: quibus prælibatis, divina officia petit, miſſas publice audit, it, reditque per medias hominum catervas, ne Cæſareæ cultor ſolitudinis videatur. Reverſo aſſatas aviculas, & aliquid pulmentarii, regnicolaque vina apponunt, quæ*

*ille*

*ille prorſus evitat, ne potus conſilium ingrediatur. Interim apparatur unctum & copioſum prandium, nec minus quam XII. fercula expomuntur, & auſtralia vina, quæ plus habere ſpiritus videantur: admittuntur paraſiti, ſcurræ, pſaltriæ, cantatrices: qui plurimum placere cupiunt, aut Cæſari detrahunt, aut Regem laudant, & comitis magnifica geſta prædicant. Poſtquam cantibus & ſaltationi ſatisfactum eſt, meridianus ſomnus excipitur: exinde ſurgenti potus affertur, qui ſopitam excitet animam, & aliquid manducandum porrigitur, aut pomorum aut confectionum: paulo poſt aut conſilium petitur, aut in urbem equitatur: viſunturque virgines & nuptæ, quarum ſpecies egregia judicatur: ubi domum reventum eſt, apponitur cœna dubia & in partem noctis producitur. Nec dormitum eunti, vina pomaque deſunt, ac non petenti quidem, ſed recuſanti & faſtidienti, cibaria ingeruntur. Ita dies pulchro diſtinguitur ordine rerum. Quidam hæc magnopere damnant, altoremque comitem arguunt. Quidam adeo Cæſarem oderunt, ut omnia probent, quæ ſunt ejus adverſa moribus. At natura pueri bona, etiam inter has illecebras non corrumpitur; virilem gravitatem in puerili pectore gerit; neque vini, neque cibi plus quam ſatis eſt aſſumit; pauca loquitur, turpia deteſtatur, obloquentes Cæſari coarguit, bene ſibi apud eum fuiſſe affirmat, caſtiſſimum & ſanctiſſimum patruelem prædicat, cunctiſque in rebus ita ſe gerit, ut prudentiſſimi Principis ſpeciem repromittat. Qui congreſſus & tanquam in acie quadam cum voluptariis rebus, cumque vini & cibi licentia, quominus decertans, adverſus eas, non fuga neque abſentia, aut timore magiſtri, ſed vigore animi & conſtanti præſentia, ſupra quam pueri vires ferant, uſu moderatiſſimo tutum ſe præſtat.*

Cæterum Auſtrales dum lætitiæ, feſtivitatique dediti ſunt, nomine Cæſaris requiruntur, ut capitula pacis ac litteras ſuis ſigillis muniant. Nam ipſum, & qui fuerant tractatores concordiæ, ſuo debito ſatisfeciſſe. Comes Ciliæ, Comes de Schaumberg junior, Vlricus de Roſis, Wolffgangus de Valſe, Vlricus Eizinger, & tres alii Barones, vice communitatis Auſtriæ, bona, ut ajebant, fide intra dies octo concordiæ chirographum ſuis ſigillis roborare promiſerant. Sed quo pacto promiſſionem cuſtodiat, qui nec juramento teneri poteſt? Quis fallere hominem timeat, qui Deum contemnere ſolitus eſt? Quippe Auſtrales, quibus nulla mens fuerat, leges pacis obſervare, dum ſatisfacere promiſſo commonentur, negant capitula pacis eo modo conſcripta eſſe, quo fuerant ſtipulata; & quamvis Epiſcopi & Marchio Badenſis, nihil afferant eſſe mutatum, obnoxioſque illos apponere chirographo ſuo ſigilla, confirment; nulla tamen ratione moventur, neque ſignare pacta quoquo modo conſentiunt. Idque primum malæ mentis, & impuræ fidei poſt compoſitam pacem ſignum fuit. Neque hac fallacia contenti Auſtrales, ultra pergunt, datamque fidem in dies magis ac magis violant. Res bello ablatas haudquaquam reſtituunt: illata damna minime reſarciunt: Ladislaum Regem in Ducali ſede collocant, jurareque illi civitates, fidem præbere nobiles, confirmationes feudorum ab eo petere, eumque veluti regentem Principem venerari & obſervare, compel-

pellunt: cum tamen conventum eſſet, A expectare diem ſancti Martini, priuſquam ulla novitas in Auſtria fieret; ut tunc de conſenſu Principum, qui puero conjuncti ſanguine forent, & ſubditorum ejus, quo pacto circa eum eſſet agendum, ordinaretur. Sed vento ſimilis eſt Auſtralica fides, juncо fragilior marcido; nihil hoſce homines pudet; dictum atque indictum pari tenore accipiunt: juratum & injuratum juxta eſt illis. Non æquum, non bonum ſapiunt, lucro inhiant omnes, alieni rapaces, ſui tenaciſſimi. Id demum apud eos honeſtum eſt, quod dives: id turpe, quod pauper. B Vident Regem ætate admodum tenera nondum puberem indigere tutore, & adminiſtrationem ei committunt ejus terræ, quam vix grandævus Princeps bene gubernet. Quis non intelligat verſutias ac nequitias gentis? furari, rapere, devorare pupilli bona feſtinant, priuſquam venientes ad Conventum Principes, ut tanto ſanguini par eſt, gubernatores puero tradant, prædamque de faucibus eorum eripiant.

Hungari, ut intelligunt ſuum Regem eſſe Viennæ, mox ad eum mittunt Auguſtinum Epiſcopum Jaurinenſem. Nec diu poſt Dionyſius Archiepiſcopus Strigonienſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Varadienſis, Vacienſis Epiſcopi, Nicolaus Vaivoda, Ladislaus Palatinus, ac filius Johannis Gubernatōris, & alii quamplures regni Proceres, & Legati communitatum, cum duobus millibus equitum eo veniunt, Regique ſuo, non tanquam extra tutelam miſſo, ſed veluti duræ captivitatis ſolutis vinculis liberato, congratulantur, &, ut ad ſe proficiſcatur, multis precibus orant: donaque ſatis ampla & magnifica porrigunt: ſed aliquanto minora, quam fama ferantur. His reſponſum eſt: Conventum ſancti Martini expectandum eſſe, quia ſic cum Cæſare ſit concluſum. Inter hæc mittit Cæſar Æneam Epiſcopum Senenſem, Vlricum de monte Solis, qui poſtmodum ad Gurcenſem Eccleſiam eſt aſſumptus, & Hartungum de Cappel Jurisconſultum, qui, viſitato apud Viennam Rege, Legatos Hungariæ in domo Cardinalis Strigonienſis convenientes, ac Cæſareo nomine ſalutantes, cur Oratores eorum apud Florentiam non audiſſet Imperator, expoſuerunt, & cur datus extra manus Rex fuiſſet. Deinde, quoniam Hungari & Coronam Regni & caſtra quædam ex Cæſare petebant, voluntariam eſſe Imperialem Majeſtatem dixerunt, ſive in Conventu ſancti Martini, ſive ante, quando liberet, de his rebus cum eis agere. Hungari ad ſalutes gra- C tias reddiderunt: de Legatis Regni non auditis parvam æſtimationem fecerunt: de Rege Ladislao dixerunt, non ſe magnipendere, qua via ſit ille dimiſſus; lætabundos ſe tamen Deo gratias agere, quod ſuum Dominum libertati redditum intuerentur. De caſtris atque corona reſponderunt, ſe Regem adire velle, quæ dicta eſſent illi referre, ac pro ſua voluntate daturos reſponſum. Epiſcopus Senenſis ad ea pauca ſubjiciens, mirari ſe, ait, quod Regem libertati reſtitutum Hungari dicerent, quaſi captivum arguerent, qui apud Cæſarem pro filio nutritus fuiſſet ac pu-

dice

dice & liberaliter educatus. Quod illi mandata Cæſaris referre vellent, id non eſſe ingratum. Exin ſequenti die vocatis Oratoribus Imperatoris in curiam præſente Rege per Hungaros reſponſum eſt: Regiam ſublimitatem Imperatorem reſalutare atque amare; coronam Regni & opida, quæ obtineret in Hungaria Imperator, repetere: ſi redderentur, benivolentiam & gratiam duraturam; ſi minus, non poſſe Regem ſuo jure carere. Ibi Vlricus Sonenbergius, Nos, inquit, Hungaris, quæ juſſit Cæſar, expoſuimus: cum tua Majeſtate, Rex inclite, nihil nobis de hiſce rebus agitare commiſſum eſt. Sed quæ nunc tuo nomine dicta ſunt, ad verbum Cæſari referemus. Exeuntes autem Legati Cæſaris thalamum regium, per Cardinalem & alios Hungaros in aulam quandam accerſiti ſunt: juſſitque Cardinalis tum ſeipſum, tum cæteros Regni Prælatos Imperatori commendari. Johannes vero Varadienſis Epiſcopus eloquentia pollens & animo elevato, ſuadete, inquit, Imperatori, coronam & opida reddat, neque regnum noſtrum irritet, cujus Rex jam liber eſt. Cumque dixiſſet Æneas, multa eſſe, in quibus Imperator Regno Hungariæ poſſet uſui eſſe; & noſtrum, inquit Johannes, Regnum adeo excellens eſt & nobile, ut benefacienti retribuere facile poſſit. Animadvertit Æneas, commotam hominis mentem, & impenſatum eſſe reſponſum, cedendumque, animo excaleſcenti, exiſtimavit. Illud tamen non dimiſit intactum, quod de libertate Regis Johannes ante dixerat, quaque modeſtia ſervatus eſſet apud Cæſarem Ladislaus, pluribus verbis declaravit. Tum Johannes quodammodo ſeſe corrigens, non ideo ſe locutum, ait, quia captivum illum & male habitum apud Cæſarem exiſtimaverit; ſed quod jam ſibi & cæteris Hungaris communior eſſet factus & acceſſu facilior.

Cum viſitaſſent Legati Cæſaris, ut dictum eſt, Regem, ac verbis finitis Auſtrales ad ſiniſtram, Hungari vero, qui aderant, ad dextram ſe retraxiſſent, deliberaturi, quid reſponſi dandum eſſet, remanſiſſetque ſolus Rex in medio apud quandam feneſtram, paululum meditatus, cuinam parti ſe jungeret; ad Hungaros denique declinavit: ac, ſuopte ingenio, *mihi*, *inquit*, *quia ſum Hungarus*, *apud vos eſt manendum.* Quod verbum mira Vngarorum exceptum lætitia, mille in Regnum epiſtolis divulgatum eſt. Id ter Æneæ Cardinalis enarravit, timens, ne ſatis prima allocutione comprehenſus eſſet. Cumque ſolus Æneas Cardinalem adiviſſet, litteras ſibi Apoſtolicas reddidit, dixitque: ſummum Pontificem duabus de cauſis habere in eo fiduciam; &, quia magnus eſſet Archiepiſcopus, & quia Cardinalis: atque idcirco de rebus Apoſtolicæ Sedis fidenter apud eum ageret; rogaretque ipſum, ut veritati aſſiſteret, neque indigne carpi Romanam Eccleſiam permitteret. Tum vero ad Legatos Hungarorum & Auſtralium, qui Romæ fuerant, ac ſe ibi male viſos fuiſſe retulerant, deſcendit: exponens, quæ dicta ab his eſſent Apoſtolico culmini; &, quæ accepiſſent reſponſa, nihilque his aut factum aut dictum indigne monſtravit: ſed, cum ipſo monitorium Apoſtolicum adverſus Auſtrales emiſſum, multis modis accu-

accuſaviſſent; reſpondiſſe Papam, quæ conveniſſent Apoſtolicæ Majeſtati, viamque nihilominus obtuliſſe juſtitiæ. Demum vero rogavit; Romanæ ſedis cauſam apud ſuos tueretur, & ad ea, quæ pacis eſſent, inter Imperatorem & Hungaros navaret operam. Hungaris enim cum Cæſare quietem habere conduceret: qui cum Turcis aſſiduis impliciti bellis, non caute agerent, ſi pugnantes in fronte, tergum in ſecurum relinquerent.

Ad hæc Cardinalis, verum eſſe, ait, quod Oratores Regni ex urbe reverſi Papæ duritiem accuſaviſſent: qui & ægre audiverit eos, & auditis acerbe reſponderit. Fuiſſe tamen inter regnicolas, qui Papam expurgaverint; ſolum manere in animis Hungarorum moleſtiam, quod tardius ſui Oratores admiſſi fuiſſent. Nam reliqua non eſſe admiratu, aut reprehenſione digna. Paci velle ſe operam totis conatibus adhibere; ſuadere tamen Imperatori, Coronam, & Caſtella reſtitueret. Inter loquendum autem videbatur Cardinalis non probare, quod Rex Ladislaus Romam fuiſſet adductus. Tum Æneas, atqui, inquit, ex uſu veniet aliquando puero, & Italiam, & graves atque optimos illius terræ mores vidiſſe; docuitque, apud ſummum Pontificem ſacrumque Cardinalium cœtum quam libentiſſime viſus fuiſſet; utque is riſum nonnunquam Papæ moviſſet, ac potiſſime paucis diebus ante receſſum. Nam cum Papa longiorem illi audientiam negaret, quia plures eſſent audiendi Cardinales; *At Cardinales*, inquit Rex, *tecum*, *o maxime Pater*, *ſemper habebis*; *me autem non ſemper habebis.*

His apud Viennam geſtis Oratores ad Cæſarem reverſi ſunt. Hungari quoque domum repetiverunt, in Feſto omnium Sanctorum Regni conventum apud Budam habituri, atque illinc inſtructiores reverſuri. Plurimum autem Auſtrales & Hungari Cæſaris elidere conatus ſtudent: Auſtrales, ne ſui delicti pœnas dare cogantur; Vngari, ut Coronam & Regni veteres fines obtineant. Non tamen univerſi Auſtrales Hungaris favent: Eizingerus, & qui eum ſequuntur, Bohemorum parti conjunctiores videntur; ſperantes, petentibus Hungaris ac Bohemis Regem, fieri poſſe, ut Viennæ, qui medius locus eſt, ſuum Principem habeant. Fiunt mox inter eos, qui dominantur apud Auſtriam, duæ factiones: Civitates, & inferiores nobiles, ac Prælati fidem in Eizingero collocant: Comiti Ciliæ, Barones & potentiores credunt. Is vero arcem tenet & Regis curam habet, & quoniam Hungaris faventiſſimus putatur, pauci ſunt, qui non Hungaros arbitrantur Regem ad ſe ducturos. Illi autem ut illudant Auſtralibus, ajunt, ſe Regem non ultra Poſonium petere, ut illic ex teſtamenti paterni ordinatione gubernetur. At cum ibi fuerit, prohibiturum judicant neminem, quominus Jaurinum & ad interiora regni loca ducatur.

Per idem tempus, multa adverſus Johannem Gubernatorem Hungari dicere; eum Tyrannum & Regni proditorem appellare, qui duos Exercitus

tus maximamque Regni nobilitatem Turcis prodiderit, Polonumque Regem neci objecerit: nunc Regnum graviſſimo jugo premat: neque jus dicat, neque ex bono populos regat: adveniſſe ſuæ Tyrannidis finem, liberatum ex manibus Imperatoris Regem, indies affuturum, qui ſuperbum hominem conterat. Mos hic populi eſt, ſemper venturus amatur, odioſum eſt imperium vetus. Major Regni vis adverſus Johannem ſentire videbatur, multumque illi Comes Ciliæ adverſus credebatur; tanquam illo ex gubernatione Regni dejecto, ſit locum ejus occupaturus. (1)

*Contra Johannes, veritus, quod accidere poteſt, armis atque amicis ſe munit, & Giskræ, cujus hoſtis fuerat, ſocietatem ſibi adjungit. Conveniuntque hi duo inter ſe, alterum alteri opem ferre, neque reddituros ſe opida & bona coronæ, quæ tenent, Regi, niſi puberi, ac gubernatoris minus egenti. Curſus eſt hic humanarum rerum, ſedata una diſſenſione, mox altera ſurgit; inſtar hydræ truncata reſurgunt odiorum capita. Inquietum eſt mortalium genus, paci & bonis moribus adverſum. Inter hæc Bohemi apud Pragam in feſto ſancti Galli convenientes, Legatos eligunt, quos ad Regem mittant; & hi quidem cum equitibus circiter quadringentis Viennam veniunt. Inter quos de Monte Stellarum, de Roſis, de Lepore, de Cygno, præcipui Barones exiſtimati ſunt; qui cum Regem adiviſſent, non cæterarum gentium more, ſuo Principi munera porrexerunt, qui ſoliti ſunt ex Regibus dona ſuſcipere. Salutarunt autem majeſtatem ejus, ſibique verbis pluribus gratulati ſunt, qui jam tutela depoſita, regnorum ſuorum ſuſcipere curam vellet, terram Bohemiæ, quæ diu Rege caruiſſet, multis ſubjectam calamitatibus, cupide ſuum adventum expectare; voluntarios eſſe Bohemos regni coronam ſibi tradere, ſi modo capitula quædam pro pace regni eis promittat, & ne differat ad ſe proficiſci: niſi cito iret, timendum eſſe, ne Regem alium ſibi plebs adſciſceret. Verum cum pleraque peterent, quæ neganda videbantur, ſæpe interrupti tractatus, rurſus integrati fuerunt. Cumque aliquando coram Rege mentio de Bohemis fieret, tanquam aliqua peterent non conſona fidei: at ſi me, inquit Ladislaus, Regem habere cupiunt, Chriſtiani ſint, oportet; &, quam ego teneo fidem, teneant; quæ vox complures ex conſilio fecit attonitos, cum Regem, quamvis parvulum, zelum intelligerent habere fidei. Comes autem de pulchro monte, cui nunquam religio cordi fuit, ubi advertit, mutare conſiliarios, & quid vos, inquit, ea curatis, quæ Romanam ſedem reſpiciunt, quid noſtra intereſt, quo modo Bohemi cum Papa ſe habeant; ubi Archiepiſcopum accipiant; quo jure teneant eccleſias; quo ritu celebrent: curent Sacerdotes, quæ ſua ſunt, nos de regno cogitemus, ne Regi pereat. Sive Chriſtiani fuerint Bohemi, ſive pagani, noſtri ſunt; dum Regi tributa pendant, quam velint ſectam ſequantur. Denique in has*

(1) *In fine Opus hoc Æneæ Sylvii in editis fuit mutilum; Continuatio, integris tredecim manu exaratis foliis conſtans, ſuperat in Cod. III. a fol. 38. pag. 2. uſque ad finem folii 50. quam hic typis excudi fecimus.*

*has leges conventum est, quæ Sigismundus avus & Albertus Ladislai Pater Bohemis promisere, ea immota esse. Inter Bohemos & Basiliense concilium pactiones habitas, inviolatas manere. Johannem Rochezanam in Archiepiscopum gentis petendum, neque fidem novam, neque alium præsulem in regnum, dum is vixerit, inducendum. Quæ regni nomine per Barones post mortem Alberti gesta sunt, rata consistere; Regnicolis, quæ occuparint feuda, non auferri; quæ Federicus Cæsar de regno donaverit, irrita esse. Ladislaum in festo Johannis Baptistæ Iglaviam petere; ibique per Bohemos susceptum, duci Pragam, in festo Divi Bartholomæi coronam susceptu-*
A *rum. Sic Rex, animo bonus, consilio malus, inventus est; qui vel invitus ea pacta signavit. Scripta sunt hæc & firmata inter Ladislaum & Bohemos, quamvis Hungaris res suspecta atque ingratissima esset; præventuros se tamen Bohemos Hungari crediderunt, arbitrati, postquam Rex Posonium peteret, reditum ei præcludere. Interea temporis, cum festum sancti Martini prope adesset,*
C *delegit Imperator tres oratores, qui ad dictam diem comparentes, venturos alios adstruerent, cum Principes venisse constaret, qui tractatum pacis assumerent; se tamen præmissos, ut, si quid esset agendum medio tempore, non deforet Cæsaris auctoritas. His Regis nomine actæ sunt gratiæ, qui ad rem bonam juvissent. Laudatusque Imperator est, qui conventum haud quaquam negligeret, quia tamen nondum Principes comparuissent, placuit eorum adventum expectari. Nec diu post accesserunt Viennam Frisingensis & Ratisponensis Episcopi. Ludovicus Bajoariæ Dux, qui & Ottonem, Ottonis filium, ejusdem familiæ Ducem & consanguineum suum secum adduxit. Albertus Brandenburgensis, & Carolus Badensis, Marchiones præsto adfuerunt, & Albertum secutus est Johannes Episcopus Eichstetensis. Sigismundus Archiepiscopus Saltzburgensis, & Albertus Bajoariæ Dux, cum alterum ecclesia, alterum ægritudo domi detineret, qui suas vices implerent, Legatos misere. Pestis interim Viennæ gravis exoritur, neque parum plebis absumit. Cæsar autem Ludovicum &*
B *Albertum advocat, cupiens ante eos affari, quam tractatus inchoetur; & hi quidem, non inviti prorogantes ex assensu partium dictam diem, ad novam civitatem se contulerunt. His Cæsar suam causam exposuit, rogatosque fecit, ut suo juri faverent, cum esse inique contra se actum, intelligerent. Ludovico autem & Alberto grave videbatur Viennam reverti, ubi pestifer aër grassabatur, rogabantque Cæsarem, ne tantam nobilitatem periculo mortis exponeret, consentiretque locum mutari conventionis. Sed, annuente Cæsare, Australes nullo pacto transferre conventum permisere, dicentes, non esse pestem ferocem, ut fama ferret, neque mutandum locum, ad quem vocati & Hungari essent & Bohemi. Neque enim sicut Italici, ita & Theutonici pestiferum aërem reformidant, neque mortem magnopere timent, aut funera plangunt; levis est apud eos carissimorum obitus. Necessarium igitur erat, Viennæ teneri conventum, eoque redire principes, & Legatos Cæsaris pergere. Interim orta est de securitate controversia; Australes, daturum suum Regem*

*publi-*

*publicam fidem, ajebant, omnibus, qui Viennam peterent; Cæsar, nondum positum in administratione Ladislaum, id juris habere, negabat; neque se missurum sub ejus salvo conductu Legatos affirmabat. Soluta est altercatio per principes, qui suscepta in se utrinque potestate, & Viennæ Cæsareis, & in Nova Civitate Regalibus oratoribus, securitatem promiserunt. Ludovicus Bajoariæ Dux medio tempore Cæsarem multis rogatibus onerat, ut pro confirmatione electi Patavienſis ad Romanam curiam scribat, quo negato, Ottoni Duci Bajoariæ consanguineo suo ut feudum paternum conferatur, expetit, id ei concessum est; & cum Ottone simul feudum accepit Johannes Episcopus Eichstetensis, vir doctrina & probitate insignis. Albertus autem Marchio Brandenburgensis, cui adversus Norimbergenses in curia Cæsaris lis erat, judicium expostulabat. Cæsari autem visum est prius experiri, an amice res possent componi. Ad eamque rem Johannem Aichstetensem, Æneam Senensem Episcopos, Valterum Zebingerum, duos Vlricos & Marescallum Imperii delegit, qui dies complures in eo negotio frustra consumpserunt; cum Albertus vendere pacem, Norimbergenses gratis accipere, vellent. Nicolaus interim Cardinalis sancti Petri, ac Pontifex Brixinensis Ecclesiæ, vir omnium litterarum doctrina & sanctimonia vitæ memorabilis, jussus adire conventum Viennensem, ad Cæsarem venit, sed, Cæsare in judicio sedente, ac causam inter fratrem & Schiafusenses cum principibus audiente, nullus ei obviam processit, præter Eichstetensem & Senensem Episcopos, quod omen parum prosperæ legationis est visum. Cæsar tamen sequenti nocte ad eum veniens, expurgatum se reddidit, quia non impendisset honorem, legato debitum; egitque sibi, qui venisset, & summo Pontifici, qui misisset eum, ingentes gratias, atque in alteram diem totius controversiæ statum sibi exponi curavit. Intelligens autem Cardinalis, quia Ludovicus & Albertus Viennam repeterent, enarravit eis, quam ob causam sedes apostolica se misisset; rogavitque, ut apud Australes securitatis sibi litteras impetrarent Viennam petituro; quia si non possit pacis agitare negotium, saltem cum Bobemis de rebus fidei tractaret, quos illic esse didicerat. Principes suas operas promittentes, Viennam perrexerunt, cumque his unus ex familia Cardinalis profectus est, qui Regi Ladislao litteras daret, ac publicam fidem ab eo exigeret. Responsio Principum Vienna in hunc modum remissa est: quia nominati essent nonnulli Principes, qui pacem inter Cæsarem & Australes componerent, non videri Australibus consentaneum, admitti Cardinalem, qui nominatus non esset. Volenti Cardinali Viennam ire, tutum patere accessum, neque legatis Apostolicæ sedis inter Christianos opus esse publica securitate; minime tamen placere Australibus, Cardinalem apud Viennam convenire Bohemos, qui non essent ad res ecclesiæ missi. Si quid cum his agere vellet, alium locum, aliud sibi tempus eligeret. Hæc pari modo & Ladislaus respondit. Nuncius vero Cardinalis, dum mandata domini Viennæ prosequitur, Principumque consilia frequentat, incognitus aliquando apud Consiliarios, de Cardinali hunc sermonem audivit: qui se tractatibus, non vocatus, ingerit, aut stultus est,*

*aut proditor. Quibus cognitis, intel-*A *lexit Cardinalis, neque Principibus ſuum tranſitum placere, qui ſe rerum ductores æſtimabant, totamque pacis gloriam ſuam eſſe, malebant. Receſſiſſet autem e veſtigio, domumque repetiſſet, niſi remanere nonnullis eum diebus Imperatoriæ preces compuliſſent, Johannes, Friſingenſis Epiſcopus, dum hæc agitantur, qui adverſus fratrem Gaſparis, olim Cancellarii, eccleſiam obtinuerat, apoplexia tactus, inteſtatus atque elinguis Viennæ decedit; mira & incomprehenſibilia Dei judicia! Eandem mortem cum Gaſpar obiiſſet,* B *ajebat Johannes, divina illum ultione percuſſum, qui ſibi in eccleſia Friſingenſi non juſtas moviſſet lites, neſciens idem ſibi fatum imminere. Poſt hæc Cæſar Oratores ſuos Viennam mittit. Æneam Epiſcopum Senenſem, Vlricum Riderer, Juriſconſultum, & alios ex conſilio majores. Johannes Naypergius jam Cæſari in ſuſpicionem venerat, &, tanquam non fideliter ſe geſſiſſet tempore belli, e curia miſſus erat. Johannes Vingenadius, & Valterus Zebingerus, odioſi* C *apud Viennenſes, haud quaquam mittendi videbantur. Venerant ad Imperatorem Colonienſis, Maguntini, & Treverenſis, Archiepiſcoporum ac Federici Ducis Saxoniæ & aliorum quamplurium Principum Legati, præſtantes & magni viri; & hi Viennam petere jubentur. Barones quoque & nobiles Auſtriæ, qui fidem ſervarant, eo diriguntur, omnes apud Æneam Epiſcopum conveniunt, reſque Cæſaris in communi pertractant. Inde ad palatium ſimul proficiſcuntur, ſive ad Principes, cum vocantur. Ductor & rector omnium tractatuum Albertus Marchio videbatur; cui & ſermo promptus & induſtria multa fuit. Is, ubi Legatos Cæſaris in palatio habuit, quæſivit ex eis, quænam media pacis aperirent. Legati, id opus eſſe tractatorum, ajebant; dari tamen ſibi publicam audientiam petebant, in qua jus Imperatorium manifeſtarent, quemadmodum eſſet conventum. Nam cognita cauſa, facilius poſſent Principes invenire concordiam. Albertus, audientiam publicam ſine tumultu non poſſe fieri, dicebat; neque pulchrum, comitia palam proferri: diſputationibus exaſperari, non mulceri animos; partem quoque adverſam audientiam manifeſtam petere, at ſibi non videri dandam. Legati cum audiſſent, adverſarios audientiam cupere, tunc magis eam flagitabant, operæ pretium eſſe putantes, Cæſarem, quem Auſtrales ubique gentium probro affeciſſent, publice expurgari. Quæ res nullo pacto ſuaderi Principibus quivit. Cum vero aliquamdiu ſuper hoc diſputatum eſſet, viſum eſt Principibus, id primum attingere, ut, quo loco, quibuſque rectoribus Ladislaus gubernari deberet, in commuui diſcuteretur. Legati autem, injurias examinandas, & damna Cæſari, per Auſtrales illata, imprimis reſarcienda, dicebant. Cum diu ſimul altercantes non convenirent cum Legatis Principes, ait Albertus Marchio: neceſſarium ſibi eſſe, Novam Civitatem in cauſa Norimbergenſi petere, in qua terminus prope adeſſet; meditatum ſe pacis nonnullos modos, quos Cæſari vellet exponere: & quamvis Legati Cæſaris id magnopere diſſuaderent, ne conventus Viennenſis interrumperetur, Marchio tamen plus ſuæ, quam alienæ cauſæ conſulens, retineri non potuit. Sed prorogata eſt diæta Vien-*

*nenſis*

*nensis ex partium placito in dies aliquot ultra. Vilhelmus, alter ex Ducibus Saxoniæ, cui soror Ladislai Regis nupta est, non parvi animi, & vasti corporis adolescens, rei militaris egregie peritus, & inter Principes Theutoniæ non sine illustri nomine, dum ista geruntur, cum accepisset, uxoris fratrem ad dominia sua remissum, cupidus ejus videndi, ut sunt ornati & pictis armis Saxones, cum splendido comitatu Viennam petiit. Sed cum pridie quam intraret, Ladislaus, non ignarus illius adventus, in villam perrexisset; idcirco creditus est, secessisse, ne venienti duci occurreret. Vilhelmus autem, veluti contumelia tactus, cum Regem Viennæ non invenisset, mox ad Imperatorem se contulit; ut par pari referre videretur, prius Cæsarem visens, quam Regem. Hic apud Novam Civitatem, cum ludi militares singulis penè diebus magnis contentionibus ad Imperatricis gloriam frequentarentur, complurima suæ virtutis documenta monstravit. Visus inter Principes, interque minores, aut primus aut post Albertum Marchionem omnibus, qui ferrent arma, & robustior, & peritior; clarumque nomen videbatur adeptus, nisi Viennam redeunti sibi quidam ex Bohemis irrogasset infamiam. Id, quo pacto sit factum, breviter libet exponere, ut consuetudinem Germanæ nobilitatis exteri quoque, si laudanda est, edisce re possint. Est in Westfalia civitas insignis & potens nomine Susatum, ad dominium ecclesiæ Coloniensis pertinens; quæ cum desciviſſet ab ecclesia, ac sub umbra Ducis Clivensis libertatem sibi quandam usurpasset, Theodoricum Pontificem, jura ecclesiæ vendicantem, gravibus damnis affecit: qui, cum se urgeri a subditis cerneret, Vilhelmum, de quo sermo est, in auxilium accersivit. Is patri, de se bene merenti, laturus opem, militem ex Bohemia legit, profectusque contra Susatum, cum diu civitatem obsedisset, fortissimos tamen cives expugnare non potuit, nec, domum reversus, omne stipendium militi solvere. Inter alios autem, qui molestius aurum exigebant, visus est sororis Georgiconis, Bohemiæ Gubernatoris, maritus. Is cum se diu verbis protractum, ac denique spretum animadverteret, postquam Vilhelmum esse Viennæ, totamque illic Germaniæ nobilitatem convenisse, didicit; eo & ipse proficiscitur, atque, comperto debitore, denuo, velut ex supervacuo, stipendium sibi debitum petit; confutatus, ad pictorem se confert, tabellasque complures, in eundem modum formatas, accipit; atque in locis urbis frequentioribus affigit. Tabellarum hujusce modi pictura fuit. Pede uno alligatus ex sublimi ligno vir militaris pendebat; juxta sedebat mulier egregia forma, quæ virum pendentem tristis intuebatur; tum carta ex ore suspensi hominis ad mulierem tendens, Alamanico sermone conscripta, hæc habuit verba: Ego sum Vilhelmus Dux Saxoniæ, qui fractæ fidei pœnas pendo; fer opem amanti tuo, Margarita, fer opem; ne peream, spes mea, fer opem. Talia adversus magnum Ducem, non magnus homo impune peregit, quæ res multum de nomine tanti Principis eduxit. Id, an rite factum sit, alii judicent; nobis & indigna & barbara consuetudo visa est. Cum statuisset autem Albertus Cæsarem accedere, Æneas quoque & Vlricus Riderer secuti sunt eum,*

*eum, prius tamen Bohemos adiverunt, inter quos primus fuit Alſchio de Monte ſtellarum, eiſque duas res propoſuerunt. Alteram, ne recederent Vienna, antequam Principes ex Nova Civitate redirent; alteram, ut Cæſari, quantum æquitas ſineret, propitii eſſent; utraque ab his promiſſa res eſt, neutra obſervata. Namque cum diu Principes apud Cæſarem morarentur, affecti tædio Bohemi domum petiere. Interrogaverat tamen Æneas eos, cur Cardinalem Sancti Petri non admiſiſſent? Cur Regem ſuum obligaſſent pactionibus, quæ non eſſent ſecundum fidem? Non tamen, hæc omnibus exponebat, ſed his duntaxat, qui volunt videri fideles. Ad quem Alſchio: Cardinalem, inquit, idcirco non admiſimus, quia nihil cum eo tractare licebat injuſſu regnicolarum; neque hoc tempore res eccleſiæ bene conduci poterant, priuſquam Regem haberemus: nam quæcunque paciſci voluiſſemus, irrita ſine Rege fuiſſent; nunc, loquente Rege, omnes admovebunt ori digitum, nec erit, qui ſuæ valeat reſiſtere voluntati. Neque curanda ſunt, quæ modo pacta percuſſimus; ferre minora voluimus, ne tolerare majora oporteret. Cum Rex erit in regno, facile omnia reformabuntur. Tum Æneas: Diviſi eſtis, inquit, in Bohemia, hinc Catholici, inde hæretici ſunt. Vos in Rege confiditis, in pactionibus illi. Sigiſmundum & Albertum magnos Reges pacta reſtrinxerunt, quid de hoc puero faciant, quem obligatis, ne quem Archiepiſcopum in regno ſuſcipiat, ſi Rochezana confirmari non poſſit; nunquid hoc hæreticum eſt, & alienum a fide chriſtiana, ſine Pontifice velle degere? Ad hæc Alſchio: Non debet, inquit, Rex noſter alium Archiepiſcopum in Regnum admittere, Rochezana contempto, niſi Majeſtati ſuæ ſecus fuerit viſum. At cum intellexerit, Rochezanæ locum eſſe non poſſe, tum ſibi videbitur, alium eſſe recipiendum. Tum Æneas: videbitur, ait, ſi regni Baronibus videbitur; Rochezana vero tam plebi dilectus eſt, ut excludi non poſſit. Cum multa utrinque dicta eſſent, ita receſſum eſt, ut Alſchio, rem bonam & laudabilem cum Auſtralibus a ſe actam, aſſereret. Æneas, etſi Bohemis Regem bene aſſentientem probaret, pacta tamen, quæ de fide percuſſa fuerant, non carere vel fraude, vel ſuſpicione, rebatur. Cum veniſſet ad Cæſarem Albertus Marchio, Principeſque ſecum pleroſque duxiſſet, judicium in cauſa, contra Norimbergenſes jam pridem mota, petebat, præcedereque ſuum negotium, rem Auſtralium cupiebat, qui indigentem ſui Cæſarem ſibi faventiorem arbitrabatur. Cæſar autem exiſtimans, lata ſententia, ſi viciſſet, ſuperbire; ſi ſuccubuiſſet, indignari Albertum, neque recta mente cum Auſtralibus acturum, differre judicium conabatur. Sed factis hinc atque inde pluribus verbis, quid me, inquit Albertus, incaſſum tanto tempore ſuſpendis Cæſar? tredecim in tua præſentia ſunt Principes; expectas, dum hi recedant, ut cum tuis Conſiliariis me judices? Noli hoc tibi perſuadere; Princeps ſum, & ex Principe natus; minime tuus me Mareſcallus, aut magiſter Cameræ judicabit. Id, quamquam ſuperbe dictum videretur, neque temeritate carens, non tamen caſtigatum eſt; nam Cæſar ſuo more manſuetis uſus ſermonibus in alterum diem rem produxit. Tumque vocatis*

*Prin-*

*Principum oratoribus, & accersito Cardinali Legato, quærebat, in tanto negotio quid agendum videretur? Cum Albertus litem suam solis Principibus crederet, Norimbergenses etiam inferiores in judicio sessuros peterent. Albertus timens, ne quid adversum se decerneretur, furenti similis, convocatis fautoribus suis, iracundus & inportunus in consilio Cæsarem adit, suamque causam inter dispares agitari queritur; cumque sibi responsum esset, non sedere tunc in judicio Cæsarem, sed consilium in agendo quærere, idque licere sibi ex quovis homine suscipere: Principes, qui aderant, ecclesiasticos & seculares ad se vocavit, & in conclave sese recipiens, ut sibi consulant, eos orat. At cum Cardinalis, quæ sibi non placebat, bona fide diceret, graviter ab eo correptus est, neque Senensis Episcopus aut Eichstetensis increpatione caruit; cum pacis consilia uterque præberet: erat enim Marchio extra mentem, neque verba comprimere poterat, in tantamque dementiam prosilivit, ut neque Imperatorem, neque Romanum Pontificem se quicquam pendere, protestaretur; vixque contineret manus, si quis opinioni suæ contrarius iret. Hoc est Principum commune vitium; nutriti namque inter minores, qui cuncta laudare solent, quæ dicuntur ab eis; cum ad extraneos, sibique pares veniunt, furunt atque insaniunt, ubi se reprehensos intelligunt. Nam, quasi Dii sint, reverentiam & adulationem ex hominibus sibi debitam putant. Cæteri Principes, postquam corrigi Pontifices animadvertunt, quid tu, inquiunt, Marchio mæstus es? Pone querelis modum, ibimus omnes ad Cæsarem, petemusque, tuam causam cum Principibus terminet, teque veluti Principem habeat; non erunt nequicquam preces nostræ. Sume animum, atque ito nobiscum. Acquievit Albertus. Itum est ad Cæsarem. Audita petitione, in hunc modum responsum est. Est Albertus Marchio in conspectu Cæsaris, fuitque semper clarus Princeps; neque id quispiam negat. Illud solummodo in disceptationem venit, an causa, quæ cum Norimbergensibus sibi est, solos Principes in judicio deposcat? Vtcumque sit, sedebit crastina die Cæsar pro tribunali, assistentesque sibi Principes advocabit, & quæ Marchio, quæque Norimbergenses dicere velint, benignus audiet. Placuerunt Marchioni Cæsaris dicta, atque in crastinum auditorium apparatum est, ad quod vocatus Sancti Petri Cardinalis, cum intrasset Imperialem aulam, &, quæ gererentur, considerasset; negavit in eo se judicio sessurum, in quo per calumniam Marchio, conspiratione Principum facta, quæ suæ libidini placerent, invito Cæsare, posset obtinere: fuit enim Cardinalis doctrina illuminatus singulari, justitiæ tenax, quem neque metus, neque amor unquam a recto calle dimovere potuit; at propterea ingentes inimicitias in sua natione passus est; cum plerisque nimis justus videretur. Locus admonet, quoniam de causa Marchionis & Norimbergensium sermo incidit, hujus litis originem altius attingere, sic enim legenti notior fiet. Norimberga, quam nos montem Noricorum possumus appellare, nobilis & potens civitas est, inter Bajoariam, Franconiamque flumini adjacens, quod Pegenizium incolæ vocant, ex Bohemiæ montibus delapsum. Vrbs plena populo; sacris*

*ſacris ac profanis ædibus, ad principalem magnificentiam faſtigiatis; ſolido muro, profunda foſſa, crebris & altis turribus egregie communita: ſed in agro ſita ſterili & arenoſo; ob eam cauſſam cives, plerumque artifices aut mercatores, habentur; qui & Flandriæ & Venetiis negotiantes, univerſam Germaniam mercibus implent; &, ſicuti proverbium eſt, ſine Norimbergenſibus non ſunt mundinæ. Hinc auctis opibus cives, qui nihil extra muros poſſidebant, agros, prata, ſilvas, villas emere: ruſtica ſtruere ædificia: piſcinas fodere: leporaria apparare cœperunt: & in modum nobilitatis vitam agere, invidiam vicinis facere. Nam cives apud Theutones, utcunque divites, & antiqui, loco plebis habentur. Territorium, quod Norimbergam undique cingit, univerſum ad Marchiones Brandenburgenſes pertinet, qui ſunt Burgravii Norimbergenſes. Eaque pars hæreditatis Marchioni Alberto in diviſione, cum fratribus facta, obvenit. Hujus ſubditi, cum ſæpe Norimbergenſes, velut inſolentes, accuſarent, ejuſque jura ab illis uſurpari dicerent; cumulatis ultro citroque modo in hac, modo in illa cauſa querelis, ut inter vicinos fit, Albertus civitatem, civitas Albertum odire cœpit. Albertus juriſdictionem, quæ ad ſe pertineret, cujuſdam villæ, Norimbergenſes invaſiſſe prætendit. Illi, telonium adverſus fœdera Albertum auxiſſe, magnoque ſe damno preſſos, queruntur. Interea Nobilis quispiam de Adoch vicinus, cum ſuſpectam haberet Marchionis potentiam, caſtra ſua Norimbergenſibus vendit. Id ægrius Alberto fit, venditionem haud ratam exiſtimanti, tanquam caſtra ſui feudi ſint, increpatque propterea Norimbergenſes. Illi nihil ſe inique feciſſe dicunt, viamque juris coram Cæſare offerunt. Albertus bellum indicit, Norimbergenſes omnia prius experiri, quam arma, volentes, Cæſaris opem implorant. Cæſar utramque partem ab armis abſtinere jubet, jus dicturum ſe dicit, viam facti prohibet. Sed nihil præceptio Imperatoris profuit. Norimbergenſes Marchionem, Marchio Norimbergenſes, mandatum Cæſaris violaſſe contendunt. Armant ſe ambæ partes amicis. Principes Alberto favent, Civitates Norimbergenſium arma ſequuntur, major Germaniæ pars hoc bello implicatur. Cæſar in pœnam criminis partes, quæ noluerant ſuis obtemperare mandatis, uſque ad extinctionem quodammodo decertare permiſit. Novem prælia in hoc bello geſta ſunt & aſpera & cruenta, quorum ſemper Marchio, præterquam unius, victor extitit. In his multa virtutis experimenta præbuit, cujus vel fortitudinem, vel prudentiam magis admirere, incertum eſt. Cujus memorabile factum hoc loco præterire non poſſum, quod ipſe nobis ex ordine retulit, cum de Nova civitate ſimul Viennam peteremus. Id hujuſmodi fuit. Erant Norimbergenſes ad bellum inſtructi, ſex millia peditum, equites octingentos in armis habentes, cumque his terram Marchionis ingredi properant, cui nequaquam parem eſſe ſciunt exercitum: is hoſtium adventu cognito, viarum peritus, ac difficultatum, cum ſexcentis equitibus, ac ducentis peditibus obviam pergit. In medio camporum, late patentium, fluvius fuit, equiti omnibus ex partibus, pediti uno tantum loco permeabilis, ibique fruteta ad inſidias oportuna. Hic Albertus pedites collocat,*

*datis*

datis præceptis, ut permisso equitibus hostium transitu, peditatum deturbent ac morentur. Ipse cum delectis equitibus in silva propinqua se continet. Norimbergenses, ubi ad fluvium veniunt, qui considunt equis, facile transeunt, pedites paulo post vadum quærentes & aquam undique præaltam offendentes, ad locum insidiarum veniunt, indeque pluribus amissis necessario retrocedunt. Albertus, visis hostibus, qui simul juncti, & ad insultum parati, eorum, quæ peditibus contigissent, ignari procedebant, e silva se proripit, universumque producit equitatum, atque in pugnam sese offert. Ea re percepta subsistunt paulum Norimbergenses, veriti, ne major hostium numerus in se ruat. Consistit quoque Albertus cum suis, & quid agant hostes, attentius inspicit. Nec mora, delecti tres equites, arrectis hastis, præcipiti cursu ex acie Norimbergensium versus hostes, veluti provocatores, feruntur. Tum Marchio armis undique tectus, rusticana super inducta veste, ne cognosci posset, ordine dato, quem cæteri teneant, cum duobus Comitibus animo plenus, lanceam dextra recipiens, in provocatores decurrit, &, qui sibi sorte obvius datur, equitem primo impetu prosternit: Comites una cum hostibus cadunt, solus Marchio in sella remanet, qui, nondum fracta lancea, in cumulum Norimbergensium, velut inter oves impavidus leo, multa vi desilit, & unum atque alterum ab equo dejiciens, viam sibi inter confertissimos cuneos facit, ibique gladio rem gerens, obvium quemque detruncat, atque urgens calcaribus equum, & impetu validissimo prorumpens aciem, nunc dextra, nunc sinistra pugnans, ad vexillum usque pervenit. Quo viso, ingenti clamore vicimus, inquit, & utraque manu hastam apprehendens, ad se trahere nititur; ibi centum supra eum gladii nudantur, unum omnes petunt, premunt, concutiunt, totum eum robur exercitus confodere nititur, cumque alter alterum premeret, neque confodi homo posset, magnis ictibus cædebatur. Ille autem fatigatis brachiis & armis magna ex parte quassatis, humeris ac pectore in hastam totus incumbit, eamque complectitur, aut rapturus ad se hostium signa, aut certe pro signis hostium moriturus. Neque frustratus est desiderio, nam dum solus adversus plurimos contendit, neque letaliter vulnerari potest, aut ab equo remitti; equites sui, qui rem geri videbant, ingensque Ducis intelligebant periculum, uno omnes impetu in hostes ruunt. Illi, dimisso cum paucis Marchione, quem minime norant, alacres prælium committunt; cadunt ibi ex utraque parte complures, victi tamen Norimbergenses in fugam vertuntur, cæduntur, capiuntur, pauci domum redeunt. Parta victoria, dum Marchio requiritur, apud hostium signa reperitur, vexilla in complexu tenens, neque, ictibus contusus, loqui valens, sed manu ac nutu se manifestans. Sanguis illi e naribus, ex auribus, ex ore plurimus fluebat, toto corpore lividus erat, pectus confractum, illiæ scapulæ, caput veluti magno tonitru obstupefactum; at spiritus adhuc integer, & anima, victis hostibus, læta. Rogatus ex equo quadrigam ascendere, qua domum quietius duceretur, non acquievit, ut qui turpe duceret, magnum Ducem curru trahi, armatus in equo ad conjugem venit, apud quam pluribus diebus jacens, tandem convaluit.

luit. *In eodem contra Norimbergenſes bello, cum Auguſtenſes, atque Vlmenſes alio tempore, ſtructis ordinibus ſibi occurriſſent, ductoris eorum, qui ante acies procurrebat infeſtus, os lancea perfodit, atque dejectum equo captivum duxit. Opidum alto muro & foſſa cinctum, in quo præſidium non tenue Norimbergenſes habuerunt, cum diebus nonnullis obſedisſet, ex quatuor partibus inſultum dedit, reſervata ſibi opidi facie, qua & murus altior & aqua profundior erat, ne Principibus, qui ſecum arma ſumpſerant, partes prælii duriores committere videretur. Dato ſigno, cum undique validiſſime pugnaretur, admotis ſcalis, primus omnium murum aſcendit, atque in opidum deſiliens, tamdiu cum ſuis adverſus opidanos, & qui intus erant mercenarii milites, prœliatus eſt, donec cæteri Principes murum tenerent. Quibus rebus, etſi poterat Albertus videri parum cautus, qui tantis ſe periculis objectaret, nomen tamen ejus & in Germania & Gallia glorioſum eſt reditum, & virtus ejus adeo formidabilis apud hoſtes, ut eam aciem nunquam vincere ſe poſſe confiderent, in qua ſcirent Albertum eſſe. Nec mihi ambiguum eſt, quin ſucceſſu temporis, poſtquam ejus res geſtæ conſcriptæ & poſteritati traditæ fuerint, inter illuſtres & ſublimes viros apud omnes gentes Alberti fama colluceat. Is palatia Norimbergenſium, quæ more Florentinorum in agris complurima poſſidebant, villaſque omnes incendit, caſtella & arces munitiſſimas expugnavit, nihilque his extra muros civitatis reliquit. Sed neque ipſe damno caruit, nam & Norimbergenſes in agrum ejus egreſſi, quicquid obvium fuit, incendio conſumpſere, in tantumque diminuti ſunt redditus eccleſiarum atque nobilium, ut præbendæ Anaſpacenſes, quæ nummos aureos octuaginta reddere quotannis ſolebant, ad quinque & viginti redactæ ſint, nobilibus ceteris ex tribus portionibus annui cenſus, una remanſerit. Erat miſerabilis Theutoniæ facies, nuſquam viator tutus. Incendium ejuſmodi Sueviam, Franconiam, Bajoariam, vexabat, hinc Principibus prædam agentibus, inde civitatibus agros igne ac ferro vaſtantibus. Epiſcopi quoque Bambergenſis, Auguſtenſis, Eichſtetenſis, Marchionis cauſam adjuvabant. Herbipolenſis antiſtes, unus ex omnibus Alamanniæ Principibus, civitatum ſe parti conjunxit, & animo forti atque intrepido ſuam tutatus terram, vicinos infeſtavit, qui Marchioni faverent. Quid dicam? Dubitare ſolemus, an liceat Epiſcopis, jubente Cæſare, bellum gerere, cruentiſque certaminibus intereſſe? Vidimus noſtro tempore, quamvis prohiberet Imperator, Epiſcopos tamen arma geſtare; verum illis, neceſſitatem fuiſſe pugnandi, nonnulli putaverunt, & ipſi hanc excuſationem præſeferebant; niſi enim bello ſe miſcuiſſent, agros ſuos utriuſque partis rapinis expoſuiſſent; quod an verum, ſatiſque purgatæ conſcientiæ fuerit, ipſi viderint. Fridericus poſtquam partes utrimque pro ſua culpa correptas, atque admodum exhauſtas animadvertit, Silveſtrum Chiemenſem Epiſcopum, Johannem Naypergium, & Vlricum Riderer, qui pacem componant, Legatos mittit. Erat Silveſter grandævus pater, prudentia & doctrina juxta venerandus, boni cuſtos & æqui; ſed animo, quam corpore fortior: cui podagra omni fere tempore Comes fuit.*

*Hunc*

*Hunc cum primum vidiſſet Albertus, & adventus cauſam noſſet: in tempore, inquit, veniſti pater, feſſi bello utrinque ſumus, neque vires nobis neque facultates ſuperant ullæ, ferro juventus periit, fruges ignis abſumpſit, aurum omne receſſit, facile pacem compones inter eos, quibus non eſt bellandi poteſtas. At poteras, inquit, Chiemenſis Epiſcopus, integris opibus, ſalvis hominibus, concordiam aſſequi, ſi Cæſaream vocem audiſſes. Sed eſt hoc ſuperbiæ proprium, ut niſi fracta cervice, & contritis oſſibus quieſcere nequeat. Concordia apud Bambergam in hanc ſententiam dicta eſt: inimicitiæ, atque offenſiones procul ex utraque parte ſunto. Si qua ex Norimbergenſibus ſibi debita Marchio credit, id jure coram Cæſare experiatur. Idem Norimbergenſes agunto, ſi Marchionem ſibi obnoxium exiſtimant. Querelis, utrinque porrigendis, utrinque partes reſpondento, ſententiæ Cæſaris parituræ. Principes alii, & Civitates reliquæ Ludovici, Comitis Palatini judicium abſque appellatione quærunto. Pace compoſita, Cæſar ex officio Marchionem, Norimbergenſesque litteris citatoriis ad ſe vocat. Marchio, conſtitutionem eſſe Caroli quarti dicit, quæ Principem ad judicium non eſſe vocandum, niſi per Principem, velit; negatque ſe compariturum, niſi legitime vocetur; occupabat enim Norimbergenſium pleraque opida, longumque judicium eſſe cupiebat, ut fatigati Norimbergenſes, auro pacem emerent. Septem & decem Principes ex Alamania ſuperiori, Rhenique partibus Cæſari ſcribunt, dignum ſibi videri, Marchionem Albertum, niſi vocetur a Principe, non comparere judicio. Cæſaris & ſenatus ejus longe alia ſententia fuit, ſed adverſari tot Principibus arduum videbatur. Quando enim non potentiæ juſtitia cedit? Recte a Strabone traditum eſt, jus eſſe potentiorum, commoditatem. Factum eſt igitur, quod Albertus optavit: dilata in aliquos annos res eſt, non ſine magno diſpendio Norimbergenſium, donec Cæſar ex Italia reverteretur; neque aliud tunc, quam de juribus citationis, erat diſcutiendum. Reverſa igitur ad judicium lite, placuit ante omnia tractare concordiam, ſi forte componi res poſſent. Ei negotio præpoſiti ſunt Johannes Eichſtetenſis, & Æneas Senenſis Epiſcopi, Johannes de Lyſura, perſpicacis ingenii Jureconſultus. Valterus Zebinger, duo Mareſcalli, alter Imperii, alter Saxoniæ Ducis, & Virici duo, Juris interpretes non contemnendi; qui cum animum Marchionis inſpexiſſent, ſuadebant Norimbergenſibus, aurum dare; neque illi abnuebant, nihil tamen effici potuit, cum minor pecuniæ ſumma promitteretur, quam Marchionis vel cupiditas poſceret, vel paupertas. Eo igitur ducta contentio eſt, ut coram Cæſare, coramque Principibus partes audirentur. Sedebat Imperator inter Ludovicum Bajoariæ, & Albertum Auſtriæ Duces. Ludovicum ſequebatur Vilhelmus Dux Saxoniæ, & illum Otto, Ludovici conſanguineus; tum Carolus, Marchio Badenſis; exinde Sileſiæ Duces duo; illis duo Comites ſuccedebant, quos liberos vocant, numeroque Principum habentur. Alberto tres Epiſcopi conſidebant, Johannes Eichſtetenſis, Æneas Senenſis, Fridericus Ratiſponenſis. Ac tum primum ſiniſtrum Cæſaris latus eccleſiaſtici Principes tenuerunt, quibus dextrum vetuſta conſuetudo aſſignavit:*

*ex quo facto non defuerunt, qui religionem Friderici parum solidam accusarent. Ibi Petrus Kenorrius vir doctus, & apud Theutones facundus, Marchionis vice locutus, Majores Alberti omni ævo Romano fideles Imperio fuisse commemorans, eorum multa egregia facinora retulit, propter quæ, cum essent Comites, ex beneficentia Cæsarum, Marchiones creati, & ad illustrium Principum eminentiam evecti fuissent; litteras Caroli quarti, aurea bulla munitas, in medium afferens, quæ id continerent. Tum legem Imperialem adduxit, quæ citationibus Principum formulam præbet, si quando vel regalia, vel honores eorum impetantur. Norimbergenses autem, vectigalia, Teloniaque Marchionis attingere; quæ nemo dubitaret regalium nomine contineri: non esse igitur rite citatum Albertum, quem Princeps citaturus non adivisset. Rursus & aliam legem produxit, quam Francfordiæ in conventu Principum factam asserebat, cujus auctoritate omnes infames esse, atque corpus & bona perdidisse, decernuntur, qui, non quæsita justitia, coram tribunali Cæsareo bellum homini, aut universitati cuivis indicerent. In actione sua Norimbergenses hoc ipsum Marchioni adscribere, atque honorem ejus vitamque oppugnare. Jure igitur vocationem Principis in tanto negotio necessariam fuisse: petiit ergo, cassam & nullam esse citationem, declarari; Norimbergensesque, in expensis propterea factis Marchioni, condemnandos, qui communibus litteris Principem evocari curassent; deinde suas petitiones adversus eos audiri, quos rite vocatos, nullus ambigeret.*

*Ad hæc Gregorius Hamburgensis, tam facundia clarus, quam juris scientia præstans, unus ex tribus, quorum doctrinam atque ingenium, dum synodus apud Basileam viguit, mirari Germaniam intelleximus, cum hoc tempore Norimbergensibus patrocinaretur, in hunc modum respondit. Civitatis de Romano imperio bene merentis, defensurus hodie causam dive Cæsar, quo me vertam, cujusve præsidium implorem, præter Majestatem tuam, habeo neminem. Nam ceteri, qui assident tecum judicaturi, aut participes litis sunt, qui bellum contra nos gessere; aut Alberto sanguine junguntur; aut tanquam Principes commoditate propria ducuntur: rem bellam judicantes & dignam laude, Principes in causam trahi non posse. Nemo est enim, qui non se legibus, aut judiciis velit exemptum. Sed tuus his honor impugnatur, tua potestas in dubium ducitur, te potissimum & audire patienter, & providere cautissime convenit; ne quid hodiernum judicium Imperiali sublimitati afferat detrimenti. Citationem tuam Albertus arguit; si ruit, quod a te factum est, incommodum sentiemus; tua Majestas & irrisionem, & diminutionem feret. Ex officio vocatum Marchionem, ac ex pactis apud Bambergam habitis, quis non intelligit responsioni obnoxium? Non hic ordinario jure, sed compromissoria potestate, proceditur; ex placito, ex conventione, judicium institutum est. Solemnitates omnes abesse oportet, quæ cætera judicia deposcunt; quamvis, & ordinarie nobis agentibus, nihil obstare legem, manifestum est, cujus meminit Petrus: namque, si legi*

*vigor*

*vigor inſit, quem ille prædicavit, nihil eſt, quod Romanum Imperium amplius exiſtimemus. Caſſum eſt omne judicium, extincta inter nos juſtitia; quippe minores cauſæ ſuos habent Judices. Si quando cum Principe lis eſt, hic Cæſarem adire oportet. Sed quis adeo potens erit, qui Principem poſſit apparitorem habere? Arrigite aures germani equites! Attendite viri nobiles! cavete vobis, qui minores eſtis Principibus, proceres! &, qui eis vel ſubditi eſtis, vel vicini! aurum, veſtes, domos, agros, uxores, liberos illi vobis auferent, quid tum? Quo confugietis? Vbi gentium conqueremini? Vbi requiretis gloriam veſtram, niſi Principem afferatis, qui Principem citet, nullum vobis in Cæſare præſidium erit! ó noſtra Germania! o Imperii domicilium! o refugium orbis terræ! Siccine leges condis, ut leges evellas? o noſtri ſeculi Duces! quo veſtra ſapientia ceſſit? væ vobis, inquit Iſaias, qui leges conditis iniquas, & ſcribitis captiones, ut populum peſſumdetis! o cæcam & ſtultam prudentiam, quæ, dum Principes vult extollere, ſupprimit; præconis officium Principi committit! Quid dicant de vobis Itali, Galli, ac ceteræ nationes, cum præcones eſſe apud Germanos Principes, audierint? Impunita ſi veſtra eſſe ſcelera cupiebatis, nonne ſatius erat, ut fortes decet viros, aperta fronte Imperii jugum excutere, atque has legis ambages omittere? quippe hæc una lex eſt, quæ omnes excludit leges, Imperium delet, populos opprimit, tyrannos pene infinitos noſtris cervicibus imponit. O cæcam & rationis inopem Germaniam! quæ, dum ferre unum Imperatorem recuſas, mille te dominis ſubjicis! Quid eſt Principem non poſſe citari, niſi quemque in ſua provincia Imperatorem eſſe? Vltra ſexcentos annos Imperium apud nos fuit, quamvis arctius, tamen diutius imperavimus, quam Romani, aut Græci; forſitan finis eſt gloriæ noſtræ: ut nullam eſſe potentiam in terris perpetuam Deus ſinit. Vereor, vereor, ne veniant alieni, & auferant nobis locum & gentem; propter injuſtitiam enim, notum eſt, de gente in gentem Regna & Imperia tranſmutari. In manibus noſtris, ut cernitis, extenuatum, & pene conſumptum, Imperium eſt: Natio noſtra, lacera & quaſſata, nullo tempore quieſcit: undique bella tonant: nuſquam ſecuritas eſt; vivitur ex rapto: non hoſpes ab hoſpite tutus: non ſocer a genero. Neque civitatibus tranquilla quies, neque Principibus otium eſt; quando & ipſi nullo judiciorum metu repreſſi, alter alterum invadunt. Hic fructus eſt iniquarum legum. Hoc parit iniquitas Principum, qui, dum imperare ſinguli volunt, omnes imperium perdiderunt. Sed ruerent ipſi, & non ſecum omnem populum Pharaonicam in ſervitutem ducerent. Equidem actum de vobis eſt, viri nobiles, ſi, quemadmodum Principes optant, Romana poteſtas opprimitur. Hæc de legibus noſtris in communi dicere libuit. Modo quia legi, quamquam duræ parendum eſſe volunt, monſtrandum eſt, aliter loqui legem, quam Petrus putat, quod facile omnes intelligetis. Si quis, ait conſtitutio Carolina, ſuper honore, vita, vel feudo, Principem impetit, Principem adhibeto, qui citet. Id perinde eſt, ac ſi dicat: qui Principem honore nudandum, aut vita privandum, aut feudo, quod ab Imperio tenet, duxerit ſpoliandum, niſi*

*Principem, qui citet, invenerit, frustra nititur. Neque ego ista divino; Principes ipsi cum tua Serenitate Cæsar superioribus annis, hanc esse constitutionis mentem, declaraverunt. At cum dico: in feudo tuo nutris homines, qui me lædunt: in Teolonio tuo plus exigis, quam debeas: indebitum vectigal recipis; feudum mihi reddito, quod vi insuasisti: neque tibi vitam auferendam, neque feudum adimendum, neque honorem denegandum, contendo. Nullum enim interdictum infamat; Non est igitur solemnis citatio necessaria, neque constitutio locum habet, cum Cæsar ex officio citat, cujus ligari manus nequeunt. Marchio insuper speciali conventione nostris se responsurum actionibus adstrinxit. Tu ergo, Imperator, videto, ne tuæ potestati deroges, ne te Imperii majestate scienter exuas, ne civitatem tuam Norimbergensem opprimi sinas. Vos, qui adstatis, animadvertite, ne jugum hoc gravissimum vestris humeris imponatis, ut, sine citatore Principe, convenire Principem non possitis; neque enim res erit ulla, in qua non feudum, aut honor, aut vita Principis non attingatur. Quod ultimo loco Marchio petit, suis actionibus responderi, non negabimus; si primo citatus, primo responderit. Ea cum Gregorius resonanti & alta voce pronunciasset, multorum, qui adstabant, nobilium corda pulsavit, quibus & legis iniquitas, & sui status ruina non ignota fuit. Albertus autem, qui se coram judicibus litigare faventibus norat, Gregorium, uti se judicio subjicat, atque litigandi mandatum ostendat, non parva contentione requirit. De mandato non fit contradictio, de submissione, respondet Gregorius, Norimbergenses, quorum nomine verba faceret, eorum subire judicium, qui litis cum Marchione consortes fuissent; non videri consentaneum, neque Ludovicum Ducem, aut Carolum Marchionem, recte judicaturos putari, quorum alter consanguineus, alter affinis esset Alberti. Amplexurum autem se Cæsaris judicium absque controversia, professus est; si conjudicantes, nulli parti suspectos, assumeret. Marchio vero omnes, qui considerent, judicandi potestate dignos, asserebat, neque suspectos haberi posse, qui jam reconciliati civitatibus essent, & alioquin illustres Principes, quamvis juncti sanguine, nihil agerent, quod iniquum ducerent. Cui Gregorius: Vana est, inquit, defensio tua Nobilissime Princeps! Lex enim consanguineos, non tanquam malos, sed tanquam sanguine proximos, excludit; sciens, quia sæpe sanguis & caro aliud revelat, quam spiritus: & quamquam pax nobis cum his Principibus sit, de his tamen nunc rebus contendimus, de quibus invicem pugnavimus: & nisi modo sequatur concordia, fœdus inter vos est, rursus in bellum conjunctis viribus contra nos ire. Plurima hinc atque inde refricata sunt, sed omnia fere in hunc sensum cecidere. Imperator sententiam Principum percontatus est, quid de summissione videretur? Illi seorsum, excluso Cæsare, inter se consultabant, quæ res mali exempli Senensi Episcopo visa est, quasi Principes legem Cæsari præfigerent: hortatus est igitur Majestatem Imperatoriam, ne se pateretur excludi. Imperator Principes ad se vocat, utque in sua præsentia deliberent, eos admonet, vocato Vlrico Riderer Jurisconsulto, qui sententias exquireret.*

ret. Albertus, cum vidisset Vlricum, inter Principes verba facientem, accedens propius, vestemque hominis apprehendens: Tu ne Princeps es, inquit, qui te Principibus misces? Vique retrudens virum, jussit abire. Ille, tacitus rubensque, recessit; neque Cæsar quicquam locutus est, etsi marchionis indignam audaciam existimavit. Episcopus Ratisponensis jussus sententiam dicere, vocandos esse consiliarios Principum, ait, cumque his rem trutinandam. Id omnibus placuit. Vocati consiliarii suadent, mandandum esse Gregorio, judicio ut se submittat, ad ulteriora deinde procedat. Tum Gregorius, & subjeci me, inquit, & subjicio determinationi Cæsaris, quemadmodum compromissi forma requirit, exceptionibus salvis, quæ mihi contra personas assessorum competunt. Cumque jam nox adventasset, placuit, in aliam diem rem differre. Sequentibus diebus sæpe de concordia actum est, sed frustra omnes conatus fuere, cum multa Marchio quæreret, Norimbergenses pauca promitterent. Interea Principes frequenter cum Marchione conveniebant, qui, cum intellexissent, eorum consiliarios Gregorii verbis nonnihil incensos esse, sibique minus favere, dedit operam, ne quis consiliarius ultra per Principes accerseretur; cumque dies adesset judicio dicta, scripsit ipse per se Marchio sententiam, deditque Principibus, in judicio legendam; cujus hæc sententia fuit: Quoniam Marchio Albertus Imperii sacri princeps est, secumque de rebus agitur feudalibus, & honor ejus in dubium vertitur, neque servata est vocationis forma, qua vocandos Principes sanctio Carolina præcipit; citationem adversus eum decretam, viribus carentem, cassamque videri. Neque Gregorio, qui se submiserit, de suspicione dicendi locum esse, pronuntiamus. Hanc sententiam amplexi sunt Ludovicus Bajoariæ Dux, adolescens parum expertus, & Alberti proximus consanguineus: Otto, ejusdem familiæ Princeps, nondum viginti annos natus: Vilhelmus de Saxonia, non tam juris, quam belli peritus, & adhuc juvenili sanguine fervens: duo Silesiæ proceres, quorum alterum ætas, alterum affectio potuit ex judicio repulisse: & junior quidem, cum non potuisset ad diem perseverare, sententiam suam, ut ex Marchione receperat, scriptam reliquit. Tum duo Comites, alter adolescentulus, alter amantulus, quibus Alberti suasio non minus in judicio audienda, quam in torneamentis, bellisque recipienda, videbatur. Albertus autem, Germanus Cæsaris, cum suam Æneas opinionem exquireret, quid tibi dicam? inquit, scio injustam esse Marchionis causam; sed quia fœdus est mihi cum eo, minime ipsum relinquam. Cui Æneas: at meam Marchionis causa non occidet animam, quam suscitare non potest. Aderat Carolus, Marchio Badensis, qui hæc audiens verba, & ego, inquit, Alberto Marchioni fœdere sum & affinitate conjunctus, meam enim ille sororem in matrimonium duxit; non tamen ejus amor iniquam ex me sententiam extorquebit. Eichstetensis Episcopus, qui Marchioni colligatus erat, quo se verteret, ignorabat; hinc conscientiæ stimulis agebatur, ne quid contra jus fasque dictaret, inde Marchionis amicitia tenebatur. Neque Ratisponensis Episcopus medius inter Bajoariæ duces, satis exploratum, quid sequeretur, habebat; ex

*parte divinam ultionem, ex altera Principum minas, formidabat. Imperator, etsi voluisset melius sentire Principes, postquam tamen sententiæ dictæ fuissent, secundum majorem partem judicaturus videbatur. Hæc non inutiliter a nobis, ut arbitror, referuntur, ut intelligant homines, parum esse, quod in humana justitia collocari præsidii possit: aut odium apud homines, aut amor judicat. In rebus aliquando minimis recte judicatum est: majora Principum negotia non ducunt leges, Regis impietas ferro coercetur, non jure. Conclave postquam Cæsar intravit, sententias exquisiturus, duo illic discutienda proposuit, unum, an, qui suspecti fuerant allegati, repelli deberent? Alterum, an citatio revocanda videretur? Primus, qui diceret, Eichstetensis Episcopus, blanditus Principibus, subtilitate quadam juris, ne dicam iniquitate, inanes Gregorii suspiciones ajebat, qui se judicio submisisset, & ad causam citationis descendisset, priusquam suspicio discuteretur; neque protestationem valere, quam suo facto prævertisset. De citatione, non erat ausus diffinire, ut qui neque legem Caroli probabat, neque Marchionem præsumebat offendere. Post illum rogatus Ludovicus, scriptam sententiam produxit, in qua, repulsis Norimbergensium exceptionibus, citationem irritam decernebat. Eumque secuti sunt omnes, præter Carolum Badensem, & Fridericum Ratisponensem, qui priusquam judicarent, Æneam audire voluerunt. Is fari jussus, res, inquit, admodum gravis est in manibus, in qua & honor Imperatoris, & noster vertitur. Jurati omnes Cæsari sumus; cavendum est, ne quid consulamus, tantæ Majestati adversum. Illud autem mihi videtur in primis juri consonum, ne quis de se ipso cognoscat, quem suspectum Gregorius dixerit; neque enim affectata videri judicia debent: quo se quisque magis ingerit, eo suspectiorem se facit. Neque mihi persuaderi potest, qui Marchionis sint necessarii, quique belli ejus Comites fuerint, eos juste Norimbergensibus dictare sententiam. Cumque nonnulli nostrum sine suspicione dimissi sint, æquum censeo, de cæteris, an repellendi sint, prius arbitrari, deinde vires citationis examinandas. Hæc verba & Ludovico & plerisque aliis molesta fuerunt, scientibus, quia merito coarguerentur; obstinato tamen proposito in sententia perseverarunt. Eichstetensis autem Episcopus, sentiens, se non parum expunctum, meliori consilio ductus, ad cor rediit, conversusque ad Cæsarem, si vera fateri volumus, inquit, haud bella res est, nos, qui bellum adversus Norimbergenses, instigante Marchione, gessimus, in hoc judicio ferre sententiam; quin suspendimus causam, donec tua Majestas ad Imperii superiores partes ascendat. Placet, inquit Cæsar, si modo & cæteri consentiant Principes. Examinatur diu negotium. Tandem auditis, quæ dicta essent, libuit suspendi causam, usque ad nativitatem divi Baptistæ, Imperatoremque per id temporis ad superiora Teutoniæ loca conscensurum: cum Electoribus & aliis, qui affuerint, Principibus causam resumere, Marchionemque, veluti Principem, tractare. Principes, ubi hoc ultimum audiverunt, existimantes id esse, quod Marchio quærebat, omnes assensi sunt, atque in hunc modum, cum esset plurimum noctis, pronunciatum est. Neque enim solemnitati juris*

*ris ſubjacet imperatorium tribunal, & timendum fuit, ne Marchio cuncta perverteret, ſi ſpatium ad deliberandum cum Principibus habuiſſet, qui ſibi nihil reticebant. Siluerunt partes, cum audivere ſententiam; cum neutri ex propoſito ſucceſſiſſet, ſcriptam nihilominus ſibi tradi, poſtularunt. Acquievit tamen Marchio, qui poſſeſſor erat, neque facile dimittebat occupata caſtella. Norimbergenſes, ubi juſtitiæ locum apud Principes nullum eſſe cognoſcunt, paucis poſt menſibus ingreſſi novos cum Marchione tractatus, pacem ſibi & amicis non parvo auro comparavere. Albertus, Auſtriæ Dux, adverſus Sciafuſenſes, & Rapevillenſes, qui Palatini Comitis ſententiam experti, Cæſarem appellaverant, in cauſam traxit. Sed illi putantes, judicium principale non eſſe civitatibus æquum, & animo revolventes, quo pacto Norimbergenſes habiti fuiſſent, pecuniam dare, quam lites ſubire, maluerunt. Sic diutinum & atrox bellum, quod ſuperiorem Teutoniam acerrime vexaverat, terminatum, ſopitumque eſt. Inter hæc Hungari admodum multi cum Gubernatore Viennam revertuntur, deque regni ſui negotiis agitant. Imperator Principes eo remittit, & cum his Conſiliarios ſuos, qui apud Epiſcopum Senenſem convenientes, de rebus, ad pacem neceſſariis, conſultabant. Hiſque viſum eſt, Hungarorum adire conventum, qui tunc in ædibus Johannis Gubernatoris habebatur. Ibi ex numero Prælatorum præcipui fuerunt, Cardinalis Strigonienſis, Archiepiſcopus Colocenſis, Varadienſis, Jaurienſis, Tranſilvanus, & Agrienſis Epiſcopi. Ex ordine Baronum, Johannes Gubernator, Ladislaus de Gara Palatinus regni, Nicolaus Vaivoda, & alii complures. Tum Legati civitatum, viri graves, & aſpectu venerabiles, magnum & venerandum Senatum repræſentabant. Illic Æneas locutus, ſalutes Cæſareas concilio dixit: cur Viennenſis conventus fuiſſet indictus, expoſuit: jus Imperatoris & mentem ejus enuntiavit, qui Regem Ladislaum, ut ſuum ſanguinem, ſuumque filium adamaret. Controverſiam autem eſſe Cæſari adverſus nonnullos ex Auſtria, cum nobiles, tum populares, qui contra jus fasque ſibi moleſti fuiſſent. Rogavit igitur, ut audirent utriuſque partis cauſas, ac boni conſulerent; deinde Legati apoſtolici contemptum enarravit, quem Viennenſes admittere noluiſſent, rationeſque confutavit, quas præferebant Auſtrales. Hungari gratias Cæſari pro ſalute dixerunt: ſuper cæteris, quæ fuiſſent propoſita, reſponderunt: ſuum ſe Regem conſulturos, atque acturos, quæ ille præciperet; cujus imperio Viennam petiviſſent. Viſum eſt Legatis Cæſaris plenum ſuperbia reſponſum; nec plura locuti ab his abierunt, ad tractatum pacis, cum Auſtralibus inchoandum, ſe convertentes. Auſtrales autem, quia tempus conventionis elapſum eſſet, tractatum recuſabant, neque abſentibus Bohemis & Sileſitis, qui jam recenſerant, aliquid poſſe concludi, putabant. Legati Cæſaris, conventionis tempus adhuc durare, ajebant, quod partium placitis prorogatum fuiſſet, atque ipſos Principes in teſtimonium adducebant. Cumque Auſtrales obſtinato propoſito conventiones amputarent; ergo, inquiunt Legati Cæſaris, neque promiſſio, neque fides vim apud vos habet, qui nihil horum ſervatis, quæ apud No-*

vam civitatem datis dexteris affirmastis. Signare litteras conventum fuit, noluistis: gubernationem pupilli Regis sine præsentia Cæsaris auctoritate propria disposuistis: castella quædam noctu furati estis his, qui cum Cæsare manserunt: Res bello ablatas minime reddidistis: nunc concilii tempus elapsum dicitis: Quo vestra nobilitas abiit? ubi dictorum vestrorum constantiam requiremus? Principes, cum diu, nunc Legatos Imperatoris, nunc Australes, audirent, & illi publicam audientium peterent, isti detrectarent; ex usu rati sunt, omnia prius experiri, quam auditioni publicæ locum facere, (1) ne partes irritatæ convitiis pacem difficilius admitterent. Jusserunt igitur, petitiones partim hinc atque inde proferri, ex quibus elici concordiæ media possent. Petitio Cæsaris fuit, resarciri damna, quæ passus esset: administrationem tutelæ restitui: atque in pœnam rapi nocentes. Australes, conjuncti Hungaris, opida, quæ Cæsar aut in Austria, aut in Hungaria occupasset, & regni coronam, repetebant. Id cum Legati Cæsaris ex Principibus cognovissent, ac respondere juberentur; in Corona, inquiunt, non facturum Cæsarem controversiam, si cætera componantur. Opida Hungariæ partim jure pignoris teneri, partim emptione, partim justo bello quæsita: Australica vero, aut Albertum, aut Elizabet, Ladislai parentes, vel sibi, vel Friderico, patruo suo, accepta pecunia, pignori tradidisse: indignum esse, ea repeti, ære non reddito: quæ jure tutelæ tenerentur, resarcitis belli damnis, non negaturum Cæsarem, quamvis adhuc tutela Regis, nondum puberis, ad se pertineret; quem, dum bene nutrirent, pacis causa, apud Comitem, ceterosque non invitus dimitteret. Australes, & alia Castella esse, dicebant, quæ Cæsar, recepta pecunia, plerisque nobilibus pignori adscripsisset: debere Cæsarem illa redimere, qui supra decies quinquies centena aureorum millia nummum ex Australibus hausisset. Legati subridentes, facile, inquiunt, multa millia verbo colligimus: cum manum apponimus, vix centena in dena redeunt. Rarus Principatus est, qui, deductis oneribus, pecuniam cumulet: pignorari castra, necessitas regionis expostulavit; nunc, qui plura occupant pignora, hi sunt, qui pignorantem magis accusant. Hungari, quantum ad se pertineret, negabant, Reginam, quæ coronæ oppida fuissent, pignori obligare potuisse, aut ullum extraneum coëmere castra in Hungaria: quamvis agri & vineæ cunctis essent venales. Quæ bello quæsita narrarentur, Nobilium fuisse, Baronum, ajebant; nisi his restituerentur, aut armis tuenda, quibus obtenta fuerant, aut amittenda. Nec justum fuisse bellum, affirmabant, quo se Cæsar lucratum illa referret. Legati ad hæc Wladislai Regis Poloniæ, qui tempore belli, de quo est sermo, rerum in Hungaria potiebatur, induciarum, cum Cæsare factarum, litteras proferebant: quibus cavebatur, qui ex Hungaria in Austriam aut Stiriam rapinas ageret, aut ex Austria sive Stiria in Hungariam prædaretur, eum licere parti læsæ, quamvis non requisita altera parte, compescere, docebant. Ex opidis, quæ repetebantur, sæpe in Austria & Stiria rapinas & cædes admissas: petivisse Cæsarem, ut malefactores

(1) Quæ sequuntur, ea idem codex habet fol. 11. pag. 1. & 2.

ctores ſuos Hungari punirent, illoſque reſpondiſſe: implicitos ſe bello Turcorum, non poſſe latrones corripere: neque ſcribendum his eſſe, qui parituri dicto non forent. Cæſari, ſi velit, aut poſſit, auctoritatem habere, qua illos coërceret. Congregaſſe Cæſarem exercitum: expugnaſſe munitiſſimas arces: ſupplicio latrones affeciſſe: indignum eſſe, caſtella ſine ſatisfactione ſumptuum reddi. Super pignoribus & emptionibus, jure diſcuti litem, petebant. Hungari cum hæc inficiari nequirent, aliud refugium quærunt. Ladislaum, inquiunt, Banum, cujus Caſtra fuerunt, ſub fide publica ad ſe venientem, a Cæſare in carcerem fuiſſe conjectam: hinc latrones patrimonium ejus occupaviſſe: ab his Auſtria & Stiria vexata; originem malorum ex Cæſare profectum: qui virum bonum ſine culpa comprehendit. Tum Legati Ladislai Bani litteras in medium adducunt, quibus ille ſe juſte captum a Cæſare, & miſericorditer dimiſſum, fatebatur. Principes, cum multa nunc iſti, nunc illi parti dixiſſent, vocatis tandem ſeorſum Legatis Cæſaris, ajunt, ſeſe viam æquitatis Hungaris & Auſtralibus magnopere ſuaſiſſe, illoſque tandem in hunc modum reſpondiſſe: Quæcunque Caſtra jure pignoris ſive in Hungaria, ſive in Auſtria Cæſar occupat, ea pro chirographorum ſententia ſervet, reliqua cum corona Hungariæ reſtituat; quæ ſua Majeſtas inſcripſit aliis, ære ſuo redimat: ad eam rem auri octuaginta milia nummum ex Auſtralibus accipiat: eo pacto quinquaginta milia lucrifactu-

A

B

C

rum Cæſarem; nam pignora, facto computo, triginta millium reperiri. Suadebant igitur has conditiones recipi, quando aliud obtineri non poſſit, alioquin, videre ſe bellum, ajebant: timere Cæſari, quem licet juſtum intelligerent, tamen inermem viderent. Cumque Legati cuncta refutarent, ituros ſe ad Cæſarem dicunt, ſecumque rem tractaturos: utque Senenſis Epiſcopus & Vlricus Riderer eo proficiſcantur, relictis Viennæ cæteris, orant. Geritur Principibus mos. In præſentia Cæſaris Albertus Marchio res Viennæ geſtas, & pacis leges exponit. At cum Cæſarem majora petentem cerneret, nos, inquit Marchio, res ad calcem deduximus: nihil eſt, quod amplius extorqueri poſſit: aut has pacis conditiones, aut bellum amplecti, oportet: quamvis tua Majeſtas ſuopte ingenio, quid horum ſit antiquius, norit, neque noſtro conſilio egeat. (1)

*In Hungaria* (2) meliores arces, quas bello quæſiviſti, tibi tuiſque dimittuntur: pœnæ nomine adverſarii tui octuaginta millia aureorum pendent: Si parua pro maximo delicto pœna eſt, maxima erit indulgentiæ tuæ laus. Quid de utilitate dicam? Liberatus Auſtralibus curis, res tuas geres, Stiriæ, Carinthiæque negotia diſpones: ad Superiorem inde Alemaniam te conferes: pacem inter Principes, qui diſſident, compones: dilaceratam rempublicam reſarcies: pecuniam ingentem retinebis, quam bellum exhauriret: parces agris, parces tuis ſubditis.

(1) *Hunæ in modum in laudato ſupra codice abrumpttur ſententia; reliqua, quæ ad continuationem iſtam perttnent, habentur in principio codicis* manuſcripti quarti, *ut hic vulgavimus.*

(2) *Æneæ Silvii ad Cæſarem verba ſunt, ut ex ſequentibus intelligere licet.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*ditis. At plus victoria conferet, dicat aliquis. Scis, dubios esse belli exitus: cum potentissimo Rege litem habes: multæ & magnæ provinciæ pro illo adversus te armantur: raro vincere pauciores cernimus. Quod si demus te victorem, cui nocebit tuus exercitus, nisi patrueli tuo, tuisque subditis? bellum hujusmodi hoc est, cujus victoria nihil emolumenti possit afferre: nam præda militibus dispertienda est, opida, si quæ expugnari contingat, restituere tandem patrueli oportebit: neque enim tu es, qui subditorum patruelis tui crimina in eum, qui puer est, convertere velis, & paterna hæreditate tuum privare sanguinem. Quis non igitur id bellum declinet, quod, cum lucri nihil promittat, multum tamen damni minetur? Ego equidem, Cæsar, quocunque me verto, plenam querelarum invenio civitatem. Nobilitas plebsque simul pacem lacrimando petit, illic cives, illic rustici sua damna deplorant, quorum ut tandem miserearis tempus ipsum, in quo sumus, exposcit sacrum, in quo Christi Domini & Dei nostri passionem recolimus. Quod si Deum nunc potissime petimus, ut peccata nostra nobis dimittat, & nos aliis ignoscere æquum est; ne cum servo nequam damnemur, qui misericordiam consecutus a Domino, conservum sibi pauca debentem, suffocavit. Nunc injurias oblivisci decet, & vindictam Deo remittere: nunc maxime bellum abominari debemus, quod rapinas, incendia, adulteria, cædes alit, agros, urbes, templa devastat, in quo neque jus neque fas locum habet. Miserere Cæsar, miserere inopum rusticorum, quos sine culpa hostilis absumit gladius. Adverte, quibus malis affligitur Austria, hisque imponito modum. Aspice, quo in periculo sint Bohemi, quæ clades imminet Hungaris, illi ab hæreticis impugnantur, isti ab infidelibus. Quod si tecum pugnare cogantur, & in fidelibus & hæreticis impendisse favorem putaberis; quod si pacem amplecteris, utrosque jugulas, facultatemque Turcis aufers expugnandæ Constantinopolis; nam, tuo metu soluti Hungari, non sinent alterum Europæ oculum in potestatem Turcorum devenire, neque Mahumetes Constantinopolim aggredi præsumet, cum Hungaros, nullo bello implicitos, intellexerit (1). Denique, ut Majestati tuæ plane dicam, quod in re est; omnes Consiliarii tui hanc pacem commendant, & ut amplectaris, una voce suadent. Si consilio tuorum amicorum acquiescis, nec bene successerit, quod minime reor, nemo te arguet, qui consiliariis auscultaveris; at si bellum, dissuadentibus illis, gerens, adversam fortunam experiaris; omnes te unum incusabunt, qui te unum plus omnibus sapere credideris. Hæc ego pro mea in te fide, & ut officio meo facerem satis, dixisse volui. Tua nunc prudentia dijudicabit, & quod in rem fuerit, amplectetur. Ea dum diceret Æneas, turbido eum vultu Cæsar intuebatur, verbisque Teutonicis, quod cum illo insolitum ei erat, credebam, inquit, Episcope, te mecum sapere, meæque studere gloriæ; nunc, ut animadverto, omnes adversum me conspiravistis, neque mea vobis curæ sunt: idque hostes sciunt, atque idcirco duriores in concordia sese ex-*

(1) *Fuimus Troes! quod testimonium Hungaricæ tum virtutis hoc majoris est ponderis, quo ab Æneæ, Hungaris ubique parum æquo, dictum est.*

*exhibent. At quoniam vos me negligitis, geram ſolus ego mei curam, mihique ſolus ipſe conſulam. Tum tui honoris, Æneas, ne, oro, Cæſar opineris, vel me, vel alios Conſiliarios, prodigos eſſe; qui cum tua gloria glorioſi, cum tua infamia infames ſumus. Si male ſentimus, ignorantiæ crimen eſt, non voluntatis. Cumque Cæſar nihil ultra loqueretur, reverſus ad conſiliarios Æneas, eos magnopere increpabat, qui . . (1) juſſiſſent nullum allatura fructum, illi contra utilem . . . dicebant. Nam Cæſar etſi tunc non aquieviſſet, oſt . . . per noctem tamen cogitaturum, & tandem intellectur . . . quod ſibi datum eſſet conſilium. Nocte igitur, quæ . . . germanus Imperatoris cum Legatis . . . haud pauca locutus, eos tandem in ſententiam . . . exin primo diluculo Fridericum . . . egerit, expavit, & ne ſe pa . . Ille qui noctem pene inſomnem tra . . expunctus, ito inquit, frater at . . conditiones pacis conſcribito, nec . . oratoribus Ladislai Regis. Scripta eſt . . . cujus quamquam plurima fuerint capita, ſumma . . . quæ Cæſar in poteſtate haberet Auſtralici atque Hunga . . . . demptis aliquibus, Ladislao redderentur. Imperatori vero auri ſeptuaginta milia nummorum traderentur. Placuit utrique parti, quod pronuntiavit Albertus. Sed cum Ciliæ Comes Vlricus per id tempus ageret in Hungaria, non præſumpſit Ladislaus, eo abſente & inconſulto, tantam rem firmare. Eſt itaque dilata in ejus reditum ratihabitio . . . intelligens neque pacem ſibi, neque bellum . . in bello fortunæ varietatem timeret, in pace . . . qui reconciliatus par-*

A

*vuli ſe gubernare non . . . uſus eſt vaframento, ut Auſtralibus neque ſpem . . . belli metum adimeret. Nam modo unum impedimentum inveniens, modo aliud, cur leges pacis ab Alberto dictæ confirmari non poſſent, eam rem de termino in terminum traxit: de tranſitu Regis in Bohemiam cum Georgio interim Podiebratio, regni Gubernatore, occultas conventiones agitans: quas cum reſciſſet Johannes Smiriſchci, inter Barones Bohemiæ opibus haud ultimus, eloquentia procul dubio primus, &*

B

*qui labem Huſſitarum nunquam induiſſet, hujuſcemodi litteras Regi ſcripſit: Johannes Smiriſchci Ladislao, Bohemiæ Regi, ſalutem. Rumor eſt, te brevi ad nos eſſe venturum. Probo, ſi ita venis, ut imperandi apud te auctoritas, apud Bohemos parendi neceſſitas ſit: ſi minus, domi melius manebis: niſi fortaſſe biceps fueris, ut unum caput Viennæ relinquere, & aliud ad nos poſſis afferre. Vale! Eam epiſtolam cum accepiſſet Ladislaus, Vlrico Ciliæ Comiti, peſſimo Johannis fato, legendas dedit. Gu-*

C

*bernator Bohemiæ forte eodem tempore tardiorem Regis in Bohemiam tranſitum & litteris & nuntiis incuſabat, rumpique moras orabat: nam regni ea forma eſſet, ut, niſi quam primum Regis præſentiam ſentiret, ingens malum eſſet habiturum. Comes igitur, ſive parum penſi habens, ſive Johannis Smiriſchci inimicus, litteras, ab eo miſſas, ad Gubernatorem remiſit: nihil mirandum eſſe affirmans, ſi Rex in Bohemiam nondum profectus eſſet, ubi capiti ſuo timendum eſſet. Gubernator, ubi ſcripta Comitis, ſimulque Johannis litteras in*

*manu*

(1) *Folii margine, ſceleſti cujuſpiam aut indocti hominis manu avulſo, lacunæ, quas vides, exſtiterunt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*mamu habuit, convocatis apud Pragam regni optimatibus, inter quos Johannes Smiriſchci fuit, percontatus eſt, qua pœna plectendus videatur, qui Regem in Bohemiam proficiſci volentem, ſcriptis ſuis deterruiſſet, tanquam ſuæ Majeſtati periculum immineret capitis? Cum reſpondiſſent omnes, proditorem eſſe, ac morte multandum ejus facinoris auctorem, idque Johannes inter primos affirmaſſet; & tu ergo, inquit, patriæ regnique proditor, quam tuo ſanxiſti ore, ei te pœnæ accingito; productiſque litteris, cum eas Johannes recognoviſſet, duas ei horas dedit, quibus & domui ſuæ conſuleret, & animæ, nec plus ſpatii elargitus, obtruncari hominem juſſit: iſque viri nobilis fuit exitus, qui, dum alieno conſulit capiti, perdidit ſuum. Vlricus interea Comes Ciliæ, cum Regem ſibi auſcultare, ſibique uni credere animadvertiſſet; Sacerdotia, magiſtratus, munera quæque, cui vellet, nunc committere, nunc vendere; augere vectigalia; multare cives; caſtella opidaque pignori obligare, ſeu feudi nomine tradere: bellum pacemque pro arbitrio facere; Eizingherum, & qui cum eo ſentirent, conſilio excludere; ſolus omnia gerere. Ferebat ea inpacato animo Eizingerus, neque tolerabile arbitrabatur, ſe ultimum eſſe apud Regem, cui primus ipſe regnum reddidiſſet. Vocare igitur modo iſtos, modo illos, qui ſecum pariter neglecti viderentur: accuſare Comitem qui cuncta ſibi arripuerit: Suadere, ne patiantur, res Auſtrales ab externo, qui Regi male conſulat, adminiſtrari: quærendas eſſe occaſiones dicere, quibus comiti ea reddant, quæ ab ipſo perferunt. Audiunt omnes libentibus animis Eizingeri verba, ſtatuuntque ſimul provincialiu . . . quin cuncti vitam & . . . Gubernationem illi abdicand . . . aliquando plenius habitum eſt. Cum . . . & . . . Adeſſetque Eizingerus, nam ſemper . . . . proceres. Complurima ſunt emendationis . . . difficiles emerſere Hungari Regem petunt, Bohemi . . . ajunt, aut his, aut illis parere oportere . . . quis abſente Rege Auſtriæ præſideat. De pace . . Cæſare non convenimus, dum rati pendet habitio, quamvis . . . non eſt tamen conſilium meum, infecta pace, Auſtriam ab Rege noſtro relinquendam eſſe. Mea igitur ſententia eſt, ſi modum his rebus imponere volumus, vocandos eſſe ad certam diem ex omni ſtatu provincialium primores, cumque his conſilium de univerſa re captandum. Intellexit Comes, quo tenderet Eizingeri ſuaſio, neque paſſus ulterius, ſuffragia exquiri, Regem ex conſilio abduxit, cuſtodeſque ex amicis adhibuit, ne quis ex factione Eizingeri ſolus Regem alloqui poſſet. Poſt hæc, tanquam ſatisfacturus Hungaris, Barones & Prælatos ad Poſonium accerſivit, ipſeque cum Rege eo profectus eſt. Id oppidum, ex Auſtria Budam petentibus, primum occurrit Hungarici Juris, in ripa Danubii dextra ſitum, arce præditum, adeo munita, ut vi capi . . . regni & Comes multa ſimul . . . cur tam difficulter . . . comitem, quaſi is eſſet, . . . Quid me, ait Comes, accuſas? Ego jam . . . ſed prætervertit conſilia mea Eizingerus. . . affirmavit, Hungariam petere, compertum . . . inſidias in caput ejus a te paratas eſſe, ubi . . . ille mendacii, ſi voles, pœnas. Vocabi-*

*mus*

*mus eum in hunc locum Regiis litteris; ubi advenerit, objicies sibi falsam calumniam, de te Regi factam; producemus testes, si non es reus, subibit Eizingerus in supplicium, quod te pati decuisset, si verum esset, quod ille tibi objecit crimen. Plectenda est enim horum hominum audacia, ne tam facile post hac alios criminentur. Obstupuit Gubernator, cum sibi tanti sceleris inustam audivit notam, commotusque vehementer animo, rogavit vocari Eizingerum, verique periculum fieri. Comes autem ea confinxerat, ut æmulum, quem habebat in Austria potissimum, perderet. Vocatus est igitur Eizingerus ternis litteris; non, velut ad causam criminis dicendam, sed, tamquam illo opus esset Regi in Hungaria, qui cum Patre primus in consilio fuisset; sciebant enim, narrata vocationis causa, illum minime venturum fuisse. At neque sic homo, qui nosset fraudes hominum, capi potuit. Nunc valetudinis impedimentum, nunc alias causas prætendens, quibus Hungariam per id tempus petere non valeret: atque hoc modo paratas evasit insidias. In Posonio vero res Hungariæ hoc pacto sunt ordinatæ: Johanni Huniadi Gubernatio regni cum auferri non posset, dimissa est: is quatuor & viginti millia nummorum aureorum quot annis in fiscum regium se se relaturum promisit, donec Ladislaus in regnum reverteretur. Ex reliquis Hungariæ proventibus regni onera supportaturum; etiamsi Turci, aut aliæ gentes, bellum intulerint. Rumor quoque fuit, Johannem Comiti, qui sibi gubernationem confirmasset, aureorum duodecim millia in annos singulos clam es-*

*sè pollicitum. Sicque VI. & XXX. millibus aureorum annuam Hungariæ possessionem venditam ferunt. Johannes deinde in Hungaros plenum imperium habuit. Ladislaus cum Comite Viennam reversus, de transitu in Bohemiam agitare cæpit; urgebant enim litteræ plurimorum Praga venientes, quarum sententia erat: nisi ad dictam diem Rex iret, futurum, ut Bohemi alium Regem quærerent. Sed deerat Regi argentum, quo se itineri accingeret, & apparatum regium ostendere posset. Rogantur Civitates Austriæ, simulque Prælati ecclesiarum, & nobiles, in ea necessitate ut Regi subveniant. Illi ab Eizingero edocti, nihil pecuniarum corradi posse, affirmant; nisi provincialium conventus habeatur, qui multis de causis necessarius videatur, & potissime, ut in medium consulatur, absente Rege, quis detur rebus Austriæ modus. Non potuit Comes huic consilio resistere; cum pecuniaria res urgeret: dicitur igitur dies apud Forum tritici, id est opidum trans Danubium in ripa fluminis ejus, quod, planum habens agrum, triticeas messes, unde nomen ducit, (1) abunde secat; ab urbe Viennensi quadraginta ferme stadiis procul positum. Hic cum Rex & Provinciales simul convenissent, sollicitus Comes, ne quid in se statueretur, nunquam relinquere solum Regem; interesse sermonibus, qui fierent omnibus; explorare consilia procerum, plebisque animos solerter investigare; &, cum ingrata cuncta offenderet, diligentius Regi adhærere, ab ejusque latere nunquam discedere, nisi alium suo loco suffeciisset, cujus sibi fides cognita esset. Præterierunt igitur nonnulli dies frustra,*

(1) Germ. *Kornneuburg.*

*ſtra, cum dicendi, quæ vellent, libertas provincialibus adempta videretur: poſtremo nullo audente alio, ſurgens Eizingerus in concione: tui provinciales, inquit, Rex! qui te vita ſua cariorem habent, pleraque tibi, ſemotis arbitris, de rebus Auſtriæ referre cupiunt, magna quidem, & quæ audiſſe, utile ſit. Tu ergo, ſi libet, jube hinc omnes abire non natos in Auſtria. Ad quam vocem, cum Auſtrales cuncti ſurgentes, idem petiviſſent; juſſit Rex Comitem & alienigenas, qui curiam ſequebantur, omnes exire, &, quid ſibi vellent provinciales, interrogavit. Tum Eizingerus, accerſitis his, quorum auctoritas idonea videbatur, Regi, in angulum auditorii cum paucis tracto, hæc verba dixiſſe fertur. Cum te Fridericus Imperator in poteſtate haberet, Rex inclite! neque tibi eam humanitatem exhiberet, quam tua nobilitas merebatur, & ſua erga te propinquitas exigebat; incredibilis nos mœror & animi vexabat anxietas; verebamur enim, ne te nobis aut venenum, aut alia peſtis eriperet: quando nihil ſanctum regnandi cupiditas relinquit. Maxime vero tuæ vitæ timuimus, cum te in Italiam Cæſar abduxit, terram remotiſſimam, & germanico ſanguini noxiam. Ea propter, quam primum rediſti, ut te periculo eximeremus, in capita noſtra periculum ſuſcepimus. Indiximus bellum Cæſari, niſi te nobis redderet: in quo, ſi victor ille fuiſſet, ultima nos ſupplicia manebant. Contulimus argentum ex privatis opibus: conduximus ex Bohemia & aliis ex locis militem: contraximus exercitum: Civitatem Novam, in qua detinebaris, obſidione cinximus, oppugnavimus, concuſſimus: noſtraque de-*

A

*mum cura, ſtudio, arteque factum eſt, ut ad nos tandem regnaturus remittereris. Noſti quanto gaudio tua te Vienna excepit: quanta nobilium, quanta plebium lætitia fuit, cum te videndi copia facta eſt: non quaſi ex captivitate tua Majeſtas dimiſſa eſſet, ſed quaſi omnes ex teterrimo carcere exiviſſemus, ita læti atque alacres tuo adventu fuimus, cum te intueremur. Divum illum genitorem tuum ab inferis reverſum reſpicere arbitrabamur, ſub cujus imperio felicem Auſtriam fuiſſe non eſt ambiguum. Inæſtimabilis itaque noſtros animos voluptas habuit, cum in hæreditatis paternæ poſſeſſionem introductum aſpeximus. Sed invidit huic felicitati noſtræ Vlricus, Ciliæ Comes, qui, ut primum tui curam ſuſcepit, nobis, quaſi mancipiis, uti cœpit; quaſi nos auro emiſſet ſuo, ita nos modo uno, modo altero damno affecit: his pecunias, illis agros, aliis uxores abſtulit. Noſtrum, qui patri tuo cariſſimi fuimus, nullum in tuo conſilio eſſe ſinit, neque loquendi nobis, neque hiſcendi facultas permiſſa eſt. Quid civibus aut ruricolis fieri putas? quando nos, qui ex primoribus Auſtriæ ſumus, ſpreti abjectique jacemus: ferremus hæc tamen haud iniquo animo, ſi ex re tua eſſent, & non te penitus remque tuam ire peſſum videremus. Vtinam ita Comes vitam inſtituiſſet, ut commendare eum apud te poſſemus, & non, quæ dicturi ſumus, jam afferre in medium oporteret! Tua gloria, Rex, tuum decus ex amore ſubditorum pendet; nullius Regis ſolida potentia eſt, quem ſubditi oderunt. Quod ſi Comitis diu gubernatione utaris, cogentur Auſtrales, quam nunc vehementer amant, odire, execrarique tuam*

B

C

*Maje-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Majeſtatem; neque enim natura fert, ut eos amemus, a quibus mala ſuſcipimus. Nemo tibi modo imputat, quæ mala Comes agit, at ſi pergis eum retinere, quod in eum populi gerunt odium, in te convertent. Etenim, ut Comitis tibi vitam deſcribamus, nemo illo eſt ambitioſior, avarior, libidinoſior: ſolus ſibi honores uſurpat: ſolus videri potens, ſolus regendi magiſter vult: neque parem patitur quempiam: & quidem, ſi facultas ei eſſet, nec te ſuperiorem ferat. Aſpice domum ejus, quot eum famuli ſequuntur; ſi tu hac, ille illac tranſeat, qui neutrum norint, illum Regem, te Comitem judicent. Nunquam mater tua, ſanctiſſima fœmina, eum famulatum habuit, quem Concubina Comitis ſecum ducit. In cœnam illius XXti aurei, quando in tuam decem, exponuntur: in menſa illius ingens auri pondus, in tua vix argentum, & id permodicum, apponitur. Tibi ex Hungaria IIII. & XX. millia aureorum quotannis promiſſa ſunt, ea Comes accipit, quibus te ſeque alit: ſupra hæc, duodecim millia ei cedunt, quæ ſibi retinet. Bohemi & Auſtrales ei vectigales ſunt; nemo ſecurus rebus ſuis utitur, niſi Comitis favorem emat; ditiores ornatioreſque & longe arrogantiores Comitis famulos, quam tuos cernimus. Vxores noſtræ, niſi concubinam ejus venerentur, eique famulentur, periculum famæ vitæque ſubeunt. Non ſunt hi mores, quos populi non ignavi ferre poſſint. Non ita tuus ſe genitor habuit. Quod ſi regnare apud nos volueris, paternos mores imiteris, neceſſe eſt, & hunc abs te repellas, qui nobis tanquam mancipiis utens, tibi ſubditorum odium*

A *parat, ſibi divitias congregat. Quibus verbis commotus Ladislaus ex Auſtralibus percontatur, quonam pacto Comes expelli poſſet. Illi petendam eſſe Viennam ajunt, ibique rem maturandam, antequam in Bohemiam eatur; &, quibus artibus utendum, quibus verbis alloquendus ſit Comes, oſtendunt. Exin, vocato Comite, quibus modis haberi argentum ad iter neceſſarium poſſit; quomodo gubernanda ſit Auſtria in abſentia Regis, edocent. Rebus compoſitis, veritus Comes, ne quid inſidiarum apud Viennenſes ſibi paratum eſſet, vitare eam*

B *urbem voluit, Regemque Bertholsdorfium, qua eum cuſtodire ſolebat, adducere niſus eſt. Tum Rex, ut erat edoctus, at, inquit, Comes, priusquam Bohemiam peto, e re mea eſt, conſulatui Viennenſi valedicere, populumque mihi fideliſſimum ſalutare. Itum eſt igitur in urbem; cum Comiti animus Regius haud quaquam immutatus videretur. Nocte, quæ ſecuta eſt, Comes apud concubinam divertit: Rex cum cubiculariis ſuis*

C *regiam ingreſſus eſt. Eizingerus noctem inſomnem duxit, nunc conſulatum urbis, nunc Barones, quos ſuæ factionis habuit, ut auderent, hortatus, &, antequam lux oriretur, apud ſancti Auguſtini ædem, quæ regiæ proxima eſt, & per poſticum habet aditum in palatium, mille Cives armatos collocavit; alios aliis in locis in inſidiis, ut præſto eſſent vocati, latere juſſit. Ipſe, ut primum luceſcere dies cœpit, cum conſiliariis ſuæ partis Regiam petens, Regis thalamum, priuſquam aſſurgeret, ingreſſus eſt, pluresque cives tectis armis in palatium introduxit. Nec diu poſt, cum Lamberger, unus ex miniſtris*

*Comiti fidelibus cariſque, eques natu nobilis, dum thalamum Regis ex more ingredi nititur, repulſus ab oſtio, inter adſtantes querelas agitat. Tum frater Eizingeri, qui forte aderat, tace, inquit, Lamberger! ſatis diu regnum in hac civitate tenuiſti: nunc dominatus in alios derivatus eſt, neque tibi, neque Comiti parebimus amplius. Vix ea finierat, cum Comes ipſe, a concubinæ dimiſſus amplexibus adeſt; thalamum regis clauſum offendens, cum manu pulſans non intromitteretur, calcibus, veluti furens, quatere oſtium cœpit. Juſſit Rex Comitem introduci. Jam Conſiliarii fere omnes aderant, qui, viſo Comite, alter alterum reſpicientes, ſilentium tenebant. Miratus Comes, quid hæc matutina conſilii convocatio ſibi vellet, mirabundus rogavit. Cui Eizingerus: hactenus, inquit, magnifice & illuſtris Comes! Conſiliarius primus Regis noſtri fuiſti, & Capitaneus, & Gubernator; nunc hæc tibi officia interdicuntur: jubetque Majeſtas Regia, e ſua ut abiens curia, ante oculos ejus poſt hac ne compareas, neque te vel familiarem appelles. His dictis, ubi circumſpiciens Comes tacere omnes animadvertit, ut erat animi præſentis & facundiæ præcipitis, in hunc modum locutus fertur: longe alia, Rex ampliſſime! nunc audio verba, quam mea erga te fides, meaque ſervitia meruere. Ego tibi antequam naſcereris, ſervire occœpi; patri tuo, ſummo viro, Alberto Regi, in maximis periculis adſtiti: Genitrici tuæ, Sorori meæ conſobrinæ, cum ab omnibus deſerta in regno Hungariæ periclitaretur, ſolus opem attuli: vix natus eras, cum ego, ut regnum tibi paternum ſervarem, armatus duriſſima pro te bella ſubivi: pro te vulneratus ſanguinem fudi, pro te pugnans captus ſqualorem carceris (1).*

*Videſne bone (2) vir, quam multi, magnique Principes, & ipſe Rex noſter unum ritum ſequuntur Romanæ conformes Eccleſiæ; cur non his conſentis potius, quam Rokezanæ? nonne ſatis nitida noſtra tibi videtur religio? an plus ſapere paucos Bohemos, quam reliquam Chriſti eccleſiam cenſes? Pogiebradium reſpondiſſe: Si tua hæc verba ſunt, non es, quem ſimulas; ſin aliena, ſatisfacere me illis oportet, qui te miſere, non tibi. Eccleſiaſticas ceremonias ſita quiſque pro fide gerit: ſacrificia, ut credimus, Deo exhibemus. Humani arbitrii non eſt, quod velis, credere. Demonſtratione, ſuaſioneque mens humana volens nolensque capitur, utque natura inſtituta eſt, altera facilius, altera difficilius. Mihi perſuaſa eſt meorum ſacerdotum religio; ſi aliter agam, animo meo contrarius ſiem: homines fortaſſe fallam, Deum, qui corda inſpicit, fallere non poſſum. Ne-*

(1) *Ita rurſus in Codice abrumpitur oratio; attamen ſarciri poteſt ex primo & ſexageſimo Capite Hiſtoriæ Bohemicæ ejuſdem Silvii; ubi iſta, brevius quidem, ſed eadem fere ſententia leguntur. Quæ ad Continuationem pertinent, ea exſtant in MS. Cæſ. III. a fol. 51. p. 1. uſque ad fol. 59. p. 2. ubi tota hæc Hiſtoria Auſtriaca eodem fere modo deſinit, atque laudata ſupra Hiſtoria Bohemica: utraque enim pertingit ad A. C. 1458. quo Matthias Corvinus d. 22 Januarii Rex Hungariæ, & Georgius Podiebradius d. 2. Martii Rex Bohemiæ, Æneas autem Silvius d. 19. Auguſti ex S. R. E. Cardinale Presbytero tit. S. Sabinæ Summus Pontifex creatus, & Pius ſecundus adpellatus eſt.*

(2) *Chiliani paraſiti ſermo ad Podiebradium. Vide laudatam modo mihi Hiſtoriam Silvii Bohemicam Cap. LXII. p. 177. Unde, quæ hic deſiderantur, & diſcas facile & ſumas.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Neque me tui ſimilem eſſe decet; aliud hiſtrioni, aliud viro nobili convenit; in his, quæ Deo exhibemus, nihil ſimulare licet. Hæc vel tibi habe, ſi ſapis; vel his referto, qui te ſubmiſere.*

*Dum hæc aguntur, Comes Ciliæ per amicos clam Regi reconciliatur, reverſumque apud Viennam mille cum equitibus magno & ſplendido apparatu adit: venienti rex obuiam extra urbem factus eſt. Proceres, nobiles, populares omnes ſecuti, ſalutare, amplecti, laudare Comitem, certare invicem, contumelioſius ejecerint eum, an magnificentius revocaverint. Intrante urbem Comite, Eizingerus, & qui cum eo ſentiebant, ex adverſa parte exierunt, ſpontaneum exilium eligentes. Mira rerum mutatio; qui paulo ante mæſtus in exilium contemptus, abjectuſque miſſus fuerat, in triumphantis modum revertitur: qui culmen potentiæ tenuerat, & alterius dictarat exilium, quod in alios decreverat, in ſe pati cogitur! lubricus apud Reges primus eſt locus. Non eſt ſolida poteſtas, quæ unius ex voluntate dependet. Hungari, ubi rediſſe in Auſtriam Regem accipiunt, legatos ad eum mittunt petentes, regnum ſuum viſitet. Johannes Huniades per idem tempus Hungariam ferme univerſam in poteſtate habebat, regias arces tenens, non ſine invidia multorum Procerum, maxime vero Comitis Ciliæ, qui locum ejus optabat. Is ergo criminari Johannem, regique odioſum efficere; illum regem eſſe, non Ladislaum; vectigalia ad eum deferri; haud dubium quin ad regnum adſpiret: quod ſi nequeat per Chriſtianos id obtinere, per Turcos conaturum, quibus bis magnos Hungarorum exercitus prodiderit. Pulam illum Turcis infeſtum videri, clanculum eſſe amicum. Si pergat in Hungariam rex, in poteſtate Johannis futurum, aut vi, aut veneno periturum: præveniendum facinus eſſe, & in autorem vertendum ſcelus: vocandum Johannem, venientemque Viennam capiendum, necandumque: ſic tutum regnum reddi poſſe. Compoſitis inſidiis accerſitur ad Regem Johannes. Ille ab amicis de fraude edoctus, neque enim res magnæ occultæ diu eſſe poſſunt, dicit ſe Regi in Hungaria pariturum eſſe, iturumque quocunque voluerit; extra, non eſſe obnoxium. Mittuntur igitur ad eum Comes Ciliæ, de Magdeburg, de Schawmberg & dominus de Walſee, qui ſecum in metis Hungariæ conveniant ad opidum Kocze, conenturque Viennam adducere, ſi nequeant intra opidum, arte tractum interficiant. Ille ad jactum teli cum duobus millibus equitum appropinquans, colloquium in campis offert. Comes Ciliæ intrare eum opidum ad colloquendum ait; ſe regis vicem gerere; non eſſe gubernatori indignum, eos adire, qui regis mandata perferant; neque ita ignobiles eſſe, ut non adiri mereantur. Johannes, legationem ad ſe miſſam, dicere; legatos minores eſſe eo, ad quem mittantur; de nobilitate non eſſe certandum. Cæterum in Hungaria Comites Ciliæ Regio Gubernatori cedere ſolitos; poſtremo murata ſe opida minime ingreſſurum, niſi & ipſe par præſidium, atque comes, intus habeat. Ita rebus infectis diſceſſum, nec diu poſtea nova fraus excogitata. Tractatum eſt per communes amicos de adventu Johannis in Viennam: ille victum ſe dedit, ubi Regiæ literæ &*

*aliquorum Principum, Prælatorumque ſecuritatem facerent, promiſſa omnia ſunt, quæ optavit. Johannes ad VIII. millia paſſuum Viennæ appropinquavit, litteras ibi expectans. Tum Lamberger, nobilis eques, juſſu Comitis ad eum veniens, properare juſſit; nam Rex obviam magno comitatu venturus eſſet, & cum eo comes, qui litteras afferret. Credens Johannes, IV. millia paſſuum verſus Viennam profectus eſt, inſpicienſque late campos, cum neminem exire obviam videret, in propinqua villa conſedit, cumque pauliſper moratus eſſet, adfuit Comes cum XL. equitibus. Et quid agis Johannes inquit? aſcende equum, feſtina, quid regem moraris? tum Johannes: late, inquit, campi patent; neque ego vel regem, vel alium quempiam video. Ad ea Comes: æſtus eſt, inquit, Rex intra vineas & arbores te moratur in umbra, & omnis cum eo nobilitas. Et Johannes: at ubi litteræ inquit? cum eo ſunt, reſpondit Comes. Converſus ad Lamberger Johannes, recte, inquit, mentitus es mihi. Ad ea Lamberger: quæ juſſit Comes, ea dixi; ſi quis error ineſt, ei impropera. Et iterum Johannes ad comitem converſus, ſiccine me ludificaſti Comes? fraude me appetis; poſſum de te ſupplicium ſumere, reverentia Regis te ſalvum facit: illi tuam vitam dono, & ante oculos meos, faxo, ne amplius veneris: & ita rurſum conventus perturbatus eſt. Multa poſtea inter Hungaros & regem agitata ſunt, & inter ipſum Johannem, ac regem pactiones habitæ, arces nonnullæ redditæ regi, & ipſe Rex, ſuadente Comite, Budam profectus. Interea mortuo Romæ Nicolao Pont. Max. qui Eugenio ſucceſſerat, Calixtus tertius Petri cathedram eſt adeptus, qui cognita Mahumetis Turcorum Imperatoris voluntate, Hungariam ſibi armis ſubjicere cupientis, Johannem Cardinalem ſancti Angeli, virum induſtrium ac magnanimum, cum legatione in Germaniam miſit, ſeptentrionis vires in Turcos commoturum. Coactum eſt ex Germania vulgus inops, populares inopes arma ſumpſere, quos æternæ vitæ præmia commoverunt: opulenti homines, præſenti rerum ſtatu contenti, domi manſere. Ineffi-*

A

*cax eſt plerumque apud potentes ſermo divinus, quibus facultates deſunt,*

B

*levis eſt in cœlum volatus. Mahumetes interea, Conſtantinopolitana victoria ſuperbus, nam eam urbem paulo ante armis evicerat, congregatis ingentibus copiis ex Thracia per Tribalos in Hungariam properavit. CL. millia pugnatorum in ejus exercitu, fuiſſe, tradunt. Inflatus opinione ſui, tantoque tumens exercitu, non dubitabat, Hungaria brevi devicta,* Illyricos penetrare ſinus atque intima tutus, regna Liburnorum & fontem ſuperare Timavi, *Italiamque terreſtri*

C

*itinere petere. Sed parva urbs conatus ejus retinuit. Taurinum appellavere majores, hodie aliam Albam vocant, ad confluentes Danubii, Sauique ſitam. Hanc primum oppugnare Mahumetes ſtatuit, propter oportunitatem tranſeundi fluminis. Johannes Capiſtranus, Ordinis Minorum Profeſſor, vitæ ſanctimonia clarus, per idem tempus Hungaros in arma publicis ſermonibus excitabat, qui, ubi appropinquare Turcos accepit, nihil moratus, in Albam ſe contulit, haud parvam cruce ſignatorum multitudinem ſecum adducens. Johannes quo-*

*que*

*que Huniades, contracta raptim militia, eo profectus est. Cardinalis Budæ remoratus est, copias ampliores cogens. Rex, ubi adventum Turcorum certum esse cognovit, nec vires sufficientes Hungaris esse, quæ tantam vim ferre possent, nihil fidens Hungaris (1) quorum mobiles animos norat, neque satis tutum manere Budæ arbitratus, sub specie venationis Budam egressus, in Austriam rediit. Interea Turcus, apud Albam castra metatus, summis viribus eam partem oppugnare cœpit, qua planus aditus fuit, locatisque tormentis æneis, prioris muri magnam partem disjecit. Vacuum haud parvum spacium intus erat usque ad alterum murum; ibi cruce signati diu pugnaverunt, tandemque hostem repulere: sed instante Imperatore, urgenteque iterum, irruptio facta est, iterumque repulsi sunt, adeoque cruce signatorum impetus invaluit, ut non contenti defendisse muros, hostem in castra rejecerint. Fugiebant Turci ex proposito, ut extra opidum longe protractos Christianos aciem immitterent, quæ reditum in urbem prohiberet; exin & a fronte & a tergo egressos invaderent. Furentes cruce signati, ac victoria exultantes, in*

A *quod præcipitarentur discrimen, non advertebant: vidit ex muris Capistranus transversam hostium aciem, insidiasque cognoscens, revocare suos cœpit: cum parum audiretur, præceps in pugnam dilabitur, atque inter duas acies, interque tela volantia currens, clamoribus ac signis cruce signatos redire coëgit, qui vocem Huniadis nullatemus audiebant. Fraudati magna spe Turci, in castra redierunt. Pugnatum est a vesperis usque in vesperas: multi ex utraque parte cecidere, plurimi ex Turcis, & hi quidem præstantiores. De cæsis hos-*
B *tibus varia sententia est; quidam supra XX. millia cecidisse tradiderunt, alii ad summum IV. millia cæsa tradunt; quod nobis infra verum esse videtur: neque enim in tanto exercitu ea videri clades potuisset; majus damnum abire Mahumetem coëgit: qui sequenti nocte incensis castris, machinisque, cum toto exercitu trepidus aufugit, nec tam audax venerat, quam timidus abiit. Traditum est,*
C *eum sub papilla sagitta confossum salutem desperasse, atque ideo fugam meditatum, inter fugiendum multos suorum amisisse, tormenta ænea & plurima & maxima in castris reperta sunt, eaque tantum victorum præda.*

*Hunia-*

(1) Quia, ut existimo, neque Hungari Ciliæ Comiti, in cujus potestate Rex erat, fidere quidquam poterant. Enimvero, si Huniades Gubernator ambitione Cilienſis e vivorum numero fuisset ereptus, non Taurunum modo, sed Hungaria etiam universa jugum Turcicum procul dubio erat subitura. Regis Ladislai regiam plane indolem atque eximium in Hungaros amorem supra vidimus; ubi, vel ipso Silvio teste, idem Rex in bivio hærens, quanam in provincia thronum figeret, ad Hungaros denique declinavit, ac suopte ingenio, mihi, inquit, quia sum Hungarus, apud vos est manendum: quod verbum mira Hungarorum exceptum fuisse lætitia idem Silvius commemorat, milleque in regnum epistolis divulgatum. Addit tamen, id ter Æneæ, inquit, Cardinalis Strigonienſis narravit; timens, ne satis prima adlocutione comprehensus esset: Nempe homini Italo, ignoti tum fuere & mores Hungarorum & animi. Nam, quod sine ulla hic a me dictum esse invidia velim, si ulla per Europam gens est, cujus animos Rex citius faciliusve in potestate sua habere queat, ea profecto nostra est; modo vel leviſſimis, sed veris indiciis amare se, æstimareque suos ostendat.

*Huniades & Capiſtramus, in Alba dum bellum gereretur, fuere: uterque rem geſtam ſcripſit, neque alter alterius mentionem fecit, alteruter ſibi ſolidam rei geſtæ gloriam adſcripſit. Magna eſt dulcedo gloriæ; non tam facile contemnitur, quam contemnenda dicitur. Spreverat opes Capiſtramus & ſæculi pompas; calcaverat avaritiam, libidinem ſubegerat; gloriam ſpernere non potuit: qui Summo Pontifici bellum atque exitum belli deſcribens, nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione, totum ſuum eſſe dixit, quod geſtum erat: nemo eſt enim tam ſanctus, qui dulcedine gloriæ non tangatur. Verum paulo poſt & Huniades & Capiſtramus, alter morbo, alter ſenio obiere. Ladislaus, audita morte Johannis Huniadis, ſuadente Comite, in Hungariam rediit, duplici æmulo liberatus: altero, qui fraude regnum appetere videretur; altero qui vi. Comiti, non minus Huniadis obitus, quam Turcorum conflictus, gratus extitit; jam enim Hungariam ſibi patere haud dubie arbitrabatur, ſublato adverſario. Sed nihil eſt humanæ menti de futuro certum: ſæpe quod utile credimus, vergit ad noxam, & multi, cum ſe dejectos credidere, in ſublime elati ſunt. Comiti multo ſalubrius fuerat, Johannem Hunniadem vixiſſe; neque enim Hungariam introiſſet. Nunc metu vacuus Regem in Albam ducit, hoſtium ſpolia recogniturum, & campos viſurum, ubi prælia geſta. In Alba, dum mora trahitur, rem divinam ſpectante Rege, conſilium de more cogitur. Vocatus eo Comes, an iret, aliquamdiu hæſitavit: deinde, thorace inductus ſub veſte, proficiſcitur. Venientem Ladislaus, Hunadis filius, proditorem compellat, qui patri ſæpe necem paraverit, regemque ſibi infenſum reddiderit: nunc diem veniſſe, quo ſcelerum pœnas luat. Sunt, qui Comitem prius arguiſſe Ladislaum, dicant; tanquam Regi parum obedientem, qui ejus armatos intrare opidum prohibuiſſet. Illud conſtat, Comitem, accepto ex puero gladio, caput Ladislai petiviſſe, nonnulloſque interjectæ manus digitos amputaſſe; ad cujus clamorem irrupiſſe Hungaros, Ladislai familiares, defendentemque aliquamdiu ſe Comitem obtruncaſſe: nec mora, Ladislaum Regem adiſſe, occiſumque Comitem, ita merentem, dixiſſe: Regem nihil moveri debere, ſublatum eſſe, qui Hungaros perſequeretur. Rex, etſi commotus tam atroci facinore, ſupra tamen, quam ejus ferebat ætas, dolorem atque iram compreſſit; nec dubitavit, jure cæſum Comitem, dicere; amicis vero, qui prope adſtabant, ferendumque, quodcunque id eſſet, dicentibus; atqui ſic neceſſitas, inquit, exigit: ferendum eſt, quicquid vitari non poteſt: ademptam Comiti vitam, niſi Deus reddiderit, homo non reddet: ille ſuo fato functus eſt, nos nunc noſtra manent, quæ Deus mitiora efficiat! juſſitque defuncti cadaver plauſtro impoſitum Ciliam deferri, atque in ſepulchris majorum condi. Ipſe Alba relicta, comitante Ladislao, Budam repetere ſtatuit, in itinere vero ad opidum Huniadum (1) pervenit: ibi conjunx Huniadis obviam ei facta eſt, ob mortem mariti lugubrem veſtem deferens, puellæ quoque eam ſecutæ, pari modo triſtitiam præ ſe veſtibus oſtendebant. Rex matronam com-*

(1) *Oppidi nomen in MS. abeſt; repoſitum eſt ex Hiſt. Boh.*

*complexus, indigna, inquit, hæc ve-*
*ſtimenta ſunt, quæ ob mortem viri*
*tui deferas. Johannes Huniades de*
*morte tranſvit ad vitam: ille Hun-*
*gariam Chriſto, mihi regnum ſerva-*
*vit: Hungaris pacem peperit; hoſtes*
*fidei catholicæ fudit, fugavit, per-*
*trivit: ſalutem ab eo percepimus*
*omnes, fortiora ejus facta etiam ho-*
*ſtes admirati ſunt. Et in vita & in*
*morte laudanda ejus opera: in prælio*
*ſtrenuus, in lectulo ægritudinis for-*
*tis, in bello vicit hoſtes, in ægritudi-*
*ne ſe ipſum ſuperavit. Nota ſunt*
*ejus egregia facinora, quæ pugnando*
*peregit: conſilio ac manu ſuſtentavit*
*acies ſuas, perfregit hoſtiles: ubi ad-*
*eſſe extremum vitæ tempus cognovit,*
*& urgere vim morbi; non eſt paſſus,*
*dominicum corpus ad ſe deferri: ne-*
*que enim dignum exiſtimabat, ſervum*
*a domino viſitari: ſurrexit e lectulo,*
*quamvis labentibus membris, & cum*
*ſuis pedibus, deficiente virtute, ire*
*non poſſet, in ædem ſe ferri ſacram*
*juſſit, ibique de more chriſtiano, con-*
*feſſione facta, ſacram accepit Eucha-*
*riſtiam, atque inter ſacerdotum ma-*
*nus faſtidientem terrena animam ex-*
*halavit. Et quo illam credimus mi-*
*graſſe, niſi ad eum, pro quo tot bella*
*pugnaverat? ad Imperatorem ſuum*
*invictus miles perrexit, cum Chriſto*
*regnat, qui pro Chriſto pugnavit: jam*
*pridem debitum ſibi cœlum tenet: non*
*eſt cur lugere eum virum oporteat: fa-*
*ceſſant lugubres veſtes omniſque mæ-*
*ror abſit: congaudere gaudenti opor-*
*tet: intempeſtivæ lacrymæ, intempe-*
*ſtivi luctus recedant. Quibus dictis,*
*aureas afferri veſtes juſſit, quas dono*
*viduæ dedit, filiiſque, omneſque pu-*
*ellas mutare habitum imperavit, to-*
*tamque diem letitiæ dari. Convivia*

A *exinde ſplendide acta: inter epulas*
*ſaltatum cantatumque, & quaſi cele-*
*bres nuptiæ inter vina & jocos perfe-*
*ctæ. His blandimentis allecti Huniа-*
*dis filii, nihil jam dudum ex morte Co-*
*mitis ſequi poſſe, confidebant: itaque*
*poſito metu Regem uſque Budam ſe-*
*cuti ſunt, palatiumque, imprimis æſti-*
*mati, cultique, frequentabant. Ve-*
*rum amici Comitis regias aures die-*
*tim pulſare; nobilem Comitem, avun-*
*culum regium, ſine cauſa necatum*
*conqueri; maieſtatem regiam gravi-*
*ter læſam dicere; inultum tam atrox*
*ſcelus minime relinquendum eſſe: cor-*
B *rigendum audacem juvenem atque te-*
*merarium, qui regium ſenatum nobili*
*cruore ſpargere non timuerit: auda-*
*ciam, niſi mature coërceatur, in te-*
*meritatem verti; nullum inveniri cle-*
*mentem virum, qui juventutem cru-*
*delitate inſigniverit; arma in manu*
*nefarii adoleſcentis periculoſa eſſe;*
*auſurum procul dubio etiam in Re-*
*gem, qui Regi proximum obtruncave-*
*rit. Jam illi regnandi ſpem factam;*
*patrem ejus idem concupiviſſe, ſed de-*
*fuiſſe animum: graviorem ætatem pe-*
*ricula magis metiri: juveni, quod-*
C *cunque libuit, videri facto facillimum,*
*per æqua & iniqua ad regnum tende-*
*re, licitum apparere: occurrendum*
*prius, quam malum amplius ſerpat: in*
*Ladislao & facta & meditata facinora*
*punienda. Rex, ſive his motus, ſive*
*ſuapte natura incenſus, deſignata ho-*
*ra, qua filii Huniadis ambo in regiam*
*conceſſiſſent, armata juvenum manu*
*portas claudi jubet, adoleſcenteſque*
*captos in carcerem rapi: cum quibus*
*& Johannes Epiſcopus Varadienſis,*
*raræ virtutis ac facundiæ, & plerique*
*alii comprehenſi ſunt; tanquam cædis*
*Comitis, & inſidiarum, quæ Regi pa-*

*rarentur, conſcii. Ladislaus, IV. ferme & XX. natus annos, egregio corpore adoleſcens, flavis de more crinibus ſuper humeros paſſis, revinctis poſt tergum manibus, talari atque aurea veſte indutus, & fortaſſe eadem, quam ſibi paulo ante Rex donaverat, in publicum producitur: erecta cervice, oculis huc atque illuc ſpectantibus, impauidus atque intrepidus ad ſupplicium pergit. Ubi ad locum ventum eſt, quo cervix amputanda erat, juſſus genua flectere, pauca prius pro ſua expurgatione locutus, carnifici paruit. Præco, qui de more damnatorum crimina proferre conſuevit, impetrato ſilentio, nihil aliud dixit, niſi eo modo corrigi, qui domino ſuo infideles eſſent. Carnifex, religata Ladislai ceſarie, ne collum impediret, juſſus percutere reum, nutans, labanſque vix tandem quatuor ictibus candidam cervicem abſcidit. Atque ita nobilis adoleſcens occiſo Comiti parentavit. Frater ejus in vinculis retentus eſt. Epiſcopus Varadienſis, multum inſtante Cardinale ſancti Angeli, qui tum legatum Apoſtolicum agebat, Dionyſio Archiepiſcopo Strigonienſi, idemque Cardinali, ſecundum canones judicandus traditur: de cæteris captivis ſuſpenſum judicium, qui tamen paulo poſt fractis carceribus evaſere. Rex, Budæ non diu moratus, in Auſtriam ſe recepit: Mathiam, Huniadis filium, ſibi coævum, captivum ducens. Cum per Strigonium iter faceret, vocatum ad ſe Johannem, Varadienſem Epiſcopum, bono animo eſſe juſſit, his verbis uſus: cum eſſem Budæ, quod voluere Barones, id facere me oportuit: quod te cepi, illorum fuit; quod te ſupplicio culpaque libero, meum eſt. Spectata mihi tua virtus, nihil de te ſiniſtrum perſuaderi permiſit, abi, & quem geſſiſti Epiſcopatum, gere.*

*In Auſtria, de conjuge Regi tradenda, diu agitatum eſt. Multæ virgines offerebantur, tantum conjugium expetentes; verum nobiliſſimo Regi, quæ coire merito poſſet, nulla dignior viſa eſt, Margaritha, Caroli Regis Franciæ filia, cum propter ætatem, Ladislao convenientem, egregiam formam, pudicos mores; tum propter ſanguinis excellentem raramque nobilitatem, & majorum ejus late vulgatam gloriam. Placet igitur Legatos mittere, qui ſponſam petant; ſed ubi nam celebrare nuptias oporteat, in dubium venit. Hungari Budam, Auſtrales Viennam, Bohemi Pragam ei celebritati deputandam aiunt. Diu res trahitur, nutante Rege: ob eam cauſam Georgius Podiebradius cum DCCC expeditis equitibus in Auſtriam uſque ad Danubium proficiſcitur, dicitque, ſe magna habere, quæ Regi pandat. Juſſus tranare atque urbem ingredi, Viennam ſibi non tutam dicit, rogatus, miſſis nunciis Regis, quæ velit, pandere, negat ſe alteri, quam Regi arcana communicaturum, petitque Regem ad ſe trans fluvium pergere. Diu hæſitatum eſt, eſſet ne eundum; ſenatui non placebat, Regem ad ſuum ſubditum exire: nimiam licentiam dari provincialibus: inſolentes eo modo fieri. Regem auctoritas Gubernatoris movebat, & latere aliquid verebatur; neque latebat eum, utilitatem honeſtatem vincere, temporique ſæpe delatum eſſe. Perrexit igitur inermis ad armatum: III. millia equitum eum ſecuta ſunt inermium, quamvis gladio accincti eſſent: tentoria in ulteriori Danubii ripa proten-*

*tenſa ſunt, dimiſſoque ſpacio inter bina caſtra, & tentorium in medio poſitum, in quo Rex cum Gubernatore conveniret. Quatuor diebus conventio producta eſt: Rex per noctem in urbem rediit, gubernator in caſtris manſit. Primus congreſſus publicus fuit, in quo ſalutatio de more geſta; in altero, duo tantum ſermonum teſtes fuere; in tertio, remotis arbitris, ſolus cum Rege Georgius ſermones miſcuit: verba, inter eos habita, non ſunt prodita: ex his tamen, quæ ſecuta ſunt, palam eſt, de tranſitu Regis in Bohemiam fuiſſe agitatum: ubi non convenere, ſermone ſæpius habito, Rex Viennam rediit, Georgius, indignabundus minabunduſque retro in Moraviam iter flexit. Pœnituit Regem, dimiſiſſe hominem male contentum, penes quem regni poteſtas eſſet, &, qui non minari ſolum, ſed offendere etiam poſſet. Miſit ergo Legatos, qui eum placatum reducerent; ſi minus id poſſent, poſtulata ejus facturum Regem, affirmarent. Inventus in itinere Georgius retrahi non potuit, nec de ſententia ſua quicquam detraxit. Data itaque fides eſt, iturum Regem in Bohemiam etiam ante diem dictam, Pragæque nuptias celebraturum. Nec moratus Rex, ordinatis Auſtriæ rebus, ingenti apparatu Bohemiam petiit; ubi non minores ei honores exhibiti ſunt, quam prius. Inde duæ legationes miſſæ, altera ad Imperatorem Fridericum, quæ de pace ageret, in qua princeps fuit Vlricus Eizingerus, cujus diligentia in formulam pacis conſenſum erat; altera ad Carolum Franciæ Regem, quæ filiam ejus peteret Regi uxorem. In hac primas partes geſſit Vlricus Patavienſium præſul, moribus & doctrina præditus, quem tradunt LXXX. equos albos habuiſſe in ea legatione. DCC. equites fuiſſe traduntur: quadrigæ auratæ, matronæ ac virgines nobiles, quæ ſponſam ducerent, & dona digna, quæ tali Reginæ afferrentur. Tertia quoque legatio decreta erat ad Calixtum Pont. Max., quæ controverſias de religione in eodem regno dirimeret, regnumque Romanæ eccleſiæ conjungeret. Super his quarta cura erat, magni exercitus comparandi, quo vires Turcorum non modo repelli ex Hungaria, ſed tota Græcia pelli poſſent. Apparabantur nuptiæ ſplendidæ ac magnificentiſſimæ. Imperator & Auguſta vocati; ambæ Regis ſorores cum viris eam celebritatem acceſſuræ erant: Saxoniæ, Bajoariæ, Franconiæ, Sileſiæ, Rheni Principes, multi quoque ex Gallia venturi erant, non ſolum nuptias ornaturi ſua præſentia, verum etiam de republica chriſtiana tuenda contra Turcos acturi. Sed hos tantos cogitatus, has ſpes pulcherrimas, tantum rerum ordinem, immatura mors ac repentina Regis interrupit. Incertæ vanæque cogitationes hominum; futurum cæca caligine Deus occuluit: ipſe ſibi gubernacula univerſi retinet: nihil ſine ſuo nutu geritur: ſapienter ab eo juſteque cuncta reguntur, & ſæpe, quæ nobis iniqua videntur, in ejus conſpectu ſunt æquiſſima. Nihil perperam, nihil temere agit Divina Majeſtas: nos cæci verſamur in tenebris: minimum eſt, quod cernimus: ad regimen animæ noſtræ, ad ſalvandas animas arbitrium liberum conſecuti ſumus: de regimine civitatum, de regnorum mutatione, de imperio orbis, minimum eſt, quod homines poſſunt: magna*

*magno Deo reguntur. Ladislaus igitur X. Calendas Decembris hora circiter XII. noctis ægrotare cœpit. Sunt, qui eum ulcere peſtifero in inguine percuſſum, plerique nullum in eo peſtis ſignum apparuiſſe, aſſerunt. Verum mihi ita res conſcripta eſt ab his, qui rem diligenter perſcrutati ſunt, ac tum medicos audivere. Sederat in Judicio Rex, quod de nobilitate inter Georgium Gubernatorem, & Csernahora Moravum magnis contentionibus agebatur; ita ut alter alterum ad duellum provocaret; neque de more ſuo Rex veſtes induerat, linea tantum indumenta ſuſceperat, & deſuper Perſicum habitum, quem vocant Schubam. Id ſignum videbatur animi præſagientis ægritudinem, neque toto auditorio Regis facies viſa hilaris. Dimiſſo tribunali cœnavit inter purpuratos, non quidem læto vultu, nihil tamen queſtus, ſermones compoſitos habuit magis graves, quam hilares. Poſt multam noctem in cubiculum ductus rapulas afferri juſſit & ſiceram, comedit, bibitque, non triſtis inter cubicularios, & ſermones miſcuit. Priuſquam lectulo decumberet, orationem de more apud geniales Deos habuit; ea finita, gravatum ſe, & ſtomachum dolere vehementer, dixit; cui unus ex cubiculariis, natione Bohemus, aſcende, inquit, ſtratum, ubi dormieris paululum, mox ceſſabit dolor. Paruit Rex, quietique ſe tradit; cumque ad horam dormiſſet, vocato iterum cubicularo, vim doloris, qui paulatim creſceret, ſe ferre non poſſe ait. Cubicularius, qui libenter dormiſſet, ſomnum Regi ſuſcipiendum affirmabat, ſic dolorem abiturum. Jam noctis hora duodecima effluxerat, Regi nulla quies dabatur; ne tamen cubiculariis moleſtiam afferret, tacitus in diem dolorem pertulit. Tum medici vocati & Georgius accerſitus. Medici, quod ſuarum partium erat, deſperata ſalute, fecerunt. Georgius percontari ex Rege, cur doleret, quid morbi eſſet, ſpem bonam præbere, hortari, ne ſibi ipſi deeſſet: peteret, quæcunque vellet, omnia in arbitrio ſuo eſſe, mandaret parere cupientibus. Ad quem Rex: Tua mihi Georgi jam pridem cognita fides eſt, ſpectata virtus, per te regnum mihi Bohemiæ in hanc uſque diem ſervatum eſt. Speravi potiturum me regno, quod ipſe paraveras; nunc contra ſuperi jubent: mihi moriendum eſt, regnum in tua manu remanebit. Duo ex te peto: alterum, uti Provinciales juſte regas; pupillis, viduis, imbeciliſque injuriam ne fieri permittas: alterum, ut qui me ſecuti ſunt ex Auſtria, cæteriſque provinciis, in patriam ſuam reverti libere permittas; hoc mihi ſupremum beneficium præſtiteris. Præmaturas Regis cogitationes Georgius eſſe reſpondit; futurum eum brevi ſoſpitem, ſuoque nutu regnaturum: deſineret ea cogitare, ac confideret. Tum Rex apprehenſa manu, age, inquit, promitte, quæ petii; nam me mori certum eſt. Si feceris, quæ jubeo, Deum tibi propitium reddam; neque enim ita vixi, ut cœlum mihi negari putem; pro cœleſtibus terrena relinquo: tu cave, ne poſtulata deneges. Non potuit tenere lacrymas Gubernator, deditque fidem, facturum ſe, quod Rex imperaſſet. Finito ſermone accerſiti Sacerdotes, de curatione animæ actum eſt; Chriſtiano more Sacramenta exhibita. Rex ornamenta ſua Pragenſi Eccleſiæ legavit, juſſitque crines ſuos, in auri modum fulgen-*

*gentes, ne qua supereſſet vanitas, amputari; id Miniſtri, moræ cauſas nectentes, neglexere. Vbi anima ægra amplius dimorari non potuit, candelam benedictam afferri juſſit, eamque manu prehendit, & intuens crucifixum, orationem Dominicam dicere cœpit; pronunciatoque verbo:* ſed libera nos a malo, *nihil amplius locutus, non extrema pati, ſed quietem accipere viſus, mortalis vitæ lumen reliquit. O imbecillam humanæ naturæ conditionem! O inanem hominum gloriam! quid jactamur, quid extollimur! quid eſt, quod dignitates, opes, potentiam tantopere flagitamus! Ladislaus, nobiliſſimus adoleſcens, duo de XX. natus annos, in ipſo ætatis flore, in ipſo gloriæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, inter tot auxiliantium manus, intra VI & XXX. horas, poſtquam ægrotare cœpit, extinctus eſt. De morte ejus variæ ſententiæ fuere; nec defuerunt, qui veneno extinctum dicerent. Medici Teutones, quorum potiſſima corporis cura fuit, Viennam reverſi vulgaverunt, quam primum ægrotare Rex cœpiſſet, ſe vocatos, urinam inſpexiſſe, in qua manifeſta mortis ac veneni ſigna comprehenderint; neque auſos in aliena terra vulgare facinus; timuiſſe potentiam eorum, cujus ſcelere Rex periret; acceſſiſſe ſe tamen Regem, & quæ invenerant, patefeciſſe clanculum: reſpondiſſe illum: non ignorare toxicum datum; juſſiſſe tamen eos ſilere, ne regiæ morti ſuam adjicerent. Senatus Viennenſis, medicis ea vulgare amplius, probibuit. Qui violentam mortem dicunt, Georgium & Rokezanam criminantur; Georgium, jam tum regi infenſum fuiſſe, cum ad Danubium uſque profectus, Viennam ingredi noluit; ſuſpicatum de Rege adverſus ſe aliquid, atque ab eo tempore regiæ vitæ inſidiatum. Rokezanam nunquam Regi placuiſſe; ingredienti urbem, cum Sacerdotibus ſuis ſacra ferentem, obviam profectum, verbiſque magnificis Regem extollentem, vix dignatum gratias referre Principem; at ubi Sacerdotes majoris Eccleſiæ obviam exivere, Regem læto vultu ex equo proſiliiſſe, ſacras reliquias exoſculatum. Inde concepiſſe odium Rokezanam, quod ſe Regi inviſum ſciret. Fuerunt quoque, qui dicerent, idcirco Regem apud Pragam nuptias celebrare decreviſſe, ut concurrentibus eo catholicis Principibus, potenti manu hæreticos apprehenderet, finemque tandem Huſſitarum inſaniæ daret; id præſenſiſſe Georgium ac Rakozanam, necemque Regi pro ſua ſalute machinatos. Verum ego, quid horum verum ſit, non facile dixerim; aliorum hæc judicio relinquo. Illud conſtat, præter Rokezanam, cui mors Regis jucundiſſima fuit; & Georgium & (1) reliquos regni proceres, extincto Rege, in magno mærore fuiſſe, & publicum toto regno luctum, qui ad VII. Kal. Decembris continuatus eſt: tunc vero, regia pompa peractis exequiis, corpus defuncti in ſinu proavi ſui Divi Caroli Quarti, Romanorum Imperatoris, ſepultum eſt. Georgius ea die, quæ inter mortem & funeris eductionem media fuit, proceribus ac nobilibus acerſitis, Gubernationem ſuam Regis obitu non expiraſſe, dixit; quæ uſque ad Pentecoſten commiſſa fuiſſet. Eadem die Pragenſes quoque Gubernationi ſuæ ſe commiſere. Mathias, Hu-*



(1) *Sic in MS.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Humiadis filius, ex Vienna ductus, qua die Rex obiit, Pragam applicuit, atque in poteſtate Georgii factus eſt. Aduenæ, qui Regem ſecuti fuerant, ſuam quiſque domum petiere; exin, conſtituta die, ad novum Regem eligendum, multi tractatus intervenere. Carolus, Rex Franciæ, qui filiam Ladislao promiſerat, id regnum alteri ex filiis petebat, aut ei committi, cui filiam ſuam tradere non dedignaretur. Caſimirus, Rex Poloniæ, ſororem defuncti Regis ſibi nuptam eſſe, ajebat, eique regnum deberi. Eadem ratione Vilhelmus Dux Saxoniæ utebatur; cui ſoror, natu major, nupſiſſet. Imperator regnum devolutum aſſerebat; nam Ladislaus pro conſuetudine feudorum inveſtituram neglexerat. Nec ſine ſpe alii Auſtriæ Duces fuere; qui deficiente Rege Bohemiæ ſine maſculina ſobole, ex Auſtria vocandum veteri fœdere Regem, norant. Rokezana, venenorum ſator, crebris ſermonibus uſurpare: aut Regem eligendum eſſe, qui ſuæ profeſſionis haberetur; aut, hebraico more, judices eligendos, qui populum regerent. Die adveniente, in conventu procerum Pragæ habito, auditis legationibus, reque pro utilitate regni diſcuſſa, Georgius Podiebradius Rex pronuntiatus eſt; quæ res necati Regis ſuſpicionem maxime auget. Ipſe ex prætorio primum in ædem Beatæ Mariæ, ubi Rakozana præſidet, ſolemni pompa deductus eſt, ibique novello Regi publica ſalutatio exhibita, & actæ Deo gratiæ. Mathias paulo ante Rex Hungariæ deſignatus fuerat, magniſque ſponſionibus dimiſſus ex carcere ad regnum evolaverat. Mira rerum mutatio, & novus ſiderum influxus; duo potentiſſima regna, eodem tempore rectore carentia, ex nobiliſſimo atque altiſſimo ſanguine ad mediocris fortunæ homines pervenere! utramque electionem plerique calumniati ſunt, tanquam vi extortam: nobis perſuaſum eſt, armis regna acquiri, non legibus.*

## II.

Clariſſimi Viri Jo. Henrici Boecleri in Hiſtoriam Æneæ Silvii Auſtriacam Adnotationes.

### MONITUM.

*Sunt re ipſa ſpecimen tantum earum adnotationum, quibus Hiſtoriam iſtam eruditiſſimus* Boeclerus *ornare illuſtrareque voluit. Eas in ſchedis τῦ μακαρίτȣ repertas Cl.* Kulpisius *in lucem itidem edidit; quod nimirum & utilitate ſua non carerent, & de cetero editoris conſilio propoſitoque teſtari aliquo modo poſſent. Feſtiva tot literarum, diplomatumque copia, quæ pro illuſtranda* Friderici Imp. *Auſtriaca Hiſtoria collegi, ferme perſuaſerat, ut eaſdem ad finem perducerem: verum operam & tempus utilius me collocaturum ſperavi in evulganda typis laudata ſylloge; jucundo commentandi neque difficili labore aliis relicto.*

IN

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

## IN ÆNEÆ SILVII HISTORIAM A NUNC PRIMUM EDITAM.

### I.

*Consilium Scriptoris, & causa. Argumentum & modus.*

QUo consilio, quave causa ad hanc historiam scribendam animum appulerit *Æneas Sylvius*, ipse in præfatione ad Fridericum Imperatorem exponit. Jusserat Imperator Æneam, in colloquio inter paucos agitato, scribere istud bellum, quo B reducem ex Italia, post susceptam Romæ coronam, & matrimonium cum Leonora Lusitana initum, Fridericum Austriaci, juncto cum Bohemis, Hungaris, Moravis fœdere, anno 1452. adorti erant, & ejus tutelæ Ladislaum Hungariæ Regem eripuerant. Qua in re non tam gloriæ suæ Imperator studuit, quippe adversa sua, minus speciosa cognitu, narranda videbat, quam posteritatis interesse judicavit, ne obscura esset eventuum, tot momentis ad rempublicam pertinentium, memoria. Agebat eo tem- C pore in Aula Imperatoria Æneas, Senensis jam Episcopus, & Legatum summi Pontificis, & Consiliarium Cæsaris interiorem, cui muneri pridem assueverat. Cumque totius negotii seriem accurate haberet perspectam, & præclara Latina eloquentia polleret, non potuit eligi ad hanc provinciam obeundam idoneus magis auctor. Qui ut promto obsequio Imperatoris voluntatem & expleret & superaret, majus opus scribere instituit, *non Australicum tantum hoc bellum*, ut vocat, sed *integram Fridericianam historiam, & quæ per totam Europam memoratu digna in id tempus congruerent*, complexurus. Et sane quam non anguste terminos scripturæ suæ posuerit, abunde ex his quæ supersunt licet intelligere. Nam & ab initio verbose digreditur in *descriptionem & antiquitates Austriæ*, in *repetitionem genealogicam stirpis Imperatoriæ*, in *res gestas Fridericorum & fata Suevicorum Cæsarum*: tum in progressu *itineris Italici singula quasi spatia nobilibus digressionibus*, ceu lapidibus mensoriis distinguit: narrationem *judiciis*, *explicationibus*, *epistolis*, *orationibus*, *consultationibus*, *topographiis* extendit: nihilque ad pragmaticæ apparatum historiæ adornandum reliqui facit. Cur autem non ulterius produxerit, sed in motibus Hungaricis stiterit abruperitve, non credo satis posse sciri; nisi forte Cardinalis factus, subinde Pontifex Maximus, ad alia distractum animum in his retinere curis nequivit. Constet licet, *Historiam rerum ubique gestarum*, quam alii *Cosmographiam* appellitant, ab eo jam Sedis Apostolicæ fastigium adepto compositam esse. Forte igitur de secretiore abrupti operis augusti causa suspicari liceat. Illud quoque non dissimulabimus: quamvis res & tempora Friderici ab initio ordiri, & continenti opere, quousque vita maneret, conscribere videatur voluisse Æneas, principium tamen operis non repeti, vel a nativitate, vel ab exordio Imperii, sed a coronatione Italica & matrimonio quæsito: id est, ab anno imperii undecimo. Unde apparet, quo modo & temperamento verba illa accipienda sint, cum inquit in Præfatione col. 5. c: *non solum hoc bellum Australicum, sed alia quo-*

*que*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*que de tua vita quamplurima, ſimulque tuæ domus originem, & quæ noſtris geſta temporibus in Europa didicimus memoratu digna, in unam hiſtoriam congregemus.* Forte in hoc genere propoſitionis, etiam de arte invidiæ vitandæ, ſive Tituli invidioſi declinandi, cogitandum eſt: de qua mox in *Lambeciana epiſtola.*

Fridericum autem hunc Imperatorem, conſtanter Æneas *Tertium* vocat. Sicuti & in *Diplomatis Actiſque & Monumentis publicis*, tum apud *Cuſpinianum*, & *alios* appellari ſolet. Quæ auctoritas tanti nobis eſſe debuit, ut potius cum his in omni hoc opere loqueremur, quam eorum ſententiam ſequeremur, qui ἀκριβέστερον iſta meditantes, *Quartum* aut *Quintum*, rationibus quidem ſatis idoneis, nominare malunt.

## II.

*De occaſione & cauſa hujus Editionis, ex MSc. venerabili, quod deſcribitur. De MSS. aliis.*

Cæterum ut abrumperet filum tam glorioſi operis, fortunæ licuit: ut etiam in penetralibus Bibliothecarum, veluti perpetuo ſecreto, abſtruderet, licere non debuit. Injuria hiſtoriæ, injuria eruditionis eſſet, ſi tam nobile fragmentum uſibus publicis invideretur. Eſto: fuerint aliis cauſæ, quo minus ederent hactenus. Dubitatum fuerit, utrum non alibi plenior productiorque extaret libellus: tenuerit aliquem opinio, quaſi non decorè ſemper ederentur, quæ auctor noluiſſe videtur edere, dum noluit abſolvere: timuerint aliqui offenſionem nationum, de quibus memorantur nullo colore pingenda, nulla excuſatione mitiganda. Sed hi quidem melius ſuo nomini conſuluerint, ſi majorum ſecus facta bene faciendo emendent, & præclare geſta imitando extendant ſuperentve: Ego certe, cum in hunc theſaurum incidiſſem, ne dubitandum quidem exiſtimavi, quin perpetuam eſſem initurus apud viros bonos doctoſque gratiam, ſi in tanta gravioris hiſtoriæ in rebus hujus Imperatoris inopia, publicæ luci ſimul & utilitati quamprimum incomparabile monumentum ejus ſæculi conſecrarem. Ne enim vel me laboris ſuſcepti, vel Lectorem favoris huc impendendi, pœnitere queat: MSc. Codex per omnia venerandæ auctoritatis eſt, quem nacti ſumus: deſcriptus diligente manu, in membranis puriſſimis, nitide compactus, inſcriptus Maximiliano Friderici Imperatoris Filio, & commendatus, florente adhuc Patre, a Johanne Epiſcopo Tridentino: aſſervatus Briſaci, Victori Duci Vinarienſi pro ſingulari monumento demonſtratus oblatuſque: ejus munere ad Fridericum, Reichardum Mokelium Legatum Suedicum, ab ejus hæredibus ad me pervenit: & nunc ad Bibliothecam Auguſtam veluti poſtliminio redit. Initium eſt: *Divo Cæſari Friderico Romanorum Imperatori Auguſto Æneas Epiſcopus* (hæc literis majuſculis rubris & nigris alternatim, tum ornatiſſima calligraphice primordiali litera D. fundo inaurato) *Senenſis veram felicitatem expetit. Diſertos ac veraces hiſtoriarum ſcriptores haud ornamento eſſe duntaxat* &c. ut impreſſa ſunt. Finis in hæc verba: *major regni vis adverſus Johannem ſentire videbatur, multumque*

*illi*

*illi comes Ciliæ adverſus credebatur, tanquam, illo ex gubernatione regni dejecto, locum ejus occupaturus.* Duæ poſtremæ literæ ad formam majorum exactæ, ut in fine ſolet fieri, verſa pagina vacante. Inſcriptio in facie ſecunda, primæ paginæ, præfationi Æneæ obverſa, priori facie vacante, hæc eſt, rudi genere rhythmicæ ad aurium quoddam judicium exigentis ſyllabas, non habita ratione quantitatis: *Ad Illuſtriſſimum Principem Maximiliamum Divi Federici Tertii Imperatoris Auguſti filium Johannis Antiſtitis Tridentini in ſequentem hiſtoriam præfatio.* Hæc rubris literis exarata, ſequitur inſcriptio nigris elementis.

*Accipe dicatam multo tibi tempore geſtam*
*Hiſtoriam Divi parentis, quæ facta recenſet,*
*Quam Pius Æneas ſcripſit : tunc aulicus heros*
*Cæſareos apices magna cum laude receptos*
* hic videtur deeſſe aliquid.
*Ac nuptiali thoro : juncta quo fœdere mater*
*Amplexibus ſacris : dextra quoque data viciſſim*
*Finibus heſperiis : cum tota venuſta veniret*
*Honores ſummos, quos omnis Italia defert,*
*Inque ſuo ad patriam reditu : quamque impia vulgi*
*Bella geſta domi : partim nobilibus acta*
*Atrocibus Furiis : comitis celeye quondam*
*Ac Euzingeri ſenis ſola perfidia moti*
*In dominum ſervi inſurgunt marte crudeli*
*Quem triumphali redimitum tempora lauro*
*Urbe coronatum alma tibi roma remiſit*
*Nec tamen quicquam proficiunt furentibus auſis*
*Quam quod Ladislaum ducunt ad funera manes*
*Ante immaturam preferunt etateque virum*
*O quam præclare tecum rex inclyte factum*
*Si tantum juvenis Cæſaris in aula nutritus*
*Donec completos vidiſſes impuber annos*
*Hoc te premonitum faciat tua clara juventus*
*Maximiliane maximus in millibus annis*
*Ne nimium præceps patris imperia linquas*
*Seductus levibus inanique turba clientum*
*Ne avidus regni inter incauta labaris*
*Sed patris imperio ductus longaque ſenecta*
*Te tutum ditem faciat potentia magnum*
*Vt poſt fata ſui Cæſar fias ipſe ſecundus*
*Vale decus mundi vale ſpes maxima noſtri.*

Hinc abunde intelligitur, ſingulari ſtudio propoſitoque deſcriptum hunc codicem, nec inter vulgares manus verſatum eſſe.

Videram & in Bibliotheca Holmienſi Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Chriſtinæ *Mſc. hujus hiſtoriæ in charta*, ſed parum diligenter exaratum.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Autographum* autem, in quo multa deleta & inducta & ſuperſcripta, ut plane appareat, a cogitante & generante ſcriptum exemplum, in Cæſarea Bibliotheca Viennæ cuſtodiri acceperam: Vnde variantes lectiones mihi promiſerat *Ampliſſimus Petrus Lambecius S. Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius Hiſtoriographus & Bibliothecarius.* Sed infinitæ occupationes viri doctiſſimi, ne voto hactenus potirer, interceſſerunt. Cujus epiſtolam 28. d. Septembr. 1669. ad me ſcriptam, & ex ea notitiam illorum MSS. Lectori hic exhibere fas eſt.

*Literas tuas d. 15. Auguſti datas, recte accepi, & pro ſingulari erga me affectu, quem inde perſpexi, non ſolum maximas habeo agoque gratias, ſed & viciſſim ad omne officiorum genus promtiſſimum me paratiſſimumque offero. Quod igitur ad editionem Hiſtoriæ Auſtriacæ Aeneæ Sylvii attinet, lubentiſſime eam adjuvabo communicatione variantium lectionum, quæ extant in codicibus MStis Cæſareis, dummodo quamprimum ad me mittatur exemplar impreſſum, cum quo eos conferam. Sunt enim profecto collatu digniſſimi, utpote abſque ullo dubio propria ipſius Aeneæ Sylvii manu exarati; ſed ſimul etiam lectu difficillimi propter frequentes lituras, quibus, ut inter componendum fieri ſolet, inquinati & conturbati ſunt. Diſcrepant etiam iidem non mediocriter a ſe invicem, ut videre licet ex duobus illis fragmentis, quæ libro ſecundo commentariorum meorum de Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi p. 472. & 972. inſerui. Cauſa autem hujus diſcrepantiæ ſatis clare apparet, ex differentia Præfationum. In Præfatione enim primi Autographi, qui incipit,* Hiſtoriarum ſcriptores, qui veraces ſunt, reipublicæ maximo eſſe adjumento, nemo ſapiens inficias ibit &c. *manifeſte & expreſſe indicat Æneas Silvius, ſe hoc opus voluiſſe inſcribere,* Hiſtoriam Rebellionis Auſtriacorum contra Imp. Fridericum Tertium. *Poſtquam vero animadvertit, fore, ut hoc modo Auſtriacos nimium irritaret, eorumque odium & arma in ſe converteret, mutata præfatione ſimul etiam mutavit Titulum Operis, idque inſcripſit* Hiſtoriam rerum geſtarum Imp. Friderici Tertii, *nec ut antea fecerat, ab ipſa Ladislai Poſthumi tutela & Auſtriacorum rebellione orſus eſt, ſed generalem quandam præmiſit Deſcriptionem Auſtriæ, quemadmodum apparet ex hoc ſecundi autographi principio:* Friderici Tertii *(in utroque Autographo ubivis more Italico ſcriptum eſt Federicus)* Romanorum Imperatoris, qui fuit Erneſti Ducis Auſtriæ filius ſcripturo mihi res geſtas, haud ab re viſum eſt, de ſitu Auſtriæ, de gentis moribus, de nobilitate Majorum pauca præmittere. *Verum enim vero nec ſecunda hæc compoſitio certas ob cauſas ad finem perducta & omnino elaborata eſt; ideoque ea a Joanne Trithemio in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis recte vocatur Hiſtoriarum opus imperfectum. Idem quoque confirmat Joannes Cuſpinianus in proœmio Deſcriptionis Auſtriæ. Extat inſuper in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea etiam* Tertium *ejuſdem operis imperfectum exemplar, manu Wilhelmi Bernhardi a Frideshaim An. 1592. Vindobonæ deſcriptum, & Hugoni Blotio, quarto ante me Bibliothecario Cæſareo dedicatum peculiari quadam præfatione, in qua ad rem præ-*

*præſentem maxime faciunt hæc verba:* Ego, ut & multi docti, cum quibus hac de re contuli, in eam ductus ſum opinionem, Autorem operi huic ſupremam manum nunquam impoſuiſſe: ac idcirco perfectionem iſtius Hiſtoriæ ulterius non eſſe expectandam. *Hæc Fridesbaimius. Vehementer itaque aveo ſcire; quale ſit illud exemplar MStum Briſacenſe, quo tu, Vir ampliſſime, uſus es, & præcipue quidem, quodnam ejus ſit initium, & quis finis.* Hactenus Lambeciana Epiſtola.

Ex hac narratione animadvertimus, Æneam non conſtanter, nec eodem modo, appellitaſſe hoc opus. Videtur & *Auſtriæ* titulum impoſuiſſe: ſi credimus *Cuſpiniano*, qui in *Auſtria* ſua pag. 8. nugatorem, qui Auſtriæ Chronica ſcripſit, refellens, *quem*, inquit, *etiam Pius ille Sylvius Friderici Cæſaris olim a ſecretis, in opere illo imperfecto, cui titulum fecit* AUSTRIA, *ſatis ſuperque confutavit & mendacii coarguit, ineptiſſimum ipſum ſycophantam & nebulonem ſtupidiſſimum nuncupans*; quæ & plura ſequentia verba extant ſane in noſtro hoc opere. *Idem Cuſpinianus, in Friderico Tertio* p. 406. de molitionibus provincialium lectorem remittens ad *Hiſtoriam Auſtriæ de Friderici geſtis Sylvii Æneæ, quæ* (inquit) *nondum edita, paucis eſt cognita.* Sine dubio hoc ipſum opus intelligit. *In Mahumete ſecundo* p. 451. Capiſtranum laudans, *de quo*, inquit, *multa Pius in hiſtoria de rebus Friderici Cæſaris, quæ conſulto prætereo.* Alibi (p. 434.) ita laudat: *Æneas Sylvius Friderici Tertii res geſtas peculiari opere orſus, morte præventus, abſolvere non potuit.* Ubi ſi de hoc opere ſermo eſt, illud ſupra repetendum erit: orſum eſſe hoc opus & præfationem quoque ſcripſiſſe, dum Epiſcopus Senenſis adhuc eſſet. Ipſe etiam mentionem facit in *Europa* ſua cap. 22. *Auſtriam deſcribere hoc loco haud neceſſarium exiſtimamus, de qua propriam hiſtoriam edidimus.*

## III.

### *De Auſtria Excurſus Æneæ.*

Promittit poſt *præfationem*, Auſtriæ deſcriptionem ulteriorem: *a ſitu, gentis moribus, nobilitate majorum.* Orſus hinc a *nomine, ſitum explanat*, & *præſtantiam regionis* aggreſſus, in capite Auſtriæ *Vienna* moratur. Hinc, poſt pauca adjecta de *baronibus*, & *nobilibus*, & *Eccleſiis, fabularem hiſtoriam* ex vulgari chronicario longo ſermone uſque ad inceſtatam a mariti fratre Leopoldi conjugem pertexit. Nam & hanc narrationem nugis fabuliſque *Lazius* accenſet, pro vera habitam *Cuſpiniano in Auſtria.* Et hæc quidem commenta tum ipſe arguit *Æneas*, tum *Wolffgangus Lazius.* Addendus eſt *Cuſpinianus proœmio in* Duces Auſtriæ. *De rebus Viennenſibus* totum opus *Lazii quatuor libris* concinnatum, vel curioſis queat ſatisfacere. *Academiæ Viennenſis* inſtituta exhibet plena manu *Ampliſſimus Lambecius, Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis volumine ſecundo.* Addatur ipſe *Æneas epiſt. 165.* Ex *Lazio* etiam diverſitas ſcripturæ in commentitiis illis nominibus animadverti poteſt: e. g. *judeiſapta, judaiſapta; athaim, tat'haim; peimau, peymonis; ſaurim, ſauritz; pannas, pannans; tantamo, tamto; rathan, rantam; ſathan, ſaptan.* Ceterum de Auſtria cautius & accuratius incedit

dit *Comes Fuggerus in Speculo Honoris Auſtriaco* Lib. 2. Poſt verba illa pag. VIII. (col. 23. A.) *cum vero Marchionatus ex obitu Eberhardi ad imperium devolutus eſſet, Henricus Bohemorum Dux ad eum promotus eſt, quod imperio nonnihil obſequii*, aliquid deeſſe omnes vident, & appoſito *aſteriſco* notavimus, quamvis in MSc. noſtro codice nullum lacunæ veſtigium appareat.

*Pag. IX.* (col. 26. B.) legitur, *cum Thenone Juvavienſe Archiepiſcopo. Thimo Tiemo, Thymo Thyemo* dicitur, cujus martyrium exhibetur in *Salisburgenſibus Hundii tom. 1. p. 58.* &c. Locus Ottonis Friſingenſis ab Ænea hic laudatus extat *Chron. lib. 7. c. 7.* in hæc verba: *Eodem anno Guilhelmus Comes Pictavienſis, & Dux Aquitaniæ, Themo Juvavienſis Archiepiſcopus, Guelfo Noricorum Dux, Itha, Marchioniſſa Leopoldi Marchionis Orientalis mater*, (& enumerantur plures) *per Ungariam & Græciam pergunt, quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expoſitos, pene omnes crudeliter extinxit.* Itha illa fuit Henrici III. Imp. filia, Henrici IV. ſoror, v. *Cuſpinianum in Leopoldo III. Pulchro.*

*Eadem pagina IX.* (col. 26. B.) mox ſequitur: *Leopoldus pietate & libertate inſignis.* Corrige, ut eſt in MSc. *liberalitate*, cujus exempla ſequuntur.

Sequitur *pag. IX.* (col. 27. A.) de *Leopoldo Pio*, Sexto Marchione Auſtriæ, & *Agnete* uxore quæ fuit

Imperatoris { filia, neptis, ſoror, avia.

Regis { Soror, Mater. *Cuſpin. Auſtr.*

Quæ *eadem pag. IX.* (col. 27. B.) de *Leopoldo Largo*, Ducatu Bauariæ aucto ſequuntur, uberius expoſita habes apud *Ottonem Friſingenſem Chron. lib. 6. c. 22. & ſeq. & Annal. Bavar. noviſſ. part. 1. lib. 20. f. & 21. pr.*

At *pag. X.* (col. 28. B.) *Ottonem* Epiſcopum & Hiſtoricum Patre Leopoldo Marchione Auſtriæ, matre Agnete, de quibus modo dictum, natum, merito & gravi ornat teſtimonio *Æneas.* Erraverat, *in Europa c. 35.* cum Ottonem hunc natione Friſium exiſtimavit, notatus jam hoc nomine a *Trithemio in catalogo illuſtrium virorum* Tom. 1. p. 140. Erravit & ipſe *Trithemius*, cum ætatem Hiſtorici toto ſæculo ulterius ponit, ſi non eſt mendum typographi. (1)

Quæ de *matrimonio Sororum Ottonis*, & *lite Bavarica*, pag. X. & XI. (col. 30. C.) ſequuntur, v. etiam in *Annal. Bavar. noviſſ. part. 1. lib. 21. Hieronymus Gebuilerus in commentar. hiſtor. Mſc. l. 3. c. 22.* ſummatim: *Fridericus Imp.* A. D. circa 1157. *Ratiſponam Baioariæ metropolim curiam celebraturus octobri m. ingreſſus, diſcordiam inter Henricum Marchionem Auſtriæ, & Henricum Baioariæ Ducem his conditionibus ſedavit, ut Henricus Saxo Bajoariam, e qua pater ſuus propter rebellionem pulſus a Conrado rege fuerat, reciperet, Henricus vero marchio orientalis ſeu Auſtriæ, quæ olim Pannonia ſuperior dicta fuerat, deinceps Ducali Auſtriæ titulo gauderet, quem Ducatum tribus civitatibus a Bajoa-*

(1) *G. I. Voſſ. Hiſt. Lat. lib. 2. 53.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

*baioariorum principatu tum ſeparatis auxit, unde qui prius orientales marchiones Auſtriæ dicti fuerant, tunc Auſtriæ Duces nominari cœperunt, quorum etiam inſigne mutatum eſt.* Addatur *Cuſpinianus in Henrico VIII. ſ. ultimo Auſtriæ marchione, primo Duce Auſtriæ.*

## IV.

### *De Privilegiis Auſtriæ & Auſtriacorum Ducum.*

Dum *compoſitionem litis Bavaricæ, & inſtitutum Auſtriæ Ducatum ex Marchionatu*, Æneas memorat, inſerit memorabilem annotationem *de magnis & ſingularibus privilegiis*, (col. 33. A.) quibus Fridericus I. Imperator terram Auſtriæ & Duces honeſtavit: & Fridericum II. Imp. ea repetiiſſe & confirmaſſe, ſignificat. Jam autem antea Henricum IV. Imp. Arneſto Auſtriæ Marchgravio literas dediſſe, ait, in quibus *Julii Cæſaris, Claudiique Neronis privilegia* referantur. Quibus ipſe Æneas gravi & libero judicio fidem abrogat.

Qua occaſione & nobis, de argumento πολυθρυλλήτῳ aliquid conſignandum eſt.

*Friderici I. Imp. Privilegium* ex parte inſertum eſt *Laudo ſuper Ducatu Bavariæ & Marchionatu ſuperioris Auſtriæ A. 1166. in comitiis Ratisbonenſibus*, apud *Goldaſtum tom. un. Conſtitut.* pag. 302. plenius autem exhibetur *inſertum Diplomati Friderici II. Imp.* quo in Comitiis Veronenſibus confirmatur A. 1245. apud *Eundem Goldaſtum & Cuſpinianum in Auſtria* p. 520. Æneas non retinuit ipſa verba diplomatis omnia, ſed ſententiam, cum quadam verborum immutatione hic inſeruit. Conſtituerat Fridericus II. Imperator, Regnum ex Ducatu Auſtriæ facere, ejuſque Conſtitutionis Formula jam concepta erat, ut ex *Petro de Vineis* affertur a *Goldaſto* & *Cuſpiniano*, qui in archivo tamen Principum non reperit, neque annus additus, ut omnino videatur citra publicationem ſubſtitiſſe id conſilium. Maximilianus quoque Primus poſtea Regnum facere ex Provinciis Auſtriacis, deſtinaverat; neque tamen exitum habuit id conſilium. Patris Friderici II. Imp. exemplum imitatus eſt Filius *Henricus Rex Romanorum*, cujus donatio extat in *Cuſpiniani Auſtria* anno 1228. facta. Acceſſerunt *aliorum Imperatorum & Regum* confirmationes, quas enumerat Carolus V. Imp. in ampliſſima confirmatione, apud *Cuſpinianum in Auſtria.*

Ceterum de *Henrici IV. Imp. privilegio*, quod nominat Æneas, maxima eſt quæſtio. Id enim laudat *Julii Cæſaris & Neronis privilegia*, quod poſtea *Fridericus III. Imp.* ſolenni formula, & exacto ſingulorum Electorum teſtimonio fecit, ut produximus, *in parte operis III.* pag. 8. & ſeqq. Meminit & *Caroli V.* privilegium. Sed *Fuggerianum Speculum*, Lib. II. c. 2. p. 163. & ſeqq. Henrici Diploma in dubium vocat, eo quod nec ſigillum cognoſcatur ob vetuſtatem, nec ſtilus conveniat tempori Cæſaris & Neronis, nec ſententia pertineat ad privilegium Auſtriacum, quod vulgo laudatur. Quare etiam omiſit illas tam incredi-

biles periodos, cum cetera exhiberet. Argumenta, quibus impugnat illas literas Julii & Neronis, Æneas, invicta sunt. Monstra enim continent in stilo & re. Scilicet *feudum*, & *bannum & orientalis terra* pro Austria, voces sunt illius *sæculi*. Jam, Julius Cæsar, & Nero scripserint stilo paganorum, quem Henricus Imp. Latine interpretandum sumserit. Scilicet Julius Cæsar *Regem* se appellaret, & *annos regni sui* numeraret. Scilicet formula faciendi externos Principis Romani *Consiliarios sine quibus nihil arduum & grave explicari debeat*, temporibus antiquis conveniet. Quis enim non videt, aut meminit recentioris formulæ exemplum, ad quam supra ipse Æneas respexit (pag. V. nunc col. 14. C.); *proceres Austriæ sunt omnes Consiliarii Ducum Austriæ?* aut, quasi artifex talium literarum, ex recentioribus formulis, voluerit exhibere illud (vid. *Diploma Caroli V.* apud *Cuspin.*) **der Ertzhertzog von Oesterreich soll auch sein der allergebetmest Rath des Römischen Reichs, also daß kein Sach, so in Ewigkait raicht ohn sein Wissen, beschlossen werden oder beschehen soll, deßgleichen seine Nachkommen.** Igitur Æneas, *vel confictas esse Henrici Imp. literas, vel Imperatorem Cancellarii sui levitate deceptum*, existimat. Cui, vix ratio est, quæ vetet accedere. Sed, quod addit *Æneas, Friderici vero, & ceteri, qui post eum* (Henricum IV. Imp.) *imperavere, cum Austriæ libertatem tradunt, nullam prorsus harum literarum mentionem efficiunt:* illud mirari propterea possis, quod de suo Principe, i. e. de Friderico III. Imp. non cogitaverit. Is enim An. 1442. in *Confirmatione Privilegiorum Austriacorum*, cui Electores singuli suum testimonium apposuerunt, disertis verbis *Julii Cæsaris & Neronis literas* nominavit. Certe post id tempus Æneas hæc scripsit. Non interfuisse tamen eum illis formulis perscribendis, satis credo. Quis enim ambigat, quin dubitatio ejus tam gravibus fulta rationibus locum inventura fuerit? Quod amplius existimat *Æneas, hæc ab ingenio non tam erudito quam maligno conficta esse:* in eo assensum sustinuerim. Potius crediderim, *fuisse tam vetustum & pertinacem de honorata a Cæsaribus antiquis Austriorum virtute rumorem, ut rudioribus sæculis, ubi magna fingendi non tam malignitas, quam securitas & audacia obtinet, aliquibus hoc commentum placere potuerit, si literæ tales fingerentur, quales gignere solet imperitia temporum & rerum, vix detrectandas tamen iis, qui pari ignorantia tenerentur.* Ita, mirum & novum non esse, peccari talia a scribis aularum, exemplis quoque doceri posset, si res postularet. Sæculis itaque rudioribus talis commenti propagatio & credulitas hominum imputanda est. Examen enim historiæ & antiquitatis, fuit oppido perpaucorum hominum. Quid miramur? Capiamus a nostris temporibus, ubi omnes sapiunt, omnes eruditi sibi videntur, exemplum. Quot magnificos homines, si jocari luberet, vir eruditus aut etiam ineruditus posset confictis talibus næniis in errorem ducere? Et inter similes, quocunque fatu edita fabula, applausores habet.

Sicuti autem sub hoc ornatu comico producta fabula, peritis se frustra

ſtra tendat approbare: ita res ipſa non adeo ad fidem difficilis eſt, ſi ex rumore illo, antiquitus dicto, id accipiatur, quod fieri potuiſſe, haud improbabile eſt. *Fortium aliquot virorum aut nationis virtutem militarem & fidem teſtimonio honoratam a Ducibus Romanis & Imperatoribus, nec incredibile nec inſolitum fuerit. Hujus laudis perierit formula; manſerit memoria. Huic ut ſervirent ſpecioſius, illam reproducere amiſſam tentaverint aliqui, nec tempore nec ingenio idoneo.* Et, ſi Julium Cæſarem cum exercitu in illa loca perveniſſe, cum *Ænea* pag. 3. (nunc col. 8. B.) negas, *Julium* accipe *Octavium Auguſtum*, cui hæreditarium *Julii* nomen veteres nummi & antiqua monumenta aſſerunt. *Neronem* autem, accipe *Tiberium Imperatorem;* quem Neronis vocabulo appellari, non eſt infrequens. Vtrumque in Pannonia, cujus pars eſt Auſtria, res geſſiſſe, conſtat. Mori quoque Romano, laudandi virtutem fortium ac fidelium ſociorum, nihil eſt, quod repugnat, niſi ſtilus nuper ab imperitis confictus, vetere jam olim perdito. Ab illis, quos judicio ſuo Romani honeſtiſſimos fecerunt, ortos Auſtriæ Principes, invaluit. Fuit hæc fama ipſa canitie ſua venerabilis, & admiſſionem facile invenit etiam ad Aularum adyta. In quibus examini traditorum accuratiori, obſtitit infelicitas temporum.

In *Speculo* quoque Fuggeriano apparet, non eſſe cuivis facile tempora, & ſtilos judicare, quando & graviſſimus *auctor*, & cum eo *Wolfgangus Lazius in reb. Vienn. l. 2. c. 2. Tiberii Imp. Epiſtolam*, ſpuriam certe, pro genuina habent. Non enim eſt illius temporis, Auſtriam, dicere *provinciam orientalem.* Neque *ſacri Romani Imperii auctoritate* hoc ſe velle, Imperator diceret. Neque Latinum erat illo tempore, *ſi quis contra edictum hoc noſtrum præſumere audeat.* Ne de aliis rationibus dicam.

Supereſt ut addamus, quomodo in Henrici IV. Imperatoris privilegio *Julii Cæſaris* & *Neronis* Privilegia ponantur. Refert Imperator, *quod Erneſtus Margravius Auſtriæ petierit ſibi confirmari conceſſiones ſeu privilegia, ſuo Nobili Marchionatui Auſtriæ ab antiquis Paganorum Imperatoribus conceſſa, quorum privilegiorum*, inquit, *tenores ſequuntur, & primi privilegii tenor ſic ſonat. Nos Julius Imperator, Nos Cæſar & cultor Deorum, plagæ orientalis terræ ſuiſque Incolis Romanam veniam & Noſtram pacem. Vobis mandamus, per noſtrum triumphum, quod vos illi præcelſo Senatori noſtro Avunculo pareatis, quoniam nos eidem & ſuis hæredibus ſuæque domus deſcendentibus donavimus vos in feudatariam poſſeſſionem, perpetuo tenendam ſibi & ſuis poſteris in perpetuum relinquentes, quod nullam poteſtatem ſuper eos ſtatuere debemus. Nos eis & dictis ſuis ſucceſſoribus largimur omnes utilitates terræ orientalis memoratæ &c. Datum Romæ Capitali mundi, die Veneris, Regni noſtri anno primo. Et ſecundi privilegii ſic ſonat tenor. Nos Nero, Amicus Deorum, & fidei eorum propalator, Præceptor poteſtatis Romanæ, Imperator, Cæſar & Auguſtus. Nos ſumus deliberati cum omni noſtro Senatu, quod eximi debeat illa terra orientalis ante alias terras, quia ipſa & ejus habitatores ante omnes illos, qui Romani Imperii ſubditi ſunt,*

*ſunt, laudabiter eluceſcunt: ob hoc dicimus illam eandem terram in perpetuum quietam & abſolutam ab omni penſione & cenſu, qui jam impoſitus eſt vel erit in futurum ab Imperiali poteſtate aut a Nobis vel Succeſſoribus Noſtris, ſeu quibus aliis, nos volumus etiam, quod eadem terra in perpetuum libera perſeveret, præcipimus etiam ex Romana poteſtate, quod nulla adverſitate illa terra ſupra nominata ab aliquo moleſtetur. Si quis autem contra hoc faceret, in Banno Romani Imperii* &c. *Datum ad Lavinium die Martis magni illius Dei* &c. *Quamobrem nos præ nominatus Rex Henricus* &c. *illi Generoſo Principi prænominato Erneſto Marggravio Auſtriæ & ſuis Hæredibus ac ipſi terræ Auſtriæ corroboravimus & fecimus innovari illas præſcriptas litteras, quæ in lingua Paganorum conſcriptæ fuerant, & quas in Latinum ſermonem convertimus & tranſtulimus, ita duntaxat, quod eædem prænominato Erneſto Marggravio & terræ ſuæ Auſtriæ ac ſuis poſteris ac ſucceſſoribus honorem & fructum apportent & inducant, ac ſi eiſdem id ſeu eædem a divis & Chriſtianiſſimis Imperatoribus datæ forent.* Sed hæc, qualia ſint, jam dictum eſt, & ultro intelligitur.

A

B

C

## V.

### *De Fridericis Digreſſio.* (1)

Vt de FRIDERICIS tam amplam hiſtoriam intexeret Æneas, duabus ſe cauſis adductum ait: primo *propter conjunctionem Suevici & Auſtriaci ſanguinis in Friderico I.* Imp. deinde, *quod Latini ſcriptores Fridericorum originem non attingere ſoleant.* Eſtque hæc nobiliſſima commemoratio, & Imperatoriæ Hiſtoriæ Germanicæ graviſſimum ſupplementum, eloquentiam & prudentiam ſui auctoris abunde referens. In hac hiſtoria Æneas, *Henricum Tertium*, Imp. vocat, qui *Quartus* uſurpari ſolet; & *Henricum quartum*, qui a pleriſque *Quintus* dicitur. Orditur autem inde, unde *Hiſtoriæ Suevicæ* majus ſurgit opus & nobilior ſeries: nempe a *Friderico Antiquo* Barone ſeu Comite Hohenſtauffenſi, quem Imperator Henricus Quartus Generum aſcivit, & Ducem Sueviæ fecit, Bertoldo ſeu Bertolfo Zæringenſi hunc Ducatum, retento tantum Turego, *exfeſtucare* coacto, ut loquitur *Otto Friſingenſis de Frid. I. lib. 1. c. 8. Exfeſtucare* eſt, per ſeſtucam dimittere, traditi ſeu translati dominii uſitatiſſimum ſymbolum. Inepte enim prorſus *Cruſius Annal. Suev. l. 8. part. 2. c. 4. quaſi feſtucam ex oculo ejicere, abdicare*, explicat. Quod autem *Friſingenſis*, & ex eo *Æneas* hic de *Alemannis* & Lemano lacu habet, refutatur a *Franciſco Guillimanno in rebus Helviticis.* Lib. 2. c. 3. f. Æneas quidem ipſa Ottonis verba luculente imitatur, ſi utriuſque narrationem conferas. Fridericus Antiquus moriens, reliquit Filios *Fridericum* & *Conradum.* Quorum *Fridericus* fortiter rem geſſit contra hoſtes Avunculi ſui Imperatoris Henrici Quinti, contra Lotharium Imperatorem, contra Henricum Bavariæ Ducem, affinem ſuum, cujus inſidias degeneres vix evaſit. *Conradus* autem poſt Lotharium Imperator factus, ex paſſagio, infeliciter confecto, redux moritur: Ex his fratribus Fridericus, itidem reliquerat Filium *Fridericum*, qui

(1) A pag. XII. uſque ad XXXIX. nunc col. 36. C. & ſeqq.

qui *Luſcus* appellatur: cujus Filius *Fridericus Barbaroſſa* Conrado Imperatori ſucceſſit. Barbaroſſa Filium *Henricum, Sextum:* hic, etiam Filium, *Fridericum II.* ſucceſſorem Imperii habuerunt. Friderico II. Imperatori Filius *Conradus IV.* ſucceſſor deſtinatus, antequam veneno tolleretur, teſtamento *Conradinum filium Succeſſorem* nominavit. Quem, dum regna Siciliæ & cetera ſibi debita recuperare conatur, *Carolus Andegavenſis* captum crudeliſſime interfecit. Ad hunc, *ultimum generis Fridericorum*, adeoque ad finem Suevicæ Dynaſtiæ, ſummam hiſtoriæ Fridericorum Æneas pertexuit, & ex *Friſingenſe* potiſſimum repetiit, antequam ad Auſtriaca rediret.

Moguntinas turbas, quæ hic pag. XIV. (col. 40. B.) tanguntur, deſcribit præcipue *Viſpergenſis, Friſingenſis* & *alii:* ex quibus diligenter colligit *Serarius in Alberto I.*

*Virici Horningenſis conſilium* in obſidione Limburgenſi *(pag. ead. nunc col. 41. B.) Otto Friſingenſis de rebus Friderici I. lib. 1. c. 14.* & *Cruſius A. S. lib. 9. part. 2. cap. 6.*

*Henrici Bavari inſidiæ in Fridericum pag. XV. hic col. 44. A.*, etiam *Ottoni Friſingenſi* narrantur *lib. 1. de reb. Frid. c. 19.* Addatur narratio ex *monumentis Zuifaltenſium* apud *Cruſium* in *Annalibus Suevicis.* Lib. 9. part. c. 2. 11.

*Henrici ſuperbi exitum, commutatione rerum inſignem*, pag. XVI. (col. 48. A.) merito notat *Æneas* Adde *Urſper. Cuſpinianus p. 315. in Conrado III. Scribunt quidam, ex animi mœrore miſerabiliter mortuum, qui ex amicis & nobilibus omnibus, quos amaverat, quatuor tantum habuerit, quibus confidere potuit, quum alii omnes ab eo defeciſſent: qui paulo ante a Dania uſque in Siciliam h. e. a mari ad mare, longe lateque imperitabat.*

Quem *Æneas* pag. XVII. (col. 49. A.) vocat *Henricum de domo boni conſilii*, is eſt Comes *Henricus de Worlfratshauſen*, quem cum Comite Dachovenſi (de Dachowe) cepit Fridericus poſtea Barbaroſſa dictus. Vide tyrocinium & magnanimitatem Friderici apud *Otton. Friſing. l. 1. de reb. Frid. c. 25.* Adde *Cruſ. A. S. lib. 10. part. 2. c. 1.*

Pag. XVII. & XVIII. (col. 50. C.) De paſſagio Conradi, ex parte felici *Otto Friſingenſis* majorem *libri I. de reb. Frid.* partem conſumit. Adde *Wilhelm. Tyrenſ. lib. 16. cap. 18. & lib. 17.* cum Epiſtola Eugenii Pontificis confer *Friſing. 1. 60.*

De *ſupremis Conradi, Gebuilerus commentar. hiſtor. Mſc. lib. 3. c. 21. Poſt hæc Conradus* circ. A. D. 1151. *omnibus rebus & in Gallia & in Germania bene compoſitis, cum etiam jurata expeditione in proximis imperii coronam accepturus eſſet, non ſine ſuſpicione quorundam (quos ex Italia habuit) medicorum, quaſi ex Rogerii Siculi metu ſubmiſſorum, morbo corripitur, & tamen infirmitate ſeu corporis dolore haudquaquam fractus, Babenbergam pro curia illic celebranda venit. Vbi XV. Kal. Mart. anni præfati prioris fortitudinis, vel in ultimo mortis articulo, retinens animum, non ſine multorum planctu naturæ ſatisfecit. Priuſquam tamen mortem obiiſſet, Regalia Duci Friderico, poſtea Barbaroſſa dicto, cum unico filiolo ſuo Friderico, commendans. Nam de ſublimatione ipſius ad Imperium deſperaverat, unde, ut*

*ut vir insigni prudentia erat, Imperio melius profuturum sciebat, si præfatus fratris sui filius ob multas res præclare gestas sibi in regno succederet. Volentibus autem familiaribus suis juxta ejus, ut asserebant, petitionem eum ad Laureacense monasterium deferre, ibique in proprio fundo juxta patrem sepelire, Babenbergensis Ecclesia hoc sibi contumeliosum fore judicans non permisit, verum juxta divi Henrici II. Cæsaris, conditorium sepultus est.* Quæ magnam partem ex *Ottone Frising. lib. 1. c. ult.* descripta sunt. Vnde & *Crusius* hausit *A. S. lib. 10. part. 2. cap. 11.*

## VI.

### *De Gibellinis & Guelfis.*

Dum a morte Conradi Imp. ad electionem Friderici I. transit Æneas pag. XVIII. & XIX. (col. 53. c.), digressionem valde notabilem *de Guelfis & Gibellinis* interponendam judicavit, quæ a nobis in *Historia de Fridericis*, digito monstrari & indice signari debet. Quia enim singulari eligentium consilio, in Friderico I. Imperatore eligendo hoc spectatum est, ut *Duarum Familiarum, Gibelingiorum, & Guelfæ*, inter quarum factiones & turbas tam diu distrahebantur Ecclesia & Imperium, odia sopirentur per eum, qui utroque sanguine prognatus esset; opportunum fuit ista præfari de celeberrima per Germaniam & Italiam factione, ut inferretur: id potissimum curasse eligentes Fridericum, *ut ei rempublicam committerent, qui Guelforum Gibellinorumque sanguine prognatus pacem Germaniæ daret.* Sumsit autem *Æneas* in hac descriptione, quædam ex *Ottone Frisingensi* lib. 2. c. 2. de reb. Frid. quædam aliunde adjecit. *Aventinus lib. 6. p. 422. & seq.* ita tradit: *Fuisse in Suevia gentem ab Aldorff præcipuam; & hujus æmulam Bebelinam sive Gibelinam (vicus est, ubi educatum Imperatorem Fridericum Primum Cæsarem Augustum ajunt) authores habeo. Hinc Friderici, Hainrici, Conradi; Illinc, Welphones, qui & Wolfhardi (quos Itali Guelphones nuncupant) procreati sunt. Hi Imperatoribus rebellare, illi obsequentissimi esse soliti. Quamobrem adhuc ab ipsis Italia fautores atque amicos Cæsaris, Gibellinos; hostes, Guelphos vocitat.* &c. est enim longior narratio. *Gebvilerus in commentar. histor. Msc. lib. 3. c. 21. Conrado viventi Guelforum familia Rogerii Siculi & summi Pontificis pecunia corrupti multa damna intulerunt, quo bello hæc vocalia bellica Symbola* hie Welph, hie Gebeling, *ortum sumserunt, quibus & posteri diutius usi sunt, Papæ adhærentibus,* hie Welph, *Cæsareanis vero,* hie Gebeling, *clamantibus.* Annales Bavar. novissimi *part. 1. lib. 16. n. 14.* cum Welfonum originem repetiissent, addunt: *& ex ea quidem gente nati Principes, qui cum religionem Cæsarum amicitiæ præferrent, præclaros ecclesiæ patronos dederunt. Unde natum est, ut qui Pontificiarum partium, Cæsaribus aliisque Sedis Apostolicæ adversariis obstitere, Guelforum nomen tulerint adversus Gibellinos.* Idem Annales lib. 21. n. 2. annotant: *In ista Winsbergæ obsidionali pugna* (A. 1149. cum Conradus Imp. Winsbergam Welforum opidum obsideret) *quidam ajunt, nata esse Guelforum & Gibellinorum perniciosa nomina ex tessera præliari, quæ in Welfonis acie ejus appellationem usurpavit: apud regios*

*gios vero Gibelingam, villam Augu-*
*ſtenſis diœceſis, in qua Dux Frideri-*
*cus fuit educatus ab incunabulis. Ita-*
*los vero, quibus harum vocum notio*
*fuit incognita, exiſtimantes, Guelfos*
*eſſe, qui partes Pontificias, Giblingos*
*autem, qui Cæſarianas tuerentur, ver-*
*naculo linguæ Italicæ genio, in factio-*
*num titulos eas voces convertiſſe.* Un-
de *Lexicon della Cruſca: Guelfo, di*
*parte e fazion guelfa, contraria alla*
*ghibellina, in favor della chieſa, con-*
*tro all' Imperadore.* Sed quoniam hæc
factio nondum deſiit, Imperatore Fri-
derico Primo utrumque ſanguinem
participante, Itali quidam longo de-
mum poſt tempore, Friderico II. im-
perante, orta eſſe hæc nomina cre-
diderunt. *Antonius Poſſevinus in Hi-*
*ſtoria Mantuana lib. 2.* ita annotat: *Im-*
*perator* (Frider. II.) *ubi miniſtros præ-*
*liorum, quique partes juventute &*
*pecunia foverent, inquirit, magna*
*illa & toti Italiæ perniciem minata pe-*
*ſtis orta eſt, Guelforum & Gibellino-*
*rum. His Cæſarem, illis Pontificem*
*ſectantibus. Sunt, qui illa Ducum*
*nomina opinentur, ego Furiarum, ſed*
*utcunque ea ſe res habuit, certum*
*eſt, diſſenſionis & factionum cau-*
*ſam,* in ſolo nomine fuiſſe. *Diffu-*
*ſa pernicies univerſam Italiam cladi-*
*bus, ſævitia, perfidia fœdavit. Ci-*
*vitas civitati contraria, provinciæ pro-*
*vinciis adverſæ erant. In familia non*
*filio ac patri, non fratribus conſenſus,*
*non conſanguineis eadem voluntas ſube-*
*rat. Urbes excidio, domus incendiis*
*hauriebantur. Non fallere dabatur.*
*Sed expreſſa voluntas & profeſſio erat,*
*colore, inceſſu, habitu, in ſeriis ac*
*ludis, profanis & ſacris, domeſticis*
*& externis diſtinguebantur.* Et poſt-
ea in anno 1450. *Par Italorum*
*conſternatio erat, Guelphis ac Gibel-*
*linis mutuo decertantibus, ea obſtina-*
*tione animorum, ut quibus non odia,*
*nec injuriæ eſſent, in ſuos ſolo nomine*
*ſævirent.* Paulus Jovius, elog. vir.
bell. illuſtr. ad Friderici I. tempus ori-
ginem refert. *Ab adventu,* inquit,
*Aenobarbi Cæſaris* (in Italiam) *ſupra*
*tot acceptas bellorum clades inducta*
*erant, Gibellinorum & Guelforum in-*
*fauſta nomina, quæ horribili & diu-*
*turno quodam terræ motu humana di-*
*vinaque omnia, concuſſerunt.* Iterum:
*Guelfi a Pontificibus ſtabant, quorum*
*defenſores erant Galli: Germanis al-*
*teri ſtudebant, qui Gibellini vocaban-*
*tur.* Quomodo Mediolani factiones
inſtauratæ ſint morte Joannis Galea-
cii, *Idem Jovius* memorat. Vide
*Eundem in Vguccione:* & exemplum
in *commentariis Pii libr. 10. Sigonius*
in rebus Friderici Primi p. 285. de
regn. It. lib. 13. pr. accuratius ſignat
tempora: *Hinc enim Gibellinorum &*
*Guelforum nominibus, ex vetere Ger-*
*maniæ diſſenſione deſumtis, exitiales*
*Italiæ factiones manarunt, quæ ſub*
*Friderico patre exortæ, neque omnino*
*poſt ſub Henrico filio obliteratæ, de-*
*mum ſub Friderico nepote effuſius*
*erumpentes, ingentes in multos poſt*
*annos ſtrages in Italia edidere.* Ad-
datur *Rodericus Sanctius* (*in Hiſpan.*
*Illuſtrat. part. 3. c. 40.*) *de ortu pe-*
*ſtiferæ partialitatis in Italia, videlicet*
*Guelforum & Gibellinorum.* Hiero-
nymus Rubeus *Hiſtor. Ravennat.* lib.
6. p. 240. de ſæculo XIII. pæne me-
dio loquens, *renovatas omni Italia*
*Guelforum Gibellinorumque factiones*
memorat, *quæ centum abhinc annis*
(ita addit.) Chunrado II. (hic eſt,
qui communiter III. uſurpatur) *uti*
*etiam Merula memoriæ prodidit, origi-*
*nem*

*nem habuerunt.* Facunde invehitur in hanc immanitatem Gregorius X. Papa in oratione ad Florentinos, apud *Leonardum Aretinum Hiſtor. Florentin.* lib. 3. p. 418. *At unde iſta væſania? Vnde hic tantus manat furor? Cauſam profecto non levem, non contemnendam, ſed graviſſimam urgentiſſimamque ſubeſſe oportet, quæ ad tam nefaria mentem voluntatemque perpellat: Quænam eſt igitur hæc tam præpotens tamque perurgens cauſa? Juvat enim audire, imo doleo audiviſſe. Quod Guelfus eſt (inquit), aut Gibellinus: nomina ne ipſis quidem, qui illa proferunt, nota. In his non nobilitas modo, verum etiam patria plebs, cujus nec intereſſe quicquam poteſt, inſanit, ac prout hujus vel illius factionis eſt, ita alterius nomen in opprobrium jactat & capitali perſequitur odio. Ea nimirum eſt cauſa, cur cives necantur, domus incenduntur, evertitur patria, ſtitur proximi ſanguis. O puerilem ſtultitiam! o amentiam non ferendam. Gibellinus eſt: at Chriſtianus, at civis, at proximus, at conſanguineus? Ergo hæc tot & tam valida conjunctionis nomina Gibellino ſuccumbent? Et id unum atque inane nomen (quod, quid ſignificet, nemo intelligit) plus valebit ad odium* &c.

*Albi* etiam & *Nigri* dicti ſunt deinceps.

## VII.

### *Lis Danica compoſita.*

Pag. XIX. (col. 57. A.) Quæ de lite, *Petri, Guidonis, Valdamari,* ſuper regno Daniæ, compoſita refert *Æneas*, ſumſit ex uberiore narratione *Ottonis Friſingenſis.* Lib. 2. cap. 5. de reb. Frid. & excuſſit rem totam, allatis reliquis quoque teſtimoniis doctiſſimus *Conringius*, de Finib. c. 14. qui & *Saxonis Grammatici*, quædam in hac hiſtoria diſſimulantis *(lib. 14.)* inſtitutum examinat. Hic illud tantum volumus notare, non eludi poſſe hanc hiſtoriam, obtentu nominis *Petri*, quo nemo Danorum vocatus ſit. *Friſingenſis* enim, diſertis verbis vocans *Petrum*, addit: *qui & Suevus.* Sicut & *Guidonem* vocatum, qui *Canutus* eſt, conſtat. Quare laudandus eſt candor *Stephani Johannis Stephanii*, qui in *Notis* ad illum *Saxonis* locum ita rem denarrat, ut *Saxonem* non quidem plane deſtituat, ſed in hiſtoria Ottonem Friſingenſem nec arguat, verum explicet potius, in hunc modum: *Mersburgi (Otto, Martinopolim*, Helmoldus *Marcipolim*, vocant) tum *temporis comitia Imperii magna ſolennitate peragebantur. Ad quæ Fridericus Imperator etiam Suenonem noſtrum ſub ſpecie quidem & prætextu veteris amicitiæ firmandæ, ſed revera, ut vi & minis adigeret ipſum ad imperata facienda, quomodo eventus docuit, evocaverat. Attingit hiſtoriam hanc non ipſe ſolum Fridericus Imperator in epiſtola ad Ottonem Epiſcopum Friſingenſem, ſed & duo nobiliſſimi ejus ſæculi ſcriptores, Otto modo nominatus, & Guntherus Poeta: qui tamen quaſi de compacto eundem errorem omnes errant,* Suenonem *perperam appellantes* Petrum: Canutum vero *Guidonem, Guotonem, Guirtonem & neſcio quid non: cum forte* Cnutonem, *more illius ſæculi eum vocare, in animo habuerint.* Adfert mox verba Imperatoris & ad vocem *Petri*, in parentheſi addit: *qui nobis Sueno eſt:* tum *Ottonis*, ubi ad illa, *Petrum, qui etiam Suevus* annotat *(Sueno rectius)* ſubjectis etiam

iam *Guntheri* verbis, non refutandæ ſed ſtabiliendæ hiſtoriæ. Alterum exemplum Waldemari, inveſtituram a Cæſare Friderico petentis, loco laudato ex *Radevici lib. 1. cap. 24.* & *Guntheri lib. 7.* affert *Conringius.* Factum id ante ſecundam Friderici in Italiam expeditionem in campis ad Lycum prope Auguſtam. In utroque Scriptore *Daci* pro *Danis* per errorem, cujus exempla plurima paſſim occurrunt, ponuntur. Adſtipulatur hiſtoriæ *Æneas* noſter infra p. XXII. (col. 63. B.) his verbis: *Apud Auguſtam ſupra Lichum fluvium, dum copias in Italiam traducendas inſtruit, rurſus Adriani Legatos primæ ſedis Cardinales audivit, Henricumque Danorum Regem electum recepto per procuratorem hominii juramento confirmavit.* Sed error iterum eſt in nomine. De Valdemaro enim iſta exaudiri debent. Receptum eſt hominium per procuratorem, hac tamen conditione impoſita, ut eſt apud *Radevicum, poſt reditum Imperatoris de Italia Regem infra 40. dies ad curiam venturum, & regni adminiſtrationem de manu Principis debitæ fidelitatis interpoſita ſecuritate ſuſcepturum.* Quæ res implementum habuit Anno 1163. annotante *Alberto Stradenſe. Jo. Iſac. Pontanus* Rer. Dan. lib. 5. & 6. utrobique non negat rem, ſed propoſitum ſervandi quæ acta erant, ex parte Daniæ inficiatur.

## VIII.

### *Conventus Roncalienſis duplex.*

Pag. XX. (col. 58. A.) Solennem locum & formam *Conventus Roncaliani* bis deſcribit *Æneas* noſter. Primo ita: *In campo Ronchaliæ ad fluminis Padi ripam caſtra poſuit, ſcutumque Regium, pro vetere conſuetudine, in alta ſuſpendit arbore. Quo facto, eis feuda ſunt ademta, qui vocati ad comitatum, domi remanſerunt. Inter quos Hartuicus Bremenſis & Vdalricus Halberſtadenſis Epiſcopi Regalia perdiderunt; Eccleſiis apud alios, qui ſequerentur Præſules, ſuo jure ſervato.* &c. Hic conventus actus eſt, cum Fridericus primum in Italiam veniſſet, antequam Romam peteret. Qui character nimirum ſingularis eſt, ut Imperator, antequam Romam ingrediatur, conventum apud Roncalias agat: non tantum juris dicendi, & legum ferundarum cauſa; ſed etiam ſervitia vaſallorum recognoſcendi ergo, quo pacto ad *expeditionem Romanam* proprie ſpectat hæc tanquam *probatio vaſallorum. Expeditio* enim *Romana Imperatoris Germanici*, tota ordinata erat & deſcripta per vaſallos, ſive per eos, qui feuda ab Imperatore & Imperio haberent vel immediate, vel mediate, majora vel minora. Hi conſtituebant exercitum tranſalpinantem, ſi cum illis ſæculis licet loqui. Hi vocati, hoc tanquam ſolennius ſuæ militiæ officium obire tenebantur, ſub periculo amittendi feudi. Et licet illa recognitio vaſallorum in campis Roncalianis iterabatur, quotiens conventus ibi haberetur (armato enim conventui conveniebat armatorum vaſallorum recenſio ſive probatio) nemo tamen non videt primum talem conventum, & propoſitum inaugurationis Romanæ habere aliquid ſingulare; & propterea Recognitionis modo deſcriptæ peculiari nota ſignari poſſe & fortaſſe debere. Incidit autem primus ille con-

ventus Friderici I. Imp. Roncalianus in An. 1154. quem & *Sigonius* descripsit *de reg. Ital. lib. 12.* & *Guntherus in Ligurini lib. 2.* & in primis *Otto Frisingensis p. 282. lib. 2. c. 12. de reb. Frid.* qui & characterem istum singularem hoc modo notat: *Inde castra movens in campo Roncaliæ super Padum, non longe a Placentia, mense Novembri resedit. Est autem consuetudinis regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotiescunque ad sumendam Romani Imperii coronam, militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo mansionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto scutum suspenditur, universorumque equitum agmen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per curiæ præconem exposcitur: quod sectantes, qui in ejus comitatu fuerunt, singuli singulos beneficiatos suos per præcones exposcunt. At sequenti die quicunque nocturnis vigiliis defuisse deprensus fuerat, denuo ad præsentiam Regis, aliorumque Principum vel virorum illustrium evocatur: sicque omnes omnium beneficiati, qui sine bona voluntate dominorum suorum domi remanserunt, in feudis condemnantur. Hunc morem Principe secuto, non solum laicorum feuda, sed & quorundam Episcoporum, id est, Hartuici Bremensis & Vlrici Halberstatensis regalia, personis tantum, quia nec personis sed ecclesiis perpetualiter a Principibus tradita sunt, abjudicata fuere.*

Pag. XXIII. (col. 66. C.) Alter Conventus Roncalianus ab *Ænea* ita describitur: *Hac pace firmata* (i.e. motibus Lombardiæ compositis: *Sigonius* in An. 1157. refert lib. 12. p. 301.) *impetratis etiam atque obtentis per reliquas urbes obsidibus, partem exercitus in Alemanniam remisit, rursusque Ronchalias petens, bina castra Germanorum Italorumque ad ripas fluminis Padi ultra citraque fixit, eaque ponte conjunxit. In quibus præter seculares Principes, ex ultramontanis XII. Episcopi, ex citramontanis Cardinalis unus Guido Cremensis, Sedis Apostolicæ Legatus, Patriarcha unus Peregrinus Aquilegiensis, ac unus & viginti Episcopi. In eo conventu Fridericus promulgatis ex communi consensu legibus jura Feudorum declaravit ampliavitque: pœnas in eos decrevit, qui pacem violarent: binos judices per singulas diœceses constituit: jura fisci admodum multa vendicavit. Placentinos, qui Cremensibus injurii fuissent, turres dejicere, fossasque circa mœnia novissime factas humo complere jussit: ad quas res judicandas sanciendasque quatuor ex Bononiensi Schola Juris interpretes accersivit, doctrina famaque insignes Jacobum, Martinum, Hugonem, & qui nomen ad nostrum quoque tempus transmisit Bulgarum.* Hic conventus Roncalianus potissimum Legibus ferendis occupatus fuit, & feudali præsertim jure ordinando; Vnde & quædam hoc conventu constituta Feudorum Juri accesserunt; inter cetera, etiam de *regalibus* seu sacri fisci commodis. Latius exequitur omnia *Radevicus lib. 1. c. 46. & lib. 2. a pr. usque ad c. 9.* qui memorat hunc conventum ideo institutum esse ut & *Leges pacis promulgarentur*, & *de justitia regni* constitueretur. Add. *Guntherus*, *lib. 8. Ligurini*, & quæ *Conradus Rittershusius* ad illam historiam annotavit: Est & hic conventus propterea celeberrimus

rimus inter eos, qui ad Roncalas acti A
sunt. Juverit, huc referre, quæ de *origine & discrimine feudorum* ex consuetudine Francica repetit *Sigonius in rebus Ottonis Magni de reg. Ital. lib. 7. p. 175. & seq.*

## IX.

### *Spoletani excidii reliquiæ, in Germania resurgentes.*

*Spoletanorum* excidium tangit *Æneas*, pag. XX. & XXI. (col. 60. A.) uberius memoratum *Ottoni Frisingensi lib. 2. de reb. Frid. c. 23.* & *Sigonio de regn. Ital. lib. 12. pag. 291.* B Ex hoc excidio, *Duces Spoletanos* in Germania novam fortunæ & dignitatis seriem orsos, *Gebuilerius*, annotat *commentar. hist. lib. 3. c. 22.* his verbis: *Non negamus, eadem expeditione redeuntem ex urbe Fridericum in Spoletanos arma propter rebellionem ipsorum movisse, captamque & direptam urbem Spoletum igni perdidisse. Quocirca facile nobis persuademus, nec sub Conrado I. nec Secundo, ut quidam arbitrantur, sed sub hoc Friderico Primo Spoletanos Duces tunc extorres factos atque in Germanias captive abductos ibique dominiis assensu Cæsaris provisos fuisse. Nam Spoletanum Ducatum Cæsar Avunculo suo Welfoni sexto, cum Marchia Tusciæ, & principatu Sardiniæ deinceps tradidit possidendum.* Præcesserat opinio de duobus fratribus Principibus de *Spoleto*, quorum unus in Suevia castrum *Vrslingen* fundaverit, alter in Alsatia Dynastiam *Rapoltzstein* acquisiverit. Quam famam, adjectis, quæ paulo ante retulimus, corrigit.

## X.

### *Belli Polonici causſæ, a Friderico I. Imp. susceptι.*

Pag. XXI. (col. 62. A.) *Æneas* diligenter & breviter eas repetit ex *Radevici* uberiore narratione *lib. 1. c. 2.* In Hæreditate Poloniæ cernenda duo Fratres tertium natu majorem, cui nomen & honor Ducis debebatur, excluserant. Is Conrado Imperatori supplex factus, restitui petierat. Et mandavit sane Conradus injuriæ auctoribus, ut fratrem ad debitum ipsi jus admitterent. Sed non erat id ingenium ferocium hominum, ut parendum sibi, nisi malo edomarentur, crederent. Igitur Conrado morte intercepto, Fridericus Barbarossa, causam exulis & supplicis, armis agendam suscepit: cum præsertim & Imperii spreta majestas, & fides Imperatori debita neglecta esset. *Accessit siquidem ad hæc*, inquit Radevicus *lib. 1. c. 2. quod vel debitum fidelitatis Sacramentum offerre, vel solitum singulis annis tributum quingentarum marcarum, publico ærario inferre jam desueverant, talibusque indiciis aperte se ab Imperio descivisse,* C *& nec clancularium, sed evidentem rebellionem moliri protestabantur.* De qua Poloniæ conditione *Helmoldus in Slavicis, lib. 1. c. 1.* æqualis horum temporum scriptor ita testatur: *Serviit & ipsa* (Polonia) *sicut Boëmia, sub tributo Imperatoriæ majestati.* Fractus ergo armis Friderici Imp. Dux Poloniæ Boleslaus, deditione oblata ad genua victoris provolutus, *primo* juravit pro se & omnibus Polonis, *quod frater suus exul* (Boleslaus natu major) *ad ignominiam*

*miniam Romani imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo millia marcarum Imperatori, & Principibus, mille, Imperatrici XX. marcas auri, Curiæ ducentas marcas argenti, ob eam negligentiam, quod ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem. Deinde juravit, ut in proxima Nativitate Domini ad Curiam Magdeburg celebrandam venire deberet, juxta judicium Polonorum & Boëmorum super querimonia fratris sui expulsi plenarie responsurus. Sicque jurata Principi fidelitate, sicut mos est, & de supradictis omnibus fideliter adimplendis, acceptis obsidibus, Gazimero videlicet fratre Ducis, & aliis nobilibus, gloriosam adeptus victoriam revertitur.* Quæ verba, *Radevici, lib. 1. c. 5.* amplius declarant, quod supra dictum est: Poloniam Imperio illis temporibus subjectam fuisse: De quo etiam egit doctissimus *Conringius de Finibus c. 18. Conradus Rittershusius* ad illa *Guntheri lib. 6. v. 81.*

*Nec jurare fidem; nec prisco more tributa*
*Annua, quingentas curabant pendere marcas;*

sic ait: *Nota ex hoc loco Polonorum Regem antiquitus Imperatori Romano fuisse obnoxium, adeoque & fidelitatem ei jurare vasalli in morem, & annuum tributum quingentarum marcarum pendere solitum.* Et Jus quidem ipsum extra & supra omne dubium fuit constitutum. Sed, quia fidem servare Poloni non induxerunt in animum, donec ad extremum cum Exulis Boleslai liberis transactum est, ut Silesiæ ad Poloniam spectantis partibus contenti essent, facile fuit Scriptoribus Polonicis (1), circa historiam dissimulare quædam, & supprimere, & perpetuam αὐτονομίαν jactantius quam verius asseverare. Nisi quod post Friderici II. tempora Imperio se subduxerunt, *v. Conring. de Finib. cap. 29.*

## XI.

### *Bohemia ex Ducatu in formam regni versa.*

Pag. XXI. & XXII. (col. 63. A.) *Æneas* noster de Friderici ex Polonia reducis actis, & conventu Ratisbonensi (qui in annum 1158. incidit) loquens hoc quoque memorat: *in Bojoariam transiens apud Ratisbonam Labeslaum Bohemiæ Ducem, quod in bello Polonico egregia suæ virtutis experimenta præbuisset, & in Mediolanenses se iturum promisisset, Regio diademate honestavit. Tumque primum Bohemia Regibus parere cœpit; lapsis post Christi Salvatoris ortum mille centum & quinquaginta tribus annis.* Videntur hæc ex *Radevico lib. 1. c. 13.* hausta: qui tamen diserte ponit annum N.D. 1158. quem præsignavimus: ex Comitiorum Ratisb. tempore, ad quod cum Radevico & ipso Æneæ, etiam *Guntherus* refert, *lib. 6. v. 446.* &c.

*Hoc quoque conventu procerum Dux ille Boëmus,*
*Fama Labeslaum quem nominat, ob sua gesta*
*Fortiter, & bello nuper spectata Polono,*
*Ex Duce Rex fieri meruit, gessitque potenti*
*Sceptra*

(1) *v. Schickfus. Chron. Siles. lib. 1. c. 19.*

*Sceptra manu, cinxitque novo diademate crines.*

Ad quæ hæc eſt *Rittershuſii* annotatio: *Labeslaus (qui & Vladislaus & in Aug. edit. Labeslauus hic nominatur) ex Duce Bohemiæ Rex creatur Magdeburgi a Friderico Imp.* (Fefellit eum memoria. Nam Magdeburgenſis conventus præceſſerat Ratisbonenſem, *v. Radeu.* 1, 12. pr. & *Guntherus* ipſe *lib. 6. v. 401.* notaverat:

*Signa Ratisbonam ſua fert, ubi magna coibat*
*Concelebranda patrum ſolenni curia cœtu* &c.

ſubjectis dehinc ejus conventus actis, & hac regis creatione.) *Ob navatam ipſi in bello Polonico fidelem operam. Falli ergo videtur Æneas Sylvius Hiſtoriæ Bohem. c. 24. dum ſcribit, idcirco eum regiam accepiſſe dignitatem, quod in expugnatione Mediolanenſi egregiam operam ipſi navaſſet: imo bellum illud Italicum poſterius fuiſſe, ſignificat hic Guntherus, cum ait, hunc novum regem ad patrias urbes veſtigia retuliſſe, Italico pactum ſua robora bello. Illud autem annotavit idem Sylvius, (de regn. Boh. c. 22.) Vratislaum quidem jam ante ab Henrico IV. Imp. regem creatum fuiſſe Moguntiæ: ceterum ejus ſucceſſores uſque ad hunc Ladislaum, in quem demuo illa dignitas collata eſt, regio nomine abſtinuiſſe Ducali contentos, tanquam regni decus non provinciæ, ſed homini datum fuiſſet, proindeque cum perſona extinctum.* Idem & *Nicolaus Ciſnerus probat in orat. de Ottone III. Imp. indeque liquere* ait, *illa tempeſtate Regem Bohemiæ inter Electores Imp. Rom. eſſe non potuiſſe.* Hactenus Rittershuſius. De priore Rege, *Coſmas Pragenſis, lib. 2. A. D. Inc. M LXXXVI. in conventu* Moguntiæ *Cæſar* (Henricum III. nominaverat, qui aliis IV. audit) *omnibus ſui regni Optimatibus, Ducibus, Marchionibus, Satrapis, Epiſcopis aſſentientibus & collaudantibus Ducem Bohemorum Wratislaum tam Bohemiæ, quam Poloniæ præfecit, & imponens capiti ejus manu ſua regalem circulum, juſſit Archiepiſcopum Trevirenſem, nomine Egilbertum, ut eum in ſede ſua metropoli Praga in regem ungat, & diadema capiti ejus imponat.* Quæ repetuntur latius in *Bohemia Pia lib. 12.* cauſas favoris Imperatorii in Ladislaum, & occaſionem, ac locum aliter refert, quem vide. (1) Hunc *Pontis Pragenſis* longitudine & arcuum ſtructura celebris auctorem memorant. *Arnoldus Lubecenſis* (Chron. 6. c. 2.) de ſolennibus in coronatione Philippi Imperatoris agens, *Boiemo*, inquit, *etiam major dignitas acceſſit, ut cum antea Ducatum teneret, titulo regio a Philippo ſublimatus, ibi & ipſe procederet coronatus, & gladii regii bajulus.* Premislaum vocant Vladislai filium. Et nunc demum interregnum in Bohemia finitum, tradunt, regibus ſibi deinceps continua ſerie ſuccedentibus. *Dubrav. lib. 15.* Addatur *Goldaſti Bohem.* lib. 3. c. 10. n. 8. & 9.

## XII.
## *Tyrocinium Equeſtre ſeu Nobile.*

Non præteriit hoc, quamquam in feſtinato tranſitu, *Æneas.* Pag. XXI. (col.

(1) *p. 19. p. 214. p. 94.*

(col. 62. B.) *Ad Herbipolim reversus* (Fridericus Imp.) *Legatos Imperatoris Constantinopolitani obvios habuit, matrimonium Regiæ virginis sibi jam obligatæ offerentes. Quibus instantibus, Fridericum Conradi* (Imp.) *filium, nepotem suum Sueviæ Ducem, equestri baltheo more patrio cinxit; Amita juvenis Imperatrice Græcorum id postulante.* Sumta sunt hæc *ex Radevici lib. 1. c. 6.* qui ita prosequitur de legatis Græcis: *Indulgentiam & gratiam consequuti, Fridericum Ducem Sueviæ, filium Conradi Regis adhuc adolescentulum in præsentia sua gladio accingi & militem profiteri postulant, & impetrant. Amita siquidem sua Hirena Imperatrix Constantinopolitana, & antea & nunc multis & magnificis eundem puerum visitaverat largitionum muneribus, idque legatis in mandatis dedisse traditur, ne quando nisi completo negotio in Græciam reverterentur: astipulante sibi cum magno favore proprio marito, ob gratiam & amicitiam antiquam cum patre pueri rege Conrado habitam. Quæ Guntherus* quoque omnia expressit *Ligurini libro 6. a v. 156.*

*Sic tandem tuti* (legati) *vix tota mente recepta*
*A summo petiere viro (nec tarda voluntas*
*Affuit) ut princeps puerum præsentibus illis*
*Accingi gladio Fridericum rite juberet.*
*Hæc amitam pueri consortem Regis Irenen*
*Argolici, mandasse ac sæpe rogasse ferebant*
*Astipulante viro, propter consortia magni,*
*Quo pueri patrem fuerat complexus, amoris:*
*Donaque larga quidem tam nunc, quam sæpius ante*
*Miserat egregii puero regina decoris,*
*Mandatumque viris dederat, non ante reverti,*
*Quam dominæ possent ea gaudia visa referre.*

Habemus hic *morem profitendi sive auspicandi* militiam, solenni aliquo ritu, ut accipiendo *baltheo* militari, sive *gladio accincto.* Quod genus erat *equestris dignitatis*, unde *militem* facere idem hic est, quod *equitem* facere. *Sigonius de reg. Ital. lib. 12. p. 289.* de Friderico memorat, quod stratoris cujusdam insigne facinus honoraturus, *militari cingulo donatum eum equitem esse jusserit:* verum illum respondisse, *se plebejum esse, & in illo ordine manere malle.* Quare dona pro honore accepit. Nimirum *cinguli militaris symbolum*, seu *baltheus*, seu *gladius accinctus*, nobilitati etiam summæ addebat *decus equestre:* ex ignobilibus autem nobiles faciebat. Antiquissimi generis institutum hoc putant, qui explicant illud *Taciti, Germ. 13. Arma sumere non ante cuiquam moris, quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater vel propinquus scuto frameaque juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos: ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ.* Ritus alio tempore plures, alio pauciores adhibiti. Apparatissima describitur solennitas hujus *Tyrocinii equestris*, apud *Johannem de Beka in Episcopis Trajectensibus p. 77. & 78.*

quando

quando *Wilhelmus* Comes Hollandiæ, jam Cæſar nominatus, inſequenti ſæculo, *quia adhuc armiger erat, ſecundum ritum Chriſticolarum Imperatorum miles factus eſt* antequam coronaretur. Vocat hoc Hiſtoricus: *ſecundum Chriſtianam inſtitutionem miles eſt effectus, atque regulam militaris ordinis cum ſumma feſtivitate* (feſta ſolennitate) *profeſſus eſt.* Inſtaurata tum ejusmodi ſolennia, quæ pæne obſoleverant, Hiſtoricus ita oſtendit: *plerique milites moderno tempore parcimoniis intendentes, omiſſis ſumptuoſis ſolennitatibus ſaltem per colaphum militarem dignitatem accipiunt.* Sequitur deinde, *res divina in templo facta, Tyro a Rege Bohemiæ ad Cardinalem deductus: qui ei regulam militaris ordinis* graviter *explicavit*, in quam *jurejurando* adactus, *ingentem ictum in collum* a Rege Bohemiæ accepit, additis *monitis* tempori & negotio congruentibus. Denique inter *concentum buccinarum, haſtiludium* novus tyro cum Regis Bohemiæ filio commiſit, & *gladiis micantibus* per imaginem pugnæ *tyrocinium* explevit. Acceſſerunt convivia, & alia ſolennia. *Tyrocinii* hæc erat ſolennitas, & ad ritum auſpicandi militiam pertinebat. Confer omnino *Edictum Conradini ad Panormitanos* apud *Goldaſtum tom. 3. Conſtitut.* placuit tamen ad imitationem etiam *Ordinibus Equeſtribus ad ſingularem militiam & regulam, peculiari ſub titulo & formula inſtitutis.* v. *Chriſtian. de Oſterhauſen in Ord. Johannit. Tit. 2.*

## XIII.

### *Commoda fiſci & Regalia vindicata a Friderico I.*

In *Legibus deditionis Mediolanenſis* refertur, in *forma* quidem apud *Radevicum lib. 1. c. 41. Regalia, veluti monetam, telonium, pedaticum, portus, comitatus, & alia ſimilia, ſi qua ſunt, commune Mediolanenſium dimittet, & ultra ſe non intromittet, & ſi quis per violentiam hæc obtinere voluerit, & juſtitiam inde coram domino Imperatore vel nuntio ejus facere noluerit, Mediolanenſes vindictam de eo pro ſua poſſibilitate ſument in perſona & poſſeſſione, & regalia Domino Imperatori reſtituent ſine fraude & malo ingenio.* *Æneas* noſter ſenſum hunc ita extulit pag. XXII. (col. 65. C.) *Mediolanenſes deinceps monetam ne cudant, pedagia, telonia, portoriaque non exigant: quin hæc & alia, quæ vocant regalia, Imperatori dimittant: qui ea occuparit, Mediolanenſes in eum vindictam ſtatuant.* Guntheri *in octavo Ligurini v. 235.* hæc eſt paraphraſis:

*Navigium, portus, vectigal, ſive monetam,*
*Vel quæcunque ſibi defendit commoda fiſcus,*
*Nec rapient Ligures, nec ſi quis forte nefando*
*Invaſu rapuiſſe volet, patientur inultum.*

*Sigonius de regn. Ital. lib. 12. pag. 300.* ita expreſſit: *Regalia, ut monetam, teloneum, pedaticum, portus, comitatus, commune Mediolanenſium dimitteret, neque ſibi poſthac adſciſceret.*

*Si quis per vim retinere vellet, Mediolanenſes omni ope vindicarent.* Eſt hæc vere Imperatoria proviſio & prudentia, fiſco, cujus nervis tota Imperii moles movetur, vindicare ſua commoda. Quæ Fridericus Barbaroſſa, etiam peculiari conſtitutione, Feudalibus Placitis inſerta, (1) deſcribenda & ſignanda cenſuit. Ea enim eſt pleriſque inſita potentiæ cupido, ut onera, etiam quæ cum magno ſuo lucro ſuſtinent, declinare, imperantibus omnia obſequii pignora & ſymbola paulatim vel denegare, vel ſubripere cupiant. Præſertim ſi jam gradum ceperunt, unde aliis queant ſupereminere. Etiam Galliam labefactaverat, & Regiam potentiam tantum non diſſipaverat hæc conſuetudo: ſed bona quadam illius Regni fortuna factum eſt, ut qui vellet ſcribere, *qua arte Duces & Comites Galliæ præfecturas in ditiones hæreditarias commutarint, Regaliaque ſibi adſcripſerint* (2); is poſſet etiam alterum caput addere, *quibus demum conſiliis in ordinem redacti, & antiquum regni faſtigium inſtauratum ſit.* Aliud fuit Imperatorum fatum: quos immenſa munificentia non ſivit metuere, ne alienata viderentur, quæ feudali vinculo Imperatoris oſſibus cohærent. Sed in his eo ventum, ut nec narratio, tantum abeſt, ut querela, locum habeat: Id ſolum in transitu mirari fas fuerit, qua ſit ratione factum, ut Imperatoribus, tot feuda Imperialia, minora præſertim deceſſerint & quaſi memoriis rerum exciderint, dum aperta non petuntur, ſed uſurpantur blandimento improbæ ſpei in jus tandem profecturæ. Sed manum de tabula.

In his legibus deditionis, paulo ante, pro *Legatis Imperatoris*, lege, ut eſt in MSc. *Legati Imperatoris.*

## XIV.

### *Mors Friderici I. Imp. & Elogium.*

P. XXVII. (col. 78. C.) Imperatorem hunc maximum, in Paſſagio res, more ſuo, id eſt, præclariſſime gerentem obſcura & ignobilis mors, abluentem aqua corpus abſtulit. Fluvium Armeniæ *Serram* vocat *Vrſpergenſis:* ex quo plerique retinuere, *Jacobus de Vitriaco* fluvium ab incolis *Ferreum* vocari ait. *Otto de S. Blaſio in appendice ad Chronic. Friſing.* ita: *Cæſar Fridericus Tarſum tendens, amne quodam parte exercitus transpoſita refrigerandi gratia (æſtus quippe erat nimius) ingreſſus (nandi enim peritus erat) ſubitaneo frigore naturalem calorem extinguente deficiens ſubmergitur, miſerabili morte Imperator terra marique potens finem vitæ ſortitur. Fertur a quibuſdam, hoc in Cidno amne accidiſſe, in quo & Alexander Magnus ſimili quidem modo, ſed non morte periclitatus. Nam Cidnus Tarſo contiguus eſt.* 1190. Hanc ſententiam de Cydno ſequitur *Aeneas noſter*, & cum eo doctiſſimus quiſque.

Ceterum in laudando hoc viro conſenſere, & coævi ſcriptores *Otto Friſingenſis & Radevicus;* & horum imitator *Guntherus*, cujus celeberrimum

(1) *Quæ ſint regal. 2. F. 56.*
(2) *Anton. Dad. Alteſerra de Ducib. & Com. Galliæ. proœm.*

rimum opus extat, *Ligurini* titulo; eo quod res adverſus Ligures geſtas potiſſimum complectatur. Quam appellationem de patria viri complures acceperunt. Vt oſtendunt & arguunt hunc errorem primores pagellæ *Editionis Rittershuſianæ*. Sunt illi ſcriptores omnium judicio graves, candidi, veri apprime ſtudioſi. *Æneas* quoque *Sylvius* p. XXIV. XXV. XXVI. (col. 70. B.) non aliter quædam in eo reprehendit, quam ut excuſare eadem opera videatur. Nam, qui partium ſtudiis dediti, non meminerunt, quæ inter diſſidia Illiacos intra muros peccantur & extra, de Hiſtorica rerum fide parum videntur eſſe ſoliciti, & alia potius, quaſi arcana, conſilia ſequuntur. *Elogium* plenum & in ſummam collectum habet *Radevicus lib. 2. c. 76. Guntherus* de eligendi imperatoris laudibus agens, id muneris uſurpat *lib. 1. Ligurini* v. 282. &c. *Æneæ* deſcriptioni hic conſignatæ, addantur, quæ ſupra poſuit, cum electionem Imperatoris celebravit p. XVIII. & p. XIX. (col. 56. A. B.). *Vrſpergenſis* ita memoriam ejus honeſtat: *Fuit Fridericus Imperator Vir Clariſſimus, bellorum omnium triumphator, animoſus, manſuetus, familiaris, quibuslibet victis clementiſſimus, oblivioſus injuriæ, ſtatura mediocris, corpore rufus, ætate longævus: & qui corporis ſtrenuitate non erat inferior quolibet ducatu regiminis.* Hieron. *Gebuilerus commentar. MSc. lib. 3. c. 22. in Friderico tum animi tum corporis egregiæ virtutes viguerunt. Nec defuerunt illi ſtatura procera, robur & corporiæ agilitas animuſque militaris diſciplinæ ac gloriæ appetens & periculorum contemtor, quem in agendis rebus, tum prudentia, tum ſumma felicitas haud quaquam deſtituebant. Vnde plurimis triumphis nobilitatur, quos cum Otto Friſingius diligentiſſime conſcripſerit, illos hoc loci duximus præter-eundos.*

## XV.

### *Turbæ Interregni ſub Philippo & Ottone regni æmulis.*

P. XXVIII. Interregnum hoc vocant eruditi ſcriptores, diſtracto inter duorum arma & bella civilia perpetua Imperio, per X. aut amplius annos. Iliada malorum hinc pullulaſcentium nemo ſatis deſcripſit diſtinxitve: quaſi inter confuſa negotia, etiam calami ſcribentium debuerint fluctuare. Facundus & in illa brevitate ſua copioſus eſt hic *Æneas*, Pag. XXVIII. (col. 81. C.) cui addendi ſunt, inprimis quidem *Conradus a Liechtenau Abbas Vrſpergenſis*, deinde *Arnoldus Lubecenſis lib. 6. & 7. Godfridus Monachus* in opere Freheri. *Lehman. Chron. Spir. lib. 5. c. 70. uſque ad 78. Cruſ. Annal. Suev. lib. 12. part. 2. Apologia Ottonis IV. Meibomii*, non tam de Imperii ſtatu exhibendo, quam de Imperatore Saxone purgando laborat. Æneas nihil, quod in partem malorum venit, omiſit: *Pontificum iras & ſtudia, inteſtina in Germania diſſidia, factiones, transfugia, bella, externa auxilia & ſubſidia, parricidium, novas electiones, nihil compoſitum, aut quamvis certo jam Cæſare, quietum.* Odiorum acerbitatem inter partes *Guelforum Gibellinorumque, inter ſe deſævientium*, renovatis facinoribus auctam oſtendit. De externis: *Juvabat*, inquit, *Ottonem*

*Johannes Rex Angliæ, cujus ex ſorore nepos erat. Friderico*, qui contra Ottonem jam aſſumtus erat, ſuppetias attulit Rex Franciæ, *Philippus:* qui & Philippo Imperatori auxilia miſerat. Hoc enim præceſſit. Sequitur ἐπίκρισις Æneæ: *nam ex his Regibus, qui uno amico eſt uſus, ei alterius odium expectandum fuit.* Et Philippum quidem primo *Richardus I.* Rex Angliæ contra Ottonem juverat. Nec diſceſſit ab his conſiliis ſucceſſor Richardi *Johannes*, dum potuit; ſecutiſque temporibus colliſi diſcordiis Galli Anglique contraria fere conſilia, & partes diverſas in publicis ſequebantur. Sicut increſcentibus Hiſpanorum opibus, aliud par velut in pugna perpetua conſiliorum actionumque publice compoſitum eſt: *Galli & Hiſpani.* Quorum ſtudiis odiiſque orbis Europæus diverſe trahi conſuevit.

## XVI.

### *De Friderico II. Imp. judicia.*

Res hujus Imperatoris in luculentam ſummam redegit *Æneas:* a p. XXVII. uſque ad XXXIII. (col. 82. C.) ſed paulo durius de illo judicavit. Moderatius ſenſit ſcripſitque *Vrſpergenſis* eorum temporum æqualis. Si quis autem ſepoſito omni partium ſtudio cogitet, acerbiſſima diſſidia Pontificum & Imperatorum, quæ nunquam modicis, ſed per hæc tempora exitialibus detrimentis Imperium & Eccleſiam vexaverunt, tum ex his natas factiones gentium & provinciarum, certaminum armatorum, contemta juris diſceptatione, libidinem & licentiam; facile reperiet viam, qua ſit recte judicaturo incedendum. Dum enim omnia per contentiones geruntur, non poſſunt eſſe liquida, quæ judicantibus in mentem aut calamum veniunt. Quod de Guelphis & Gibellinis jam ſupra intelligi potuit. Ea autem rabies adeo iterum his temporibus recruduit, ut aliqui, cum de ea loquuntur non aliud magis tempus ſibi reſpiciendum credant, quod ex ipſo etiam *Vrſpergenſi* apparet. Exacerbavit eum perpetua & conſtans Italicorum rebellio, & nunquam ſervata fides. Denique is fuit animorum in Italia & alibi habitus, ut nec virtutes, nec vitia, nec potentiam, nec infirmitatem Imperantium ferre poſſent. Strenuos Imperatores laceſſebant: invalidos conculcabant. Quo factum eſt, ut hoc ipſo ſæculo prope ad interitum Imperii veniretur. Illi affectus hominum immigrant in libros, ne tacite quidem. Ita *Innocentius Pontifex* ultro veluti in arenam deſcendit, & *Petri de Vineis Epiſtolis*, unde hujus Imperatoris res potiſſimum repetendæ ſunt, *apologeticos* oppoſuit (1). Iniquis Italorum judiciis repellendis idoneus etiam auctor eſſe poteſt *Pandulphus Collenutius*, hiſtorici officio & induſtria candidius uti ſolitus. Jam, quantum eſt in *Cardinalis Nicolai Cuſani* judicio, qui Fridericum hunc ait, *poſt Carolum M. potentiſſimum ſapientiſſimum & reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimum Principem fuiſſe?* Addantur Apologetica *Ciſneri*, ſeu *Vita Friderici II.* auctore *Nicolao Ciſnero.*

XVII.

(1) *v. Cuſpin. Frid. II. extr.*

## XVII.

### *Hungaria a Tartaris deſtructa.*

Non poſſumus prætermittere hoc loco, quin errorem *Æneæ* noſtri, in tranſitu indicemus: quando invidiam hujus excidii Hungarici ad Fridericum II. Imp. transferre videtur p. XXXII. f. & XXXIII. (col. 95. B.). Verba hæc ſunt, dum reprehendenda colligit in Friderico: *moribus occulte lubricis, neque religionis amator; quippe qui Eccleſiam perſecutus eſt, & Tartaros Vngaros* (interpone *in* Vng.) *advocaſſe creditus; quoniam Bela Rex Vngariæ parere ſibi recuſaret. Nam eo imperante Tartari, qui & Scythæ dici poſſunt, Vngariam ingreſſi fratrem Regis Colomannum occiderunt, & in Poloniam tranſeuntes Henricum Ducem Sleſiæ trucidarunt; ambaſque provincias ita attriverunt, ut in hunc uſque diem ejus calamitatis veſtigia extent.* Annus huic immaniſſimæ cladi ſive potius excidio Hungariæ tribuitur ab aliis 1241. ab aliis 1242. manſeruntque cruentiſſimæ beſtiæ per totum triennium in ruinis exciſæ Hungariæ. Igitur de re quidem conſtat, debetque hoc exemplum Tartaricæ vaſtationis, nunquam non ſine nota demonſtrationis & obſervationis proponi. Cum præſertim obſcœni illi canes, hactenus etiam eas mutationes regnis quibuſdam invexerint, quas neque ſuſpicatus eſſet ante eventum quiſquam, & poſt eventum non niſi levi auditu tranſmittunt, qui negare non poſſunt. Cum tamen, ut ſtudioſe legatur & inſpectetur illa hiſtoria, omnium interſit; adeatur *Bonfinius Decad. 2. lib. 8. & Thomæ Archidiaconi Hiſtoria Salonitana cap. 37. in Johannis Lucii Dalmatia & Croatia.*

Sed quod Fridericus advocaverit Tartaros in Vngaros, id vero temere & falſo jactatum, creditumque eſt. *Primo* enim *cauſa*, quæ hic adfertur (quod Rex Bela parere Imperatori recuſarit) falſa eſt. De Friderico I. quidem *Otto Friſingenſis lib. 2. c. 6.* memorat, *quod Vngaris bellum indicere, ipſoſque ad monarchiæ apicem reducere voluerit. Sed* (ita pergit) *cum aſſenſum ſuper hoc Principum quibuſdam de cauſis latentibus, habere non poſſet, ad effectum tunc perducere ea, quæ volvebat mente, non valens, ad opportuniora tempora diſtulit.* De Friderico II. id non legitur. Imo *Rex* Vngariæ Bela *regnum ejus ditioni ſubjecit, dummodo defenſionis ſuæ clypeo protegere vellet.* Ita teſtatur ipſe *Imperator in epiſtola ad Senatum Romanum.* Quæ eſt in *libro I. Petri de Vineis 30.* Igitur libentiſſime tuliſſet auxilium Regi petenti cum præſertim non ad *defenſionem* modo, ſed *augmentum* Romani Imperii talis expeditio pertineret. Sed obſtitit optimæ voluntati ineluctabilis neceſſitas, cujus tricis a Pontifice nexis in Italia attinebatur. Sicut in *Epiſtola præcedente ad ipſum Regem Hungariæ* μάλα συμπαθῶς dequeritur: & auxilia, filii Conradi ductu interim mittere deſtinat. Vide Petr. de Vin. lib. 1. c. 29. Sed, qui novit res ejus temporis, facile intelligit, cur non potuerint auxilia ſubmitti. Et quia *Bonfinius* diſertis verbis notat, l. d. p. 101. Vngaros ſcriptores confundere *Friderici II. Auſtriæ Ducis*, qui Bellicoſus audiit, & Friderici

rici II. Imperatoris nomen, crederem ex tali errore fluxiſſe rumorem vanum. De illo enim *Friderico Duce*, in illa clade, querelam movet *Rogerius de Deſtructione Hungariæ per Tartaros c. 32. & 33. in rer. Hungar. Script.* Sed *Aventinus*, diligens indagator veri, Romæ, ubi omnia in invidiam Friderici confingi ſolebant, *natam hanc fabulam* annotat, ipſique Friderico teſtimonium præbet, quod ad Tartaricam expeditionem ſerio ſe, ut primum licuit, comparaverit; eaque fama, Tartaros, ut Hungaria excederent, adegerit, *lib. 7. Hiſtor.*

## XVIII.

### *Conradini Parentes, mors acerba, mortis vindicta.*

*Conradinus* ſeu Conradus (Itali enim hoc nomen ita inflexerant) revera fuit filius *Conradi IV.* Friderici II. Imp. Filii & *Elizabethæ* Ottonis Ducis Bavariæ Filiæ. Sicuti *Vrſpergenſis* & Germanici ſcriptores alii conſtanter tradunt. Qua in re defendit *Cuſpinianum Wolfgangus Hungerus in eruditis Notis. Pag. 637. &c.* Itali, *Blondus*, *Collenutius* & alii *Henrici* filium faciunt: quos ſequitur *Æneas* noſter p. XXXIII. & XXXVI. (col. 97. C. 104. B.) *Conradini Pater*, inquit, *Henricus fuit, ex Conſtantia Regis Caſtellæ ſorore natus, quem Fridericus, ut ante diximus, in Apulia necari juſſit.* Poſtea iterum; *Conradinus ejus Henrici filius, quem necatum a Patre diximus &c.* Nos jam ſupra Germanos ſecuti ab hanc ſententia diſceſſimus. Rationibus *Hungeri* poteſt etiam accedere *Epiſtola* ipſius *Conradini ad Principes* Imperii apud *Goldaſtum*, Conſtitut. tom. vn. pag. 309. ubi ita loquitur: *Cum enim magnificus Rex Conradus, divæ memoriæ pater noſter, teſtamento ſolenniter condito, quodam tempore mortis ſuæ nos tenellum infantilum* &c. Ita *Leonardus Aretinus* diligens ſcriptor lib. 2. Hiſt. Florent. p. 23. *Succeſſorem ſibi Corradus Corradinum filium tunc admodum puerum, ſub tutela matris in Germania degentem teſtamento reliquit.* Et ſic ſemper, *Corradinum Corradi filium* vocat. Addatur *Nicolaus Ciſnerus in oratione de Conradino* habita.

Scenam Tragici exitus, & *Æneas* quoque noſter, diligenter exhibuit, & alii graves Scriptores non perfunctorie oſtenderunt. In quibus *Gerardus de Roo*, *lib. 1. Pandolphum Collenutium*, ut præcipuum laudat, merito. Eſt enim hujus *Hiſtoria Neapolitana*, rara libertate & gravitate judicii, ad exemplum magnorum, & veterum Hiſtoricorum conſcripta. Huic addendus eſt *Sabellicus*, *Ennead. nonæ lib. 7.* verboſam hiſtoriam orſus. *Vrſpergenſi* accedunt alii, e quibus omnibus contexuit ſuam orationem *Ciſnerus*. Carolum Andegavenſem, qui facto Pontificis, non jure Siciliæ regnum obtinebat, omnes crudelitatis ob ſupplicium de Conradino ſumtum accuſant, & partim varios prætextus juſtitiæ, ſub quibus ipſa juſtitia maxime vitiari ſolet, arguunt. Quam inanis eſt illa imago & forma veri judicii, cum omnium ex toto regno civitatum Syndici, ut de ipſorum ſen-

ten-

tentia judicarentur captivi, convocati sunt? quasi scilicet unquam aliud responsuri sint, qui a Dominantibus in propria causa consuluntur, iis subditi, aut obnoxii, quam id, quod sciunt dominantes velle. Jam, quam manifesta fuit cavillatio juris, cum auctoritas Augustini in patrocinium hujus sævitiæ turpissime detorta est: qui, cum vim militarem intra actus bellicos coerceat, & vi in actu bellico utentibus violentiam reddi dicat, e. g. quando resistentes aut vim inferentes in acie & pugnis interficiuntur: captis autem misericordiam deberi ultro statuat, præsertim si nulla perturbatio pacis metuenda sit; contra sanam hermeneuticen & omnem civilis & Christianæ philosophiæ rationem, formatus est casus, quasi ex mente Augustini tum demum & solum misericordiæ locus sit, ubi nulla pacis perturbatio metuenda sit. Quod etiamsi acciperetur, sicut accipi verba Augustini non sinunt, quam absurdum est metum perturbandæ pacis fingere, ubi capti in potestate sunt, & a nocendo in posterum certis & moraliter extra periculum positis rationibus arceri possunt? Denique quod jus permittit, bello indubie injusto captos occidere? Causa sane Conradini totius orbis judicio justissima erat, Caroli injustissima. Qui enim armis regnum, sibi optimo jure debitum, ab invasore recuperare conatur, in actu maxime licito versatur. In obscuris forte dubitationi locus est: hic justi injustique tam clarum erat discrimen, ut in dubium nisi malitiose vocari non posset. Ludibrium est, non purgatio, quod carnifex, qui nobilissimum sanguinem hausit, ab alio mox carnifice interfectus est. De Ecclesiæ hostibus loquuntur hic, qui cæco partium studio omnia Pontificum honesta & inhonesta laudare solent.

Quare & rursus maximus & incredibilis consensus non eorum modo, qui tum vixerunt, hominum, sed in hunc usque diem gentium nationumque, & in his omnium cordatorum animadvertitur: quod credunt divinam vindictam non frustra a Conradino morituro imploratam, sed toti mundo testatissimam exinde fuisse. *Æneas p. XXXVIII. (col. 112. A.)* graviter: *Neque Caroli impunita crudelitas mansit: vix enim post Conradini cædem anni tredecim præterierant, cum non ferentes Gallicam insolentiam Siculi, correptis armis, omnes per insulam Gallos in unis vesperis trucidarunt, & insula in potestatem Petri Arragonensis facta est. Nec multo post Carolus Secundus, filius hujus navali prælio captus, in Cathaloniam deductus est. Et, ne veteribus insistamus, ætate nostra universum ad Arragonenses ipsorumque fortunatissimum & sapientia clarissimum Alfonsum regem defecit: tanquam Deo exequi cura præcipua fuerit. Alii*, singillatim divinam Nemesin in Pontifice Clemente IV. in Carolo Rege, in Ottocaro Bohemo, ad longam denique posteritatem observant.

*Volaterrani* calumniam, de adulterio Conradini, vel illud arguat, quod *Fazellus*, diligens inprimis scriptor, *rer. Sic. doc. post. lib. 8. p. 447.* Manfredi id facinus & facinoris eventum accurate denarrat, & ad verum auctorem refert.

Ceterum hac morte Gibellini in Italia tanquam letifero vulnere proſtrati ſunt, & Dominatio Sacra, quæ religionis obtentu omnem reipublicæ ordinem ab ipſo Deo inſtitutum, per ea tempora perturbabat, in immenſum evaluit.

## XIX.

### *Legationes Cæſaris in cauſa matrimonii contrahendi.*

Finita longiſſima Fridericorum hiſtoria, Aeneas Imperatoris Friderici III. res orditur, (1) & primo quidem de *Conjuge quæſita*, tum de *itinere Italico*, quo & matrimonium conſummatum, & *Coronatio Romana* perfecta eſt.

In diſpicienda conditione matrimonii elegans & Cæſare digna cogitatio, optare virginem, omnibus naturæ, virtutis fortunæque dotibus in toto orbe longe lateque effulgentem: in qua Parentes, neceſſitudines, affinitates, omnia ad commendationem ſumma eſſent. Miſſa eſt igitur primum *Legatio*, *videndi & explorandi cauſa*. Quanquam enim in ſumma fortuna nec pueritia, nec adoleſcentia liberorum Regiorum, præſertim tam eminente indole præditorum latere queat, Fridericus tamen in Luſitaniam ablegandos cenſuit viros præſtantes, quibus tanquam oculis uteretur, *Georgium Volkeſtorfium Baronem & Udalricum Ridrer Jurisconſultum*, (2) qui officioſis apud regem Alfonſum, Eduardi filium, verbis fungerentur, eademque opera Sororis ejus natu majoris Leonoræ formam & mores coram cognoſcerent. Qui cum ea, quæ fama prædicaverat, etiam ſuperari præſentia virginis retuliſſent, ſcriptæ ſunt demum a Cæſare literæ ad Alfonſum Regem Luſitaniæ, in hanc ſententiam: *Si Sororem Cæſari vellet in matrimonium tradere, Legatos ad Regem Aragonum ejus Avunculum, qui apud Neapolim reſidebat, cum poteſtate mitteret, idemque facturum Imperatorem: ſicque conjugium concludi poſſe.* Rex cognita Sororis voluntate, Cæſaris matrimonium Delphino Franciæ præoptantis, *Joannem Vernandi Jurisconſultum Neapolim navigare jubet, qui & Alfonſum Aragoniæ & Siciliæ Regem conveniat, &, quod ei placeat de matrimonio, faciat.*

Ex re & voto Cæſaris hoc erat, hunc rei tantæ auctorem fieri. Alfonſum enim hunc Aragoniæ & Siciliæ regem, omnium, qui tunc erant Principum decus & venerabatur Cæſar, & eximia charitate diligebat: imo congrediendi cum eo, & de rebus ſummis colloquendi cupidiſſimus erat. Cui deſiderio hæc de matrimonio negotiatio opportune occaſionem videbatur allatura. Nec alia mens ipſius Alfonſi erat. Præſtantes enim Heroum naturas occultus quidam mutuæ benevolentiæ genius ſibi invicem conciliabat. Conſtitit autem inter omnes, Fridericum Cæſarem, & Alfonſum hunc, non habuiſſe parem inter Principes, & qui æque totius Europæ, atque adeo totius Chriſtianitatis commoda & jura, cum contrariis intelligeret, ſaperet, complecteretur. Miſſa eſt igitur ad Alfonſum Aragonium altera legatio,

*Aeneas*

(1) P. XXXVIII. & ſeqq. (col. 168. C.)
(2) P. XXXIX. (col. 168. C.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Aeneas Sylvius*, *Georgius Volkeſtorfius* ante laudatus, & *Michael Fulendorfius* Secretarius: qui rem de matrimonio Leonoræ confecerunt. *Dotis nomine nummorum ſexaginta millia promiſſa.* De hac legatione, hic quidem abunde *Aeneas*, ſed & alibi narrat *lib. 2. commentar. in Panormit. de dict. & fact. Alphonſi R. p. 478.* *Ad hæc ſponſalia* (inquit) *contrahenda nos huc ex Auſtria legati Cæſaris venimus, remque abſolvimus, quamvis collegæ noſtri Georgius de Populoſa* (Volckestorff) *& Michael de Plenavilla* (Fullendorff, Pfullendorff) *adverſi eſſent, qui dotis nomine minus promitti, quam par eſſet, arbitrabantur.* Aeneas ſcilicet non ignarus Imperatoris ingenii, de pecunia tricas non eſſe nectendas, ſatis animadvertebat.

Hac re confecta, miſſa eſt *alia Legatio* in Luſitaniam, (1) quæ matrimonium inter Sponſos abſentes, more Principibus uſitato, tradito annulo contraheret: nempe *Nicolaus Longimanus a Falckenſteino* & *Jacobus Mozius*, qui cum Sponſa poſtea in Italiam advecti ſunt. Duo erant hi Sacerdotes, quorum *Mozius in oratione ad Regem Luſitaniæ Alfonſum* de ſua legatione ita agit: *Novit Tua Majeſtas, antequam loquar, quæ ſit cauſa noſtri adventus, apud Neapolim quæ geſta ſunt inter tuos & Cæſareos oratores. Jam diu tibi relatum eſt ex his, quæ illic concluſa ſunt. Hoc ſupererat, ut ad contrahendum matrimonium per verba de præſenti, cum præfata ſorore tua ſuos procuratores Cæſar tranſmitteret. His ergo ſatisfacturus conventionibus & pactis, ad rem hanc nos (quamvis minimos) miſit.* Et mox in alia oratione ad ipſam Sponſam Eleonoram, cui annulum pronubum cum oratoria explicatione porrigebat, ita agit: *Dixi quæ ſum facturus, ſi accipis glorioſiſſimum dominum meum Dominum Fredericum Romanorum Regem, virum tuum legitimum ex ordine rituque ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ. Quinimo quem jam te dicis accipere, unumque hunc optare atque amplecti mente. Sic dic: Ego infantula Domina Leonora recipio Fredericum Regem Romanorum, in meum maritum bonum & legitimum, ſicut mandat ſancta Eccleſia Romana in perſona tui Magiſtri Jacob Motz, ſui ſufficientis procuratoris ad hunc actum. Et ego prænominatus M. Jacob Motz, nomine præfati Frederici Regis Romanorum, tanquam procurator ejus ad hunc actum legitime conſtitutus, recipio te infantiſſam Dominam Leonoram, in ſuam legitimam vxorem, ſicut mandat ſacra Eccleſia Romana, atque te hoc annulo ſubarrabo, ad laudem & gloriam omnipotentis DEI, & ad felicem utriusque partis ſtatum & optimam conſolationem: ut duo in carne una longo tempore ſimul vivatis, generetisque filios & filias, qui DEO & hominibus ſint accepti, vobisque ſenibus ſupervivant. Repleantur & benedictionibus, omnium bene viventium, fruanturque pace æterna. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Quis autem caſus in itinere Legatis moram attulerit, infra

(1) Pag. XLI. & LXV. (col. 176. C.) Ger. de Roo. hiſt. Auſtr. lib. 5. p. 253. apud Freher. Script. Germ. tom. 2.

fra Aeneas narrat: Poſt peracta ſolennia hujus Legationis, Sponſæ iter in Italiam in ſerie hiſtoriæ ſequitur: in cujus comitatu Legati Cæſaris manſerunt.

Aeneas interim in altero negotio Italico non ſegniter occupatus fuit.

## XX.

### *Bernardini Senenſis elogium.*

In Jubileo, anno 1450. celebrato Nicolaus V. Pontifex Bernardum Senenſem inter Sanctos ſolenni Cerimonia retulit. Hac occaſione *Aeneas*, de eo refert aliqua pag. XL. & XLI. (col. 173. C.) Quibus addenda ſunt, quæ alibi habet. In *Europa c. 58.* inter laudes Nicolai Pontificis enumerat: quod *Bernardinum Senenſem ordinis minorum profeſſorum, qui paulo ante obierat, in numerum ſanctorum retulit.* In *eodem opere c. 64.* de Vrbe Aquila agens, *Divus Bernardinus Senenſis*, inquit, *poſtquam Italiam omnem Chriſti nomen prædicando peragraſſet, vitæ curſum peregit, eo in loco ſepultus clare miraculis affirmatur. Fuit autem Bernardino clara inter Senenſes origo, nec vera eſt aſſertio eorum, qui patriam illi Maſſam fuiſſe tradunt, quamvis puritiæ nonnulla rudimenta peregerit. Ceterum pater ac majores ſui longa ſerie inter nobiles Senenſes habiti ſunt. Vbi & ipſe natus, & majori ex parte educatus, cum adoleviſſet, juri Pontificio addiſcendo operam dedit. Sed cum ſepultis parentibus fallaces hujus mundi blanditias & inania ejus eſſe promiſſa animadvertiſſet, diſtributa inter Chriſti pauperes ſubſtantia, divi Franciſci religionem ingreſſus, traditam ſibi regulam exactiſſime obſervavit: declinansque majores conventus, eorum ductor & magiſter effectus eſt, qui fratres obſervantes appellantur. Maximum autem ei ſtudium in edocendis populis fuit. Qui cum eſſet facundia copioſus, & doctrina inſignis; incredibili omnium attentione audiebatur, & quaſi alter Paulus eſſet, vas electionis, in admiratione & reverentia habitus. Tres eum populi ſibi pontificem elegerunt, Vrbinates, Ferrarienſes, Senenſes. Sed non fuit ei conſilium, linguam quæ toti poſſet Italiæ conſulere, unam intra urbem concludere.* Iterum ejus meminit *in Deſcript. German. p. 108. Audivimus ſanctum Bernardinum prædicantem, cujus fama hodie redolet, ex animo & magiſtro ſuo divo Franciſco ſimilem. Is tamen cum aliquando de hominum cupiditatibus diſſereret, & in eos incidiſſet, qui Epiſcopatum deſiderant; ego, inquit, neque epiſcopatum neque Cardinalatum cupio. At neque ſummum pontificatum, niſi fortaſſe imperium ſimul orbis cum papatu conſequi poſſem, tunc enim poſſem reip. Chriſtianæ optime conſulere, leges ſtatuens bonas, & legum obſervantiam inducens. At Papatus ſine imperio nihil mihi niſi moleſtia fuerit, cum male viventes vellem quidem ſed non poſſem coercere. Hæc vir ſanctus jocabundus ajebat. Erat enim feſtivus & urbanus homo, & tamen in joco veritatem non prætermittebat, & altis ſenſibus utebatur.* Alibi, *de dict. & fact. Alph. lib. 2. p. 482. Bernardinum Senenſem*, ait, *quem cælicolarum numero Nicolaus Quintus Pontifex Maximus adſcripſit, inter concionandum fabulam hujuſcemodi referentem audivimus. Accepit ex villico matrona quædam nobilis recentia*

*cera-*

*ceraſa, quæ in thalamum recluſa ma-*
*jori ex parte cum oſſibus ore avido at-*
*que hianti manipulatim voravit: co-*
*ram viro deine allatis, quæ reſidua fue-*
*rant, ceraſis, prius quam unum come-*
*deret, terque quaterque momordit:*
*quærens ex villico, quomodo ceraſa*
*ruri ederentur? cui villicus, qui per*
*rimulam vorantem fœminam contem-*
*platus eſſet, quo tu, inquit, mulier*
*paulo antea ſola in thalamo. Erubuit*
*mulier. Bernardinus eos bene vivere,*
*ajebat, qui quæcunque agerent, aper-*
*ta diis atque hominibus eſſe putarent.*
Deſcriptioni diligenti tanti viri, qua
Aeneas Jubilei memoriam, & hujus
operis argumentum ornare voluit,
adjungenda videbantur, quæ alio lo-
co de eodem Bernardino retulerat.

## XXI.

### *Joannis Capiſtrani Elogium.*

Magnum & rari exempli virum, omnium confeſſione, *Aeneas* non laudibus modo enarratis extollit, pag. XLI. XLII. XLIII. (col. 177. A.) ſed adverſus criminatores, rationibus æquitate & prudentia plenis defendit. Exaudiri tamen & laudes illas & apologiam voluit, cum exceptione unius facti, in quo ambitionis manifeſtus fuerit Capiſtranus. Refert ipſe Aeneas bis in *Europa c. 8.* & in *Hiſtoria Bohemica c. 65.* Priore loco, victoriæ contra Turcas Belgradum ſive Albam Græcam acerrime oppugnantes partæ, *tres Joannes*, ait, *habitos autores, Legatum Cardinalem, cujus auſpiciis res geſta ſit, Huniadem & Capiſtranum, qui prælio interfuere. Verum neque Capiſtranus Huniadis, neque item Capiſtrani Huniades mentionem fecere, in eis literis, quas a DEO obtenta victoria, ſive ad Romanum Pontificem, ſive ad amicos ſcripſere: per ſuum quisque miniſterium DEum dediſſe Chriſtianis victoriam affirmavit. Avariſſima honoris humana mens facilius regnum & opes quam gloriam partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere, gloriam vero ſpernere non potuit.* Loco poſterius citato, de eadem re ita ſcribit: *Huniades & Capiſtranus huic bello interfuere, uterque rem geſtam ſcripſit, neque alterius mentionem fecit, alteruter ſolidam ſibi rei geſtæ laudem uſurpavit. Ingens dulcedo gloriæ facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur. Spreverat Capiſtranus ſeculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, libidinem ſubegerat: contemnere gloriam non potuit. Qui ſummo Pontifici bellum atque exitum belli deſcribens, nulla Huniadis, nulla Cardinalis facta mentione, totum ſuum eſſe dixit, quod geſtum erat, quamvis DEum inprimis victoriæ confeſſus fuerit auctorem. Nemo eſt tam ſanctus, qui dulcedine gloriæ non capiatur. Facilius regna viri excellentes, quam gloriam contemnunt.* Quæ etiam *Comes Fuggerus* repetit: *Specul. Honor. Auſtr. lib. 5. c. 10. Ut* autem *Capiſtranus in Germaniam mitteretur, exactam tota Germania Franciſci regulam denuo plantaturus*, Aeneas apud Nicolaum Pontificem egerat, ſicuti non *hic* modo fatetur; Sed *Commentarii* quoque *Pii* referunt, *lib. 1. p. 17.*

## XXII.

### *Bohemi ad tempus compoſiti.*

Bohemorum tumeſcentes animos Legatione miſſa compoſuit Fridericus Imperator: in qua *Aeneæ* opera, ut ſemper, magni fuit, pag. XLIII. (col. 181. A.) Orationem, quam habuit rei temporique convenientiſſimam & proceribus Bohemis graviſſimam, ipſe conſignatam reliquit, in *Hiſtoria Bohemica cap. 58. p. 201. & ſeq.* Inde repetit *Gerardus de Roo. Hiſtor. Auſtr. lib. 5.* & *Fuggerus in Specul. Hon. Auſtr. lib. 5. cap. 6. p. 570.* *Dubravius* autem plane omiſit hanc Legationem. *p. 478. & ſeq.* *Commentarii Pii* paucis hiſtoriam complectuntur *lib. 1. p. 17. & 18.* add. *Anton. Bonfinii Hungar. dec. 3. lib. 7.*

## XXIII.

### *Barbaræ Cilienſis Sigismundi Imp. Conjugis mors.*

Quam in tranſitu memorat *Sylvius*, ejusque impudicitiam & atheiſmum ſignanter deſcribit. Fecerat & alibi: in *Hiſtor. Bohem. c. 59.* iiſdem ſententiis. Add. *de dict. & fact. Alph. lib. 3. p. 486.* Quid mirum, fœminam Dei & omnis honeſtatis contemtricem, de ſecundis nuptiis agitaſſe, antequam maritus moreretur? Hæc, inquit *Aeneas Hiſt. Boh. c. 83.* ægrotante Imperatore, *de retinendo Imperio ſolicita, Henricum Ptarſconem, Sterenbergium, Georgium Poggiebracium, & alios plerosque Barones, quorum auctoritas apud Bohemos potior, clanculum ad ſe vocat, Sigismundum brevi moriturum aſſerit, futuras in regno turbationes niſi rei ſuæ quam celerrime conſulant, quietis unicam viam eſſe, ſi ſe viduam rex Poloniæ ducat uxorem. Id ei ſuaſu facile: nam quis matrimonium renuat, quod totalia duo regna ſequantur, eaque maxima & opulentiſſima? Suo nomine & in Hungaria & in Bohemia oppida munitiſſima cuſtodiri: Comites Ciliæ alterum fratrem, alterum nepotem auxilia præbituros: multos in Hungaria proceres ſuas partes complexuros. Placet Bohemis Imperatricis conſilium, datis qui dextris fœdus ineunt. Mulier jam anus, novum conjugium mente complexa, filiam, quæ in ſpem regni creverat, & Alberto Duci Auſtriæ nupſerat, ex animo dimovet, nec aliud quam novi concubitus gaudia meditatur. Inexhauſtam fœminæ libidinem, quæ tumulo, quo propior eſt, eo genialis thori nuptialisque facis cupidior & curioſior redditur.* Imperator cognitis fœminæ furiis, cuſtodiæ eam commiſit, & Generum Albertum commendavit Bohemis regni Succeſſorem, principe legationis Schlickio rem conficiente, quamquam veſtigia hujus conſpirationis alte impreſſa, non ſine turbis extingui potuere. Repetit hiſtoriam diligenter, *Gerardus de Roo lib. 5. p. 169. & ſeq. & Fuggerus Spec. Hon. Auſtr. lib. 4. c. 18.*

## XXIV.

### *Eizingerus iniquam iracundiam flagitioſa perfidia ulciſcitur.*

Hanc Hiſtoriam, magni per omnia momenti, *Aeneæ* debemus, pag. XLIII. & XLIV. (col. 183. C.) omiſſam aliis. Et, quoniam Vlricus ille Eizingerus fax & turbo Auſtriæ fuit, & Furia hujus temporis, quod narratur, igitur notabili charactere ſignatur, & ab ingenio, fortuna, moribus, officio deſcribitur.

Vide-

Videtur enim ipſe Fridericus Imperator minora & pauciora de pravitate hominis credidiſſe, quam oportebat: potuiſſet certe, & forte debuiſſet accuratius cavere, & manus ei arctius adſtringere. Sed gravitas & magnanimitas Imperatoris, quæ tardum & tantum non negligentem ad deteriora credenda faciebat, ſæpe ei fraudi fuit. Et huc tendit etiam Aeneæ judicium, quo claudit hanc hiſtoriam: *pag. XLV. (col. 186, C.) Fridericus vero, qui ſibi jurejurando Viennenſes obnoxios, Auſtrialesque omnes obligatos fidelitate norat, haud arbitrari poterat, rebellioni poſſe locum patere. Haud poterat arbitrari*, ex indole ſui ingenii, at debuit arbitrari, ex ſpeciminibus alieni ingenii non obſcure hactenus perſpectis. Intelligitur etiam hinc, quanto debeant ſibi ſtudio cavere Principes, ab iis, qui contendere ultro cum dominis ſuis, neque de jure ſuo cedentibus quicquam concedere, in animum inducunt. De tali ingenio, non eſt ſatis, illud Poetæ dicere:

*Durus homo, atque odio qui poſſet vincere regem*
*Confidens, tumidusque* (1)

plerumque enim eſt amplius

*Pravus homo, & turbis cupiat qui perdere regem.*

Ex hac enim Eizingeri pravitate, *omnium malorum, quæ poſtea per rebellionem contigerunt, radix atque origo* fuit, ut recte *Aeneas* judicat pag. XLIV. (col. 183. B.)

## XXV.

### *De præparatis Itineris Italici Cæſaris.*

Opus erat diligenti præparatione domi, & foris, antequam Imperator Italiam ingrederetur, quam exactiſſime *Aeneas* deſcribit. Pag. XLIII. &c. (col. 182. B.) Et domi quidem, ut jam cœpimus dicere, non ſatis adverſus rebellionem omnia proviſa & mox compertum eſt. In Italia autem, diligentiam, ut fit, ſecuta fortuna eſt. Mittitur I. *Legatio* ſplendida & numeroſa: *Aeneas ipſe Sylvius*, qui ante apud Alphonſum Regem Neapolit. per 40. dies, confecto matrimonii negotio, paulo ante redierat; *Albertus Potendorfius*, *Georgius Volchenſtorfius*, antea quoque Aeneæ Collega, Barones Auſtriæ: *Michael Fullendorfius Secretarius, tresque alii equites, nobili loco nati. Matronæ nobiles & bono ſanguine natæ virgines duodecim, cum his proficiſci jubentur, Imperatrici ſervituræ. II. Mandata* duplicis generis erant. *Prioris* generis ad iter Cæſaris pertinebant: *altera*, ad excipiendam Imperatricem. Legati enim juſſi ſunt *de tranſitu Cæſaris novos tractatus in Italia* (ita corrige errorem typographi ex MSc.) *facere*, ac *publicam Principum ac Communitatum fidem expoſcere: Cæſarem in feſto Divi Martini ingreſſurum Italiam dicere: ut apparentur itinera, hominibus equisque neceſſaria diſponantur. Exinde Talamonem petere, ibi advenientem Sponſam ſuſcipere, Senasque conducere. Atque his actis, Aeneam & Michaelem Romanum præſulem accedere, de Coronatione rurſus, quæ opportuna viderentur, agere.* Commentarii *Pii Papæ lib. I. p. 18.* eadem omnia referunt, & de altera parte Legationis addunt: *Aeneæ Michaelique amplius mandatum erat, Italiæ Communitatibus atque Prin-*

(1) *Horat. 1. Satyr. 7.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Principibus, maxime vero ſummo Sacerdoti Cæſaris adventum, qui jam dubius videbatur, ut certum ad feſtum Martini renunciarent, tranſitum peterent, commeatibus æqua pretia ſtatuerent, atque ad eam rem literæ præmiſſæ ſunt.* III. Domi quoque evocantur ad Comitatum Cæſaris implendum ornandumque *nobiles ac Principes, ut itineri ſe ocyus accingant: civitatibus, ut ex more ſuos mittant legatos, imperatur.* Itaque *arma ſumunt, Italiamque petituros multi ſe offerunt, quibus Cæſar benigne ſuſceptis ſtipendia viritim promiſit.* Deſtinantur loca, quibus ex commoditate copiarum partitim iter ingrediantur: *Bohemi & Auſtrales, in Auſtria, Ungari & Bavari in Carinthia, Suevi, Renenſes, Francones, in Ferraria jungere ſeſe Cæſari juſſi.* (1) Ut ſupra Fridericus Imp. Italiam ingreſſurus *Henricos Auſtriæ & Carentanæ Duces, & Sagittarios Ungaros, Stirienſesque manus, per montes Carnorum, & viam, cui canale nomen eſt, in forum-Julii deſcendere juſſit. Bertholdo Duci Burgundiæ, Lotharingiis quoque & qui ex occidentali Francia auxilio venerant* (ita corrige mendam typographi) *montem Jovis ſuperandum imperavit. Helveciis, Ripariolis Rhenanisque per Clavennam & lacum Comanum iter oſtendit: ipſe per Tridentinum & Veronenſem agrum viam fecit.* IV. Et ſane, opus fuiſſe diligentiſſima omnium rerum apparatione, vel *habitus animorum in Italia ad famam adventus Cæſarei varie affectorum*, oſtenderit, De quo ita *Aeneas:* pag. XLV. (col. 187. A.) *Inter hæc Italia jam certior facta de Cæſaris adventu, variis undique completur rumoribus: timere alii, quibus ſecundæ res ſunt: narrare, quæ priſcis temporibus accidiſſent, dum Germani Cæſares Italiam petivere, armis iter quæſitum, nunquam defuiſſe bellum, rapinas cædesque agitatas, vaſtatos agros, verſas urbes, neque humanis rebus, neque divinis parſum: civitatum rectores amotos, novos inductos. Conſulendum igitur paci, claudendam Friderico viam, dicere. Qui procul a republica tenebantur, optare celerem introitum Cæſaris: jam finem adeſſe miſeriarum ſuarum credere, non laturum Imperatorem ſuperbiam dominantium, moderaturum vectigalia, excluſos urbibus reſtituturum, ſua cuique redditurum prædicare. Varia igitur agitari conſilia: atque, uti voluntates ſunt, ſic ſeſe homines demonſtrare.* Commentarii *Pii lib. 1, pag. 18.* ita efferunt: *Quibus cognitis, Italiæ potentes trepidare, ſperare tenues, mutare principes, impleri omnia rumoribus, timeri motus, quos in adventu Cæſarum excitatos vetuſtas noverat.* Inprimis animum Pontificis Nicolai V. multiplex & anxia cura diſtrahebat, quam *Aeneas* facunde exponit, non enim deerant, qui ſpecie prudentiæ aures ejus obtundebant, figurato varie metu; a *Friderici nobilitate, altitudine animi, ambitione, juventa, opibus, ab Italorum ingenio rerum novarum cupido, a populi Romani mobilitate & ſtudio Gibellinarum partium, ab Alphonſi Regis potentia Cæſari profecto non defutura, ab armis bellantium nunquam non Eccleſiæ timendis:* jactabantur & *vaticinia de Friderico quaſi Eccleſiam oppreſſuro: tum de Pontifice forte in capti-*

(1) Pag. XXII. (col. 183. A.)

*captivitate morituro.* Hinc est, quod, ut referunt *Pii Papæ commentarii, lib. 1. p. 19. Pontifex, cui Romanorum mores cogniti erant, quique multos novitatis avidos intellexerat, timens populi motum, jam Cæsari nunciaverat, & commeatuum penuriam causatus, adventum suum in æstatem ut differret, Aeneæ vero, ut ad se quantocyus iret, imperavit.* De quo metu & *Platina in Nicol. V. Quod venturum ad urbem Federicum Imperatorem intellexerat, tum ut coronam imperii acciperet, tum ut Leonoram Regis Lusitaniæ filiam Alphonsi neptem in uxorem duceret, portas urbis ac turres, Capitolium, arcem S. Angeli, muris firmissimis munire cæpit, veritus credo, ne adventante Imperatore, novi aliquid, & ab eo, & a populo Rom. oriretur: erat enim natura formidolosus. Hanc ob rem milites omnes suos cum collectitiis copiis Romam accivit.* V. Ne autem hic metus promissa ante Cæsari facta subverteret, *industria Aeneæ Legati Cæsarei* effectum est. Supra pag. XXXIX. (col. 188. C.) Apud Pontificem enim tandem prævaluerat metus, ut quoniam aperte Cæsari adventum negare non poterat, ex obliquo suadere vellet *dilationem itineris* in æstatem: de quo *Henricum Senftleben*, in Germaniam aliis de rebus profecturum, cum Cæsare jusserat agere: & *Aeneam* ad se per literas vocaverat. Cum autem Aeneas Telamone digredi non posset, ne dum Romæ teneretur, Imperatrix portum applicaret, gravissimas *ad Pontificem literas* scripsit, quarum tenorem *hic* expressit, pag. XLV. & XLVI. & XLVII. (col. 189. C.) summam *Commentarii Pii* habent. lib. 1. p. 19. Ita metu Pontifici excusso, rata fuerunt, quæ ante de Cæsaris adventu priore Legatione convenerant. VI. Atque interim Aeneas cum Collegis, apud *Venetos de transitu egerat: ubi responso ex sententia accepto Ferrariam, deinde Bononiam, Florentiam, Senasque petiverant, neque usquam male auditi erant.* VII. Hæc foris diligenter & feliciter præparata & apparata. *Domi non æque provisa sunt*, quæ in rem erant. *Rectores* lecti, *qui absente Cæsare Austriam gubernarent, Comites de monte pulchro pater & filius, Georgius de Puchaim, Rodigerus de Starnberg, Sigismundus de villa Aprorum, & alii plerique Barones. Ex civitate autem Viennensi solum Burgimagister, judex & pauci de consulatu accersiti.* pag. XLIV. (col. 186. A.) Ubi *Aeneas* pag. XLV. (col. 186. A.) erratum putat in delectu Viennensium, inquiens: *sed male cum paucis transigitur, quod multorum est. Cives indignati tanquam spernerentur, animum inde a Cæsare alienarunt.* Nomina Gubernatorum ita assignat *Gerardus de Roo lib. 5. hist. Aust. p. 202. Interim ipse Austriæ gubernationem proceribus quibusdam committit, inter quos Udalricus Schaunbergicus, senior, Georgius Bucheimicus, Rudigerus Stubenbergicus, Sigismundus Ebersdorfius & Conradus Eizingerus.* Eosdem *Fuggerus Comes* nominat. Spec. Hon. Austr. lib. 5. c. 7. Discrepant ab Aenea, qui *Starnberg* nominat, ubi illi *Stubenberg* habent. Infra pag. LIX. (col. 227. C.) accedunt duo Stiriæ gubernatores *Johannes Neipergius & Waltherus Zebingerus.* Erratum etiam in eo, quod Eizingerus & rebelles ceteri minus time-

timebantur, quam par erat. Unde A de conſiliariis Cæſaris eximii viri, differendum iter italicum ſuadebant, donec adverſus erumpentes jam turbas, remedia idonea eſſent reperta. VIII. Aderat etiam in hoc articulo rerum *Senftleben*, nomine Pontificis moram, ut cœptum eſt dici, ſuaſurus: cujus tamen auctoritatem facile refutarunt Aeneæ literæ ex Italia ſupervenientes, pag. LVI. & LVIII. (col. 188. C.) quibus intellexit Cæſar, Pontificem depoſito metu, priorem animum & officia pridem promiſſa offerre. IX. Et revera, anceps erat deliberatio, ſatiusne eſſet B dimittere iter Italicum, an turbas non erupturas modo, ſed jamjam erumpentes tantiſper negligere. Quapropter Cæſari denique aſſenſerunt, qui in conſilio erant, ſatius eſſe vel perdere Tutelam Ladislai, quam cœpta tanto apparatu, & fortaſſe vix unquam reſumenda, relinquere. Vide pag. LIX. (col. 227. B.) X. Exiſtimat tamen Aeneas, pag. L. (col. 203. C.) Cæſarem debuiſſe parere conſilio *Ulrici Sunnenbergeri*, qui ante iter continuatum, C *Conventum Viennæ ſeditioſe inſtitutum per ſubmiſſa cito equitum præſidia diſturbandum*, ſuaſerat. Quod conſilium non alios impediviſſe, quam *qui ſua magis emolumenta, quam Cæſaris lucrum gloriamque quæſiverint.*

## XXVI.

### *Eizingeri, & rebellium flagitia dominationis.*

De ingenio viri & flagitioſa iracundia, ante diximus. Quibus addi poteſt character, ceteris rebellionis Ducibus cum Eizingero communis; quem ſignat *Aeneas* pag. XLIX. (col. 199. B) in iſtis: *Non amplius ſedecim nominati homines fuerant, qui ab initio conſpiraverunt. Sed audaces & factioſi, cupidi novitatum, aſſueti rapinis, in omne facinus promti, quibus vel mori vel obtinere ſententiam propoſitum erat.* Non erat hic magnus numerus: ſed ubi non deſunt concitores multitudinis, facile augetur numerus, præſertim apud populos hoc ingenio præditos, quo Auſtrales ſive Auſtriam habitantes deſcribit *Aeneas* pag. XLVII. (col. 194. C.) Nunc reliqua eorum flagitia uno conſpectu oſtendenda ſunt. I. Ordiuntur rebellionem *Conventiculo Meilpergenſi*, prætextu litis inter Liechtenſteinios & Eizingerum de finibus definiendæ. Vid. pag. XLVII. (col. 194. B.) Ubi ſemel in unum coacti ſunt male quietorum & male fidorum præcipui, non erat arduum, primam vocem reperire, Eizingero tanquam inter ſimillimos ſui concionante. Et quoniam auſi erant, rem a Principis voluntate revera ſuſpenſam, conſcientia facinoris audentiores. II. *Alium & ampliorem Conventum Viennæ* inſtituere pergunt. Vide pag. LI. (col. 206. A.) Quod ſicut jure fieri non poterat, ita *Conventum Viennæ habitum ſine conſenſu Principis, ſine Baronibus præcipuis, vim non habere*, merito Cæſar reſpondit. pag. LIII. (col. 212. C.) III. Sequuntur *Criminationes & Calumniæ in Cæſarem*, turbamenta animorum nova cupientium. Quanquam mendaciis nullus idoneus color obduci potuit, quin qualia eſſent intelligerentur. *Comparatione prioris ſub Alberto Imp. regiminis* præſentem ſtatum contemnunt. Alberti

berti liberalitas effuſior fuit; Friderico, ne quid de viribus, dignitati & regimini neceſſariis, prodigeret A ſumma ratio fuit.

## III.

JOANNIS HINDERBACHII, *Epiſcopi Tridentini, Hiſtoriæ rerum, a* FRIDERICO TERTIO *Imperatore geſtarum, continuatio.*

### MONITUM.

Editoris munere, quod hic ſuſtineo, ut recte perfungar, de auctore primum ipſo, tum de opere, deinde de illo, cujus diligentia factum, ne interiret, præfari prius libuit, quam legendum exhibere. De auctore, clariſſimo memoria ſua viro, quæ ſcire non ſit inutile, lubens hic profiteor, ferre me in acceptis illuſtri atque eruditiſſimo viro JOSEPHO SPERGESIO, Auguſtæ Imperatrici Reginæ a Conſiliis, & Sanctioris ſtatus Tabularii cuſtodi eximio. Cum enim virum doctum de propoſito meo certiorem reddidiſſem, oraſſemque ſimul, ut ſi quæ non vulgaria de HINDERBACHIO in adverſariis haberet, ea mecum ſibi vellet eſſe communia; facile omnia ab humanitate ejus ſingulari paucos poſt dies impetravi. Data quippe ad me erudita prorſus & eleganti epiſtola ſua, quæ poſt clariſſimos viros JANUM PYRRHUM PINCIUM (1) FERDINANDUM UGHELLUM (2) JOANNEM BENEDICTUM GENTILOTTUM (3) & BENEDICTUM BONELLUM (4) de auctore noſtro certiora olim in patria reperit, iis, ut in rem, meam uterer, benignus conceſſit. Igitur HINDERBACHIUS noſter teſte Cl. SPERGESIO, *anno* CIↃCCCCXVIII. XIX. *Kal. Sept. in Haſſia natus, patrem habuit Joannem, matrem Hedwigem Langenſteiniam: genere nobilem fuiſſe, ex eo poteſt conjici, quod Georgius Ederus in Catalago Rectorum & virorum illuſtrium in Archigymnaſio Viennenſi anno* CIↃIↃLIX. *edito, ubi Joannem noſtrum in eodem literis ſtuduiſſe ad annum* CIↃCCCCXXXVI. *refert, eum* Joannem Hinderbach de Rauſchenberg Epiſcopum Tridentinum *appellat: certe gentilitiam ſuam teſſeram monumentis publicis, quæ ab ipſo ſuperſunt, omnibus, marmori inſculptam, non ſine aliqua oſtentatione affixit. Adoleſcens e Patria Vindobonam evocatus ab avunculo ſuo Henrico Langenſtein, de Haſſia dicto, Theologo, & illius Archigymnaſii Rectore* (5), *ibidem ætatis florem inter bonarum literarum*

(1) *In vitis Trident. Epiſcoporum, anno* CIↃIↃXLIV. *editis.*

(2) *Italiæ ſacræ tom. V. pag. 638.*

(3) *In notis ad Epiſcopos Tridentinos, ejusdem Ughelliani operis a* COLETO *editi. tom. V. pag. 638. & ſeqq.*

(4) *In vindiciis Martyrii* B. SIMONIS *Tridentini; cujus gratia adnotaſſe hic juverit, oſtenſa mihi nuper eſſe ab amiciſſimo* LAMBACHERO *noſtro in Bibliotheca, cui digniſſime præeſt, Vindobonenſi civica, complura monumenta, manu, niſi fallor coæva ſcripta; & quæ martyrio* SIMONIS *Tridentini lucem & pondus procurent vel maximum.*

(5) *De* HENRICO LANGENSTEINIO, *ſive* DE HASSIA *vide* JO. ALBERTI FABRICII *Bibliothecam Latinam mediæ & infimæ ætatis ab* JO. DOMINICO MANSIO *auctam atque editam Patavii* CIↃIↃCCLIV. *tom. III. pag. 216. Item* LAMBEC. *Comment. lib. II. p.*

*rarum ſtudia exegit, Patavii poſtea Jurisprudentiæ operam dedit, magiſtris uſus Jacobo de Zochis, Angelo de Caſtro, Antonio de Roſellis, & Leonardo de Baziolis, quorum inſtitutiones, ut quisque illorum diſcipulis ſuis dictaverat, ab Hinderbachio raptim in tabulas relatæ, adhuc Tridenti in Bibliotheca Caſtri boni conſilii aſſervantur. Supremam denique in ſtudio juris Canonici lauream,* & Decretorum doctoris *titulum pro illius ævi more Patavii anno* CIↃCCCCLII. *eſt adeptus* (1) *Sacris initiatus, mox Medlici in Auſtria parochus, dein Imp. Cæſ. Friderico III. cui a ſecretis fuerat, poſtulante, in ſacrum Eccleſiæ Tridentinæ Collegium receptus, primam a Decano in eodem dignitatem obtinuit, a Sigismundo Auſtriaco, Tyrolis Comite, Præpoſitus Eccleſiæ S. Apollinaris ibidem nominatus. Romam paullo poſt conceſſit, Cæſaris ad ſummum Pontificem Paulum II. orator. anno* CIↃCCCCLXV. *abſens & inſcius a Collegis in Epiſcopum Tridentinum, concordibus votis fuit electus. Sequenti anno Roma reducem, ad capeſſendam novæ dignitatis poſſeſſionem, univerſa civitas maxima omnium ordinum lætitia excepit.* Hactenus Cl. SPERGESIUS; addens his non copioſe minus quam erudite plurima alia, quæ res HINDERBACHII in Pontificatu pie ſapienterque geſtas, & eximia ſimul in bonas literas merita plena olim in luce collocent, quæ eruditiſſimo auctori relinquere integra maluimus, quam hic commodo parum loco delibare. At de tempore, per quod IMP. FRIDERICO a ſecretioribus ſcriniis fuit, exploratum mihi eſt, HINDERBACHIUM, AENEA SYLVIO, familiariter prorſus uſum, eidem, idiomatis Teutonici ignaro, in conſcribenda Auſtriaca Hiſtoria neceſſariam interpretis operam commodaſſe. Sic enim ipſe auctor noſter initio, quod vulgamus, operis ad Cæſarem ſcribit: *Parui lubens*, inquit, *tuis divinis juſſionibus; præſertim quum ad id præfati piiſſimi Pontificis hortatu ſimul ac monitu jam dudum invitatus extiterim: cujus in ipſius quoque* vulgaris *Auſtralium* luſtratione ac deſcriptione Hiſtoriæ interpres, *inſtigatorque fueram; & dum in tua adhuc maneret Regia inter ceteros tuæ Majeſtatis aulicos quotidiana & prope domeſtica familiaritate coadhærebam.* Unde facile intelligas, vulgarem Auſtralium Hiſtoriam eam ipſam eſſe, unde SYLVIUS Origines gentis & provinciæ Auſtriæ ſumptas diligenter caſtigavit. Id adteſtatur ipſe SYLVIUS pag. 14. verbis hic ſubjectis: *Terram*, inquit, *Auſtriæ, qui primo coluerint, quærenti mihi nihil certi conſtare potuit. Venit autem in manus meas hiſtoria quædam, quam Auſtralicam vocant, ſermone Theotonico conſcripta, ſed inepta, mendax, & ab homine compoſita, in quo malignitatis an ſtultitiæ plus invenias, non facile judices.* Opus ipſum, ab

*125. nunc Analect. tom. I. col. 129. not. (2). Ejus operum, cum Bibliotheca Academiæ Viennenſis Auguſtæ Bibl. noſtræ inlatorum catalogum, Deo bene juvante, olim pertexemus.*

(1) *Horum teſtem fide dignum habemus* AENEAM SYLVIUM, *qui in Hiſtoria* FRIDERICI *editionis hujus noſtræ pag. 228. ejusdem Imp. iter Romanum, quod eodem anno confecit, deſcribens, memoriæ prodidit ſequentia:* Ad Venetos autem mittuntur Comes Virginopolitanus, veteri atque alto ſanguine natus, & Joannes Hinderbachius, Secretarius Cæſaris, Pontificii juris egregie peritus ac facundia nobilis, qui paulo poſt in ſchola Patavina Magiſterii gradum accipiens id honoris promeruit, ut inſignia doctoratus ex more capeſſens, præſentem Cæſarem univerſamque curiam ſe laudantem habuerit. *Hæc Sylvius.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ab HINDERBACHIO jussu FRIDERICI esse conscriptum liquet. Sic enim ad Cæsarem laudatus auctor: *Mandasti clementissime Cæsar ut Historiam Orientalium Regni Teutonum, quos Orientales appellant: quam olim Aeneas . . . inchoaverat, & usque ad ipsam Ladislai manumissionem . . . perduxerat, ac demum . . . intermiserat, utrinque res scitu dignæ sese antea vel post habuerint, annecterem. Parui lubens &c.* Atque o utinam sapientissima Imp. FRIDERICI jussa & consilia feliciorem operis laudem fuissent sortita! nam, quod dissimulare hic minime oportet, ingenio HINDERBACHIUS, eruditione, ac facundia longe infra AENEAM fuit, vel, si verum amamus, ne dignus quidem, qui de ea laude cum SYLVIO contenderit. Quæ de Historia FRIDERICI Austriaca adnotat, ex manuscriptis codicibus nostris non sunt hausta; cum in proloquio, volumini huic præfixo, plane ostenderim, ad mortem usque LADISLAI Regis ab AENEA fuisse deductam: quam si in verbis exceptam ultimis continuasset HINDERBACHIUS, majorem profecto apud posteros initurus fuerat gratiam. Nunc, quod palam est, totum hoc, quod in lucem proferimus, imperfectum quoddam opus videtur. Quippe omissis, quæ ab anno CIↃCCCCLVIII. ad annum CIↃCCCCLXIII. a FRIDERICO sunt gesta, historiam illius solum belli literis mandavit, quod a Vindobonensibus adversus Imp. FRIDERICUM duce ALBERTO ejus fratre, est gestum. At maxima tamen semper de his fraternis dissidiis HINDERBACHII erit fides & auctoritas; qui rebus gestis non interfuit solum, sed sæpe etiam pro munere suo præfuit, plurimaque ob iter prodidit memoriæ, unde mores & ingenium ejus temporis pulchre pernoscas, & præcipuarum, quæ adhuc perdurant consuetudinum origines & veras causas discere queas. Enimvero partem istam priscæ memoriæ, qui res patriæ suæ perdiscere curant, non indiligenter excolere debent; nisi vulgi fallaci opinione duci, ejusque superstitionibus adhærere velint. Vetustus apud nos hic Vindobonæ mos est, antelucano tempore, item hora post meridiem altera certum æs campanum per horam pulsare integram. Ejus consuetudinis veram causam cum indagarem, ab iis etiam, qui patriæ urbis prima exordia detexisse sibi primi videntur, non aliud discere potui, nisi multos civium morbo quodam, qui a *milio* nomen habet, & Austriacis nostris *Breyn* dicitur, olim fuisse consumtos, dum virgo quædam D.O.M. promitteret, nolam se argenteam in turri metropolitanæ ecclesiæ appensuram, quæ horis, modo a me indicatis, in omne ævum pulsaretur; tum in gratam memoriam depulsi morbi, tum ut cives illius beneficii admoniti, ne unquam redeat, superos exorent: atque eam quoque ob causam *Breyn-Glökl* sive *nolam miliarem* adpellari. Est enim procliviissimum ad errorem vulgi ingenium, & rerum causas, quas frequenter videt, cum veras ignoret, falsas comminiscitur: quæ omnium superstitionum veriissima esse origo meis quidem oculis videtur. De nola nostra auctor noster seculo quinto decimo hæc memoriæ prodidit: *Ante diem vero in ipso diluculo, sub pulsu PRIMARUM, sic enim ibi dicitur, & mos est campanellam per horam ante diem continue pulsare, quo se studentes ad missarum solennia præparant, hi præsertim, qui in diluculo missas perficere habent.* Nomen

igitur nolæ noſtræ eſt *Prim-Glökl*, nequaquam vero *Breyn-Glökl*; inſtitutum vero, quod Hinderbachius prodidit, non anilis fabella, quam rudis poſteritas confinxit: unde etiam facile conjicias cauſam, cur hora poſt meridiem altera pulſari ſoleat; indicat videlicet veſpertinas in templo preces, hora tertia cantari ſolitas. Sed ſunt præterea in urbe noſtra æra campana quam plurima, quæ alia per diem, per noctem alia urbis quietem turbant, & aut nullam, aut levem ob rem aures viciniæ obtundunt. Mihi ſæpe importunitate illa commoto, bene ceciniſſe viſus eſt Gallus ille verſibus ſubjectis:

*Perſécuteurs du genre humain,*
*Qui ſonnez ſans miſéricorde;*
*Que n'avez-vous au cou la corde,*
*Que vous tenez dedans la main!*

Reſtat, ut adnotem, cujus cura fœtus iſte Hinderbachii, quas paſcebat, tineis ſit ereptus. Is eſt Cl. vir Jo. Benedictus Gentilotus, Teriolenſis Tridentinus, & Bibliothecæ noſtræ ab Neſſelii morte Præfectus. Id atteſtatur ipſe in adnotationibus ad Epiſcopos Tridentinos ſuis apud Ughellum Italiæ ſacræ tom. V. pag. 638. ubi de Hinderbachio ſic ſcribit: *Fuit Parochus in Medling in Auſtria prope Viennam, ut ipſemet pluribus in locis adnotavit, Friderici Imperatoris Secretarius, cujus vitam, & res geſtas ab Aenea Sylvio conſcriptas, & a Bæclero, vel potius Kulpiſio ex codice, qui ad Epiſcopum Joannem pertinuit, editas longiori commentario proſecutus eſt, quod nos ex Tridentina Bibliotheca erutum in apertum referre conſtituimus.* Idem adnotaverat vir doctus in commentariis ſuis ad codicem hiſtoriæ profanæ cccxx. unde nos deſumptum vulgavimus hoc exemplo.

## DIVO AC RELIGIOSO PRINCIPI DOMINO FEDERICO, DIVINA PIETATE ROMANORVM IMPERATORI ET CÆSARI AVGVSTO, SVVS HVMILIS SERVVLVS JOANNES HINDERBACH SALVTEM.

*Mandaſti, clementiſſime Cæſar, ut hiſtoriam Orientalium regni Theutonorum, quos Orientales appellant, quam olim Aeneas, genere & Pontificio Senenſis, qui tum in curiæ tuæ Majeſtatis munere conſiliarii, & Apoſtolicæ legationis officio fungebatur, poſt vero, tuis maxime auſpiciis & gratia, in numero Cardinalium accitus, ac modo ſummus pontifex, re & nomine Pius, tua quoque mandata, partim ad commendationem veteris ac vulgaris hiſtoriæ, partim de rebus tua ætate geſtis, & ipſis quidem ſponſalitiis cum diva Leonora conſorte tua, inchoatis, deque conjugio apud Neapolim, ipſo potiſſimum, ac Alphonſo Rege Aragonum illius auctore, concluſo, ac tuo in Italiam, ac urbem Romæ, pro ſuſcipiendis una cum ipſa tibi jam deſponſata conſorte, Auguſtalibus infulis, ac geniali thoro, apud Neapolim conſumato, vel potius ſolenni more cæpto, ac tuo in patriam reditu; deque bello ſeu conſpiratione a provincialibus*

*libus Auſtriæ, Vlrico Eizingero vetulo, talium rerum agitatore inſtigante, & Vlrico Celegienſi Comite cæterisque nonnullis Hungariæ Bohemiæque primoribus coadjuvantibus pro Ladislao Alberti filio, patruele tuo, adverſus tuam Celſitudinem geſto, inchoarat, & usque ad ipſam Ladislai manumiſſionem, ſeu tractatus ea de re habitos ad pacem, perduxerat: ac demum illo in Italiam reverſo, ac majores ad res ac gradum altiorem divina voluntate promoto, intermiſerat: utrinque res ſcitu dignæ ſeſe antea vel poſt habuerint, annecterem. Parui libens tuis divinis juſſionibus; præſertim, quum ad id præfati piiſſimi pontificis hortatu ſimul ac monitu jam dudum invitatus extiterim: cujus in ipſius quoque vulgaris Auſtralium luſtratione ac deſcriptione hiſtoriæ interpres inſtigatorque fueram, & dum in tua adhuc maneret regia inter cæteros tuæ Majeſtatis aulicos quotidiana & prope domeſtica familiaritate coadhærebam: quem etiam in ultima ſua ad Caliſtum, tum recenter in pontificatu Romanæ ſedis . . . tuo juſſu, tuaque deſignatione, quamquam exiguus & indignus ejus collega vel potius aſſecla comitator proſequutus fui, & tuæ in illius promotione ardentiſſimæ voluntatis unicus & fidelis ad Pontificem miniſter, & nuncius ac ſollicitator extiti; tametſi hujus difficultas operis & rudis & obtuſi ingenii mei vires, ac arida ſcribendi venula, aliquamdiu me ab incœpto retraxerit, atque non parum deterruerit: quod ipſe mihi conſcius eſſem, me illius elegantiam ſtyli, & divinam prope eloquentiam nedum attingere, ſed nec minima quidem ex parte imitari poſſe. Quinimo illius, veluti ſole quodam lucidiſſimo, affluentem eloquentiam meo rudi ac hebeti, quin & barbarico dicendi more obfuſcare magis. Verum tamen quum ſuæ pietati, ac tuæ quoque Majeſtati ſic viſum complacitumque fuerit, parebo libens veſtris juſſionibus, & veluti obediens ſervulus manum apponam ad aratrum, atque, veluti ſus quidam, minervam imitabor: quamquam verear, ſereniſſime Cæſar, ut quod ille ſummus ac abs te merito quondam laureatus Poëta, & Divinus rerum ſcriptor de ſe reveritus fuerit, ne indigno quidem ſcriptori hiſtoriam ſcribendi remiſiſſes, in me jam recte verificetur, & Divinæ laudes ac virtutes tuæ meis quidem ineptiis magis oblitterentur, quam ut in lucem prodeant. Exequar tamen, quæ juſſiſti, ſaltem ut tuam voluntatem non negligam, & aliis doctioribus & magis tritis ſcriptoribus materiam præbeam, ea, quæ geſta rudique calamo a me ſcripta fuerint, ſi modo laborem ſubire voluerint, comptiori ornatu res ipſas deſcribere, & præfatam Pii Aeneæ cæptam hiſtoriam elegantiori ſtemmate decorare. Id ea in re me ſolatur, & ad ſubeundum munus ac laborem animavit: quod & illum Divinum vatem in ſui operis aggreſſione monuiſſe videris, ut ne . . . deſcriberet opus ad tuam gratiam, vel humanam laudem adjiceret, aut ſubticeret, quod veritati hiſtoriæ derogaretur (quod & mihi quoque dictum exiſtimabo:) ſatis tibi fore, ſi facti ſeries, ac ipſa rerum tuarum geſta in lucem prodeant, ut omnibus, & maxime poſteris, pateat temporum tuorum calamitas; ut æqui judices ſpectare poſſint, quam juſte quamve minus tecum, & ſub imperio tuo, & a ſubditis, maxime quidem tuis, ac exteris, pace bellove actum*

*actum sit; utque omnem hactenus tibi adversantem fortunam, & hominum, ne dicam seculi tui, malitiam invicto semper animo, longanimitate auxiliante, superaveris. Tua, mitissime atque indulgentissime Cæsar, pietas, mansuetudo atque patientia, & hoccine saltem licet indigno labore meo perpetuum tuæ probitatis & modestiæ simul ac patientiæ monumentum exstruam. Accipe igitur sereno vultu & pio, ut omnia soles, animo, serenissime omnium atque piissime Cæsar, hoc munus, quod tuo nomini dedicavi, &, quantum tuo arbitratu libuerit, admitte vel rejice, ut vel tuis approbatum auspiciis, & Divino afflatum numine in lucem prodeat, aut veluti iners & stolidum, tuæ Majestatis sententia, seu eulogio ultimo, flammarum exitio deputetur. Vale dive Cæsar! & bonis avibus perlegito &c.*

*Satis jam, dive Cæsar, veterem illam ac ab sui initio confictam nugosamque in suis primordiis Australium historiam ab Aenea, vestræ ætatis tunc quidem historiarum scriptore, nunc vero totius christianismi & ecclesiasticæ præcipue Hierarchiæ monarcha, confutatam explosamque fore puto: tibique ac omnibus non modo ex animi affectu ut quidam indocti ac nedum historiarum, sed & litterarum ignari faciunt, qui omne, quod in libris ac codicibus vulgaribus & barbaris didicerunt, evangelicam veritatem tenent, probant, & omni pertinacia & contentione, non secus quam hæretici pravam suorum sententiam defensare conantur. Sed recte & vere judicare volentibus sufficientissime persuasum arbitror, ut omnis illa hujus nugosi vulgaris Poëtæ commentatio de origine initioque hujus terræ, quando habitabilis primo reddita sit; deque illius atque hominum ac principum ejus falsis confictisque, & tum barbaris, tum hebraicis, & apud omnes æque incognitis nominibus; deque eorum connubiis, & armorum insignibus, quinimo & ipsius principatus dignitate ac nomine tam crebro, & ex cujusque plerumque persona, commutatis, & ejus devolutionibus; nec non fidei sacrorum mutatione; de gentilitate ad Judaisinum, & e converso facta tam stolida, atque alienum nedum veritate historiæ, sed & conjectura ac verisimilitudine aliena sit, ut potius somniatio quædam, quam historia existimanda.*

*Beatissime ac clementissime Pontifex, post desiderata beatorum pedum oscula. Quia ex brevi vestræ Sanctitatis, nuper ad me misso, sensi superiora scripta mea non ingrata fuisse vestræ beatitudini, quibus nonnulla tunc occurrentia vestræ Sanctitati significavi, ut & in præsentiarum hoc tempore vestræ beatitudini ea, quæ modo apud nos currunt, non ignota esse cogitaverim; præsertim tantam varietatem temporum, & summam rerum mutationem hac in provincia, olim vestræ sanctitati non injucunda, jam vero omnibus eam inhabitantibus, pro conditione temporum gravissima. Intellexerit præterea dudum, ut opinor, sanctitas vestra, qualiter quidam ex infimis, vel saltem mediocribus Nobilibus Austriæ, dictus Frunawer, frater quondam Gerhardi, unius ex contubernalibus & cubicularis Alberti ducis Austriæ post ejusdem sui fratris obitum, castrum Orti, quod apud Badam . . . & quod Cæsari*

*ratio-*

*ratione Ducatus Austriæ proprium & hæreditarium, super littore Danubii, parum ab eo loco, quo Margo fluvius ex finibus Moraviæ Istrum influit, situm est, quod Cæsar dicto Gerhardo bona fide, currentibus tamen dissensionibus & guerris inter Regem Ladislaum & Cæsarem, aut potius comitem Cilliensem, & nonnullos ipsius satellites & belligeros subornatos, tenendum atque defendendum commiserat; simulata venditione, nullis tamen instrumentorum, seu litterarum mumimentis intercedentibus, invito Cæsare, velut proprium tenuerat; contendens, illud sibi jure hæreditario a fratre transmissum fore, quod veluti eidem a Cæsare venditum, atque ea lege traditum, ab eo accepisset. Qua de re Cæsar, post multos tractatus super ejusdem Castri venditione frustra & diu habitos, tandem via juris illud repetere statuit, & dictum Fronawer tribus edictis more Imperialis curiæ citare fecit: qui tamen, cum nusquam compareret, sententia contra illum, Domino Episcopo Patavienſi præsidente, cæterisque Prælatis, Baronibus, Doctoribus & Nobilibus in magno numero assidentibus, veluti contumacem dicta est; ut Castrum jure Cæsari, tanquam hæreditarium, reddere teneretur: in quo cum pertinacia persisteret, neque sic tradere vellet, Cæsar congregato exercitu illud obsedit, & post multam expensam & diuturnam oppugnationem accepit. At ille, dissoluto Cæsaris exercitu, quosque latrunculos ex Moravia Bohemiaque collegit, & ecclesiam non longe a castro, ab eo evincto, in medio ruris locupletissimi occupat, in quam . . . circumstantibus fossis & aggeribus munivit & circumdedit, ac omnibus circum circa per totum rus Marchiæ singulis villis, castris oppidis, huldas, id est affidationes suæ servitutis, sic enim apud Australes eas appellant, imponit, & aurum, argentum, frumentum, vinum & arma, & cujuslibet generis aromatum & specierum, quinimo & vestimentorum taxas & quotas pro singulis tribus mensibus, aut Angariis, persolvenda imponit vectigalia. Denique & alia solutionis onera rusticis, ad urbem & forum conducere volentibus, indixit; neque quemquam usque ad pontem Danubii tutum abire permisit. Cæsar vero, cum gentes undique conductitias, ac præcipue ex Hungaria, quos fratres appellant, Gregarios, & alias undequaque sub stipendio vilis monetæ, quæ tamen in usu erat, conduxisset, sub cujus etiam pecuniæ obtentu comitem Guaritiæ, satis temere contra eum insultantem, compressit. Ejusdem valore pecuniæ jam in vulgo decrescente, & ab omnibus vilipensa, id Cæsari incommodi emersit, ut gentes illas, quas leviſſima pecunia tenuerat atque conduxerat, valore jam etiam diminuto, amplius pro eadem pecunia militare recusarent; quinimo deservitum jam stipendium non nisi in auro aut moneta nova argentea justi ponderis & valoris recipere detrectarent. Qua de re Cæsar gentes illas, ut est nunc moris, multis temporibus in sylvis tenuit, & de minutissimo cum eis incontinenti ventum est. Vnde eædem gentes, & quas postmodum in sua stipendia contra Fronawer susceperat, conturbatæ, ac amplius contra hostem virtutes agere noluerunt: qui etiam primis insultibus, & bonum jam ab eo cæptum arripere potuissent. Interea, procedente tempore: cum illo-*

*illorum ſolutio in dies prorogaretur, plerique tædio more affecti ad hoſtem confugere, & ipſi, de præpugnatoribus noſtrarum partium, hoſtes effecti ſunt. Quo factum eſt, ut brevi temporis ſpatio majorem ſibi partem noſtrorum conciliaret & omnes una ſecum hoſtiles partes ſuſciperent.*

Bellum atrox, neſcio ſi aliud unquam ſimile aut tam nefarium ac inhumanum fuerit, quod his diebus populus Viennenſium, & ipſius pſeudo ductores adverſus Federicum Imperatorem tertium, non ſolum temeritate aut audacia, ſed temulentia quadam geſſerunt, deſcripturus, Beatiſſime pater, rem ut ab exordio ſui acta eſt, & qua occaſione ſuborta eſt, ſic paucis expediam, ut ſanctitas veſtra, & omnes, qui legerint, plane hujus rei ſeriem intelligant: & quam injuſte aut inique factum ſit, facile agnoſcere valeant atque dijudicare. Ea vero talis eſt: poſtquam Cæſar multis illorum ſcriptis, monitis, & precibus ac crebris legationibus majorum urbis, & ſuorum etiam conſulum, qui res Auſtriæ adminiſtrabant, in eam ſententiam tractus eſt, ut ſeſe perſonaliter cum potentia ad urbem pro illius ſuccurſu & conſolatione poſt diuturnam ipſius abſentiam conferre deliberaſſet, & jam cum non parvis Styrenſium, Karinthanorum, & Carniolarum, qui ultro duobus menſibus ſeſe illi ſervituros in hanc rem polliciti erant, in itinere eſſet: venerunt ei nuntii apud forum montis . . . in valle Murciæ, nonnullos cives ſeditioſos, allectis ſibi populaA ribus & plebeis, prætorium civitatis intraviſſe, & illic Burgenſem judicem, & omnes conſules civitatis tunc cepiſſe, ac nonnullos ex illis quatuor principales in turri, publicæ cuſtodiæ civitatis deputata, ab aliis ſequeſtraſſe, & ſibi regimen & adminiſtrationem civitatis ſub nomine . . . uſurpaſſe. Hæc autem res, unde ortum habuerit, paulo altius eſt repetenda (1) At Cæſar hujus novitate rei plurimum animo turbatus, non tamen ab itinere deterritus, illico illud proſequendum magis arbitrabatur; & mox altera die, B quamvis admodum feſtiva ac celebri ob feſtum aſſumptionis glorioſæ Virginis Mariæ, quod tum inciderat, celeri motu cum omni, qui ſe per anguſta viarum, & clauſtra Semerini montis magna parte præceſſerat, ornatu, in Novam Civitatem contulit; aciebus ac turmis tam equeſtrium quam pedeſtrium ac quadrigarum ex more in ipſa planicie ex . . . Schadiviennam in agro villæ Werden, quæ uno ab inde miliari diſtat, in occurſum & ad aſpectum adventantis Cæſaris præparatis: & partim præC cedentibus, partim ſubſequentibus, ac ex latere ipſum quoque obſervantibus. Perpulchrum atque jocundum cernere fuit gentem non ſane contemnendam, ſed omni armorum genere ſplendidam. Eo vero in loco, quo gentes ipſæ Cæſari occurrerunt, inter progrediendum duo ſimul viſu jucunda accidere ſpectacula: in medio enim campi, & agris patentibus quidam inter equitum turmas ſurrexit lepus, & quum multi canes venatiles & alii adeſſent, ſicut eſt

(1) *Nec plura in Mſſ. quæ lacuna ſimul & ſuperior ad Pontificem epiſtola opus hoc ab auctore haudquaquam perfectum fuiſſe, indicant.*

eſt mos nobilium illos ſecum ducere, omnes illum ſunt ſubſequuti, & jam hac, jam illac iter deflectens tandem ante aſpectum Cæſaris ſubſtitit, & quaſi ad aſylum Principis confugiens: dum Cæſar, ut eſt ſua natura pius & manſuetus, ac hujusmodi innocuorum animalium plurimum adamator, manu, eum inſequentes, prohibens tandem, dato ſibi abeundi ſpatio, omnibus videntibus atque admirantibus & eum inſequentibus, aufugit, & in locum tutum ſe recepit: aberat enim non procul alveus aquæ percurrentis, in quo pleraque dumeta & ſalices erant; in quas ſe recipiens omnium conſpectibus diſparuit. Eodem fere momento, quo hoc leporis ſpectaculum erat, niſus ſylveſter, quem Sprinzam vulgariter dicunt, alaudam quandam, ſtrepitu equorum ex agris ſeſe levantem, inſequutus eſt; quam huc atque illuc ſub omnium oculos inſectando, nusquam ſub uncis comprehendere valuit; quamquam ſæpe ſæpius illam prendidiſſe videretur, donec eadem avis ab alto ante ora Cæſaris deorſum, quaſi alis dimiſſis, procumberet, & quaſi ad Cæſaris quoque ipſam tutelam confugeret, ita ſubſtitit, ut ſeſe manibus cujusdam prendendam committeret; qui illam Cæſari præſentavit. At ille aliquamdiu eam manu geſtans, cum vidiſſet, ne ab alite eam inſequente in aliqua ſui parte læſa foret, quum eam adhuc intactam reperiſſet, libertati priſtinæ reſtituit, & in nemore ac arboribus, quæ de prope erant, evolare permiſit: quæ duo ſimul auſpicia, ſive auguria, varii vario modo interpretabantur. Ego vero, uti mente cogitaveram, ita poſtea evenit; ratus id omen eſſe, Cæſarem parſurum ſua pietate & indulgentia hoſtibus ſuis, & illis potiſſime, quos digna pœna plectere potuiſſet. Sicut & fecit, quamvis multorum hæc indulgentia malorum poſtea occaſio fuerit, & illis audaciam dederit, majora ac graviora adverſus ſuam Majeſtatem committendi; prout latius in ſequentibus proferemus. Vt vero Cæſar Novæ Civitati appropinquaret, omnes in ſuo ordine intrare juſſi ſunt. Imprimis alter e duobus fratribus Vngnadiis Chriſtophorus, qui ſuam ac fere per ſe ſatis ornatam turmam habebat: altero Georgio, ipſius Germano fratre, qui marſchalchi officio fungebatur, & apud Cæſarem manente, qui reliquos ordines in ingreſſu urbis obſervaret. Nos tamen cum plerisque ſociis noſtri ordinis ac profeſſionis, qui Cancellariæ officio incumbebant, Cæſarem anteceſſimus; quia noſtrum non erat armatæ militiæ intromiſcere; ſimulque, ut pulverulentiam & equorum ſtrepitum & calces devitaremus. Occurrerunt enim ei eodem die plerique ex nobilibus & magnatibus Auſtriæ, ac Novæ Civitatis magiſtratus & cives in magno equeſtrium apparatu. In primis & ante omnes Andreas Paumkircher, homo giganteus, Paſemeyer Spang, id eſt comes, eo enim apud ruſticos vocabulo vulgo appellatur, quod ego ab Hiſpanis quondam divi Trajani, aut Theodoſii temporibus, qui ab Hiſpania originem duxerunt, &, ut plerumque fieri aſſolet, per ſuos conterraneos, qui provincias forte illas rexerunt, nomen a gente ſortiti erant, & usque in id tempus retinuiſſe. Et hic quidem vir magnanimus, qui in curia Cæſaris a puero relevatus ætatem

tem non ſegnitiæ aut inertiæ, ut plerique alii, ſed rei militari operam dedit, & ſummus evaſit. Hic autem Cæſari ante alios apud forum Nawkirch obvius fuit. Poſt hunc Henricus de Puchaim, Georgii quondam filius, qui ex caſtro ſuo Liechtenrud, quod paulo ſub nova Civitate ſitum eſt, ubi Cæſaris adventum præſtolabatur, eadem die Cæſari cum ſuis ſeſe obvius præſentavit ſatis cum ornata cohorte. Dehinc Georgius, a vulgo Fugiſo, miles Atheſinus, marſchallus curiæ, quem Cæſar inde abiens pro cuſtodia oppidi dimiſerat; & cum eo Sigismundus de Sporo, Capitaneus civitatis a Cæſare deſignatus, una cum reliquis nobilibus, qui pro civitatis cuſtodia illic morabantur. De hinc Burgæmagiſter & Judex cum civibus; ut quique conditionem ſui generis ac gradus ſibi convenire arbitrabatur; deinde reliquum vulgus utriusque ſexus viri & mulieres, atque utriusque etiam legis ac teſtamenti, ſacerdotes & hebræi, quorum magnus in ea urbe extat numerus, eo quod nusquam alibi locorum in Auſtria manere eis permiſſum eſt, & ex omni provincia, præſertim Bavaria, ſuperioribus annis pulſi ad Cæſarem veluti ad ſuum Dominum . . . ac peculiarem confugerunt . . . quin etiam magnum eorum Rabi, & ſummum ſacerdotem, illic habere perhibeant; ut bene de ſua tutela & protectura magis inibi confidentes. Dehinc pedites, ac ſcutiferi, duobus aut tribus ordinibus ac rotulis inter ſe diviſi, ad numerum fere duorum millium & ſupra, currus & quadrigas anteire juſſi ſunt. Mirabile dictu, quanta ea die pulverulentia omnium fuit; erat enim tempus ſiccum & aduſtum, quale in medio Auguſti eſſe ſolet; nam intra plerosque dies non pluerat, & campus omni humiditate exſiccatus, itinera vero ſtratarum ſupramodum pulveribus obſita: quo factum eſt, ut unus ſolus confecerat pulverem excitare, ut omnes, qui eum inſecuti ſunt, pulvere conſperſi & adeo obſiti fuerunt. Illis præeuntibus, & lento, ut ſolent, paſſu progredientibus, Cæſaris ingreſſus fere usque ad noctis crepuſculum dilatus eſt. Fecit hoc etiam, quod litteræ, quæ in ipſo itinere allatæ ſunt, & novitatem illam Viennæ factam, & eorum, qui illam fecere inſolentiam, in dies magis ac magis augeri nunciabant: quas communicato in campis conſilio Cæſar his, qui aderant, Comitibus & Baronibus patefecit, ſimulque cum eis conſultatus eſt, quid poſtera die eſſet facturus: an inceptum proſequi & recto itinere Viennam properare, an vero apud Novam civitatem die uno vel pluribus conquieſcere? urgebat autem res Viennenſis, quæ acceleration em deſiderabat, præſertim quia ſereniſſima Leonora Auguſta, de Regio Portugaliæ ortu, Cæſaris conſors, una cum filio infante illic erat; ne forte contra illam, ac etiam captos cives, qui illic aderant, ac eos conſules, quos interceperant, aliquid deterius molirentur. Sed vicit ſententia plurimorum, Cæſarem aliquot diebus illic ſubſiſtere debere, & reliquos, qui adhuc in itinere forent, ibidem expectare; ſimulque Imperatricem & conſules, qui Viennæ eſſent, de ſuo adventu certiorare, ut ex eis ſaperet & intelligeret, quo in ſtatu res omnis ſita eſſet, quid-

ve

ve illis circa ejus acceſſum illinc conſultius videretur, Interim vero, qui ſecum aderant, ſibi & equis ac cæteris, quibus egerent, providere, ac ad reparationem ut . . . eorum, quæ in itinere deferrent, intendere poſſent; ſicque factum eſt. Aderant ſapientes, qui, uti ex veteri eorum jure & privilegio ſibi deberi contendunt, primas acies & dexterum cornu tenebant ad numerum, ſicuti cenſebantur, mille ducentorum equeſtrium; quorum ductores fuere Nicolaus de Lichtenſtein de Moravia, quem probum, ſive bonum cognominant vulgo; unus ex primoribus Baronibus Styriæ, cui unus ex militaribus additus erat, Georgius de Kunach, homo armorum & conſilii non expers, poſt eos Karenthani ad numerum nongentorum vel circa, ſimiliter equeſtrium; quorum ductores fuere Georgius Vngnad, de quo ſupra, & Sigiſmundus Krentyer, vicem gerens Capitanei & provincia Karenthana inſequens. Prima fronte ſeſe efferebat, vir militari peritia & ſpendore egregius atque pugillaris, Gaſpar Aſpach, tam proceritate corporis, quam animi providentia nulli ſecundus, qui multo tempore apud Suevos atque in Galliis antea militaverat, quorum armatura atque induviis quoque utebatur. Tertio vero loco his Carniolani ſucceſſere, ad numerum quingentorum equeſtrium exiſtimati, quorum ductor erat Georgius de Gray, quod nomen a Grais, id eſt Græcis, trahere autumant; quodque ab illis originem fere ducant, quæ omnia more Græcorum noſtra in re terminari dinoſcuntur; homo inprimis nobilitate & generoſitate ſanguinis pollens. Cujus majores ſemper in armis ſtrenui, & temporibus priſcis plerosque magiſtratus inter armatos militiæ & in conſiliis Principum primarii ſemper habiti ſunt: inter quos medius incedebat Cæſar cum ſuis Curialibus & aulicis, quorum habebat & ipſe prope vel ſupra numero quadringentorum: Sicque tota armatorum militia circiter ſex milium equeſtrium ac peditum fuiſſe exiſtimatur, præter eos, qui currus ducebant, & alios extra ordines vagantes, uti ſunt presbyteri, cantores, capellani & adoleſcentes, quos ſupernumerarios vocant; nec parvum meretricum ac lixarum atque calonum numerum vidiſſes. Erant plerique currus, qui ſuam quisque ducebant, ac ſupra quadrigas ipſas ſinguli galli erant, ita enim in exercitum progredientibus mos eſt his gentibus; quorum cantu diurnas nocturnasque horas intelligunt: ſimul ut ſpeculo pugnæ inter illos pro vadio ſæpius indictæ utantur, ut, qui fortem magis gallum habuerit, fortior ac ſuperior in bello habeatur, quaſi augurium inde aſſumentes: quorum curruum numerus ad ſummum quingentorum vel ultra fore recenſitum eſt. Hi omnes ea die ante occaſum ſolis intra mœnia recepti, & absque ſtrepitu aut contentione aliqua hoſpitio locati ſunt: mane autem omnes ſufferrationi equorum, curruum reparationi, ſimulque armaturæ cuiquam diruptæ operam dabant. Currus tunc majores pro deducendis bombardis & reliquis oneribus adaptati ſunt. Nuncius vero ante mediam noctem ad Auguſtam aliosque Cæſaris conſules, ſicuti in campis deliberatum erat, emiſſus eſt, qui ante diem nonum de adventu

Cæſaris usque Viennam reportavit. Ad cujus famam Viennenſes territi, &, qui tum illic aderant, provinciales pro diæta illic tenenda congregati, quo pro communi pace patriæ conſultarent: verebantur enim, ne Cæſar, cum tali potentia adveniens, vindictam adverſus eos, qui ei rebelles fuerant, qui plerique tum illic aderant, ſumpturus eſſet: quam ob rem Viennenſibus ſuadent, ut unanimi quosdam ex ſuis cum nonnullis a ſe delectis ad Cæſarem mittant, qui eidem pro communi pace patriæ ſupplicarent, ſimulque rem ſuam de geſtis contra veterem conſulatum purgarent & cauſas edicerent, quibus ad ita faciendum permoti eſſent. Acquieſcunt igitur, ac ex parte provincialium eliguntur ex prælatis præpoſitus monaſterii Sanctæ Dorotheæ intra muros urbis; ex Baronibus Rudigerius de Starhemberg, vir magni conſilii, juſti amantiſſimus & æqui; Bernhardus Drugiſſer ex militaribus. A parte vero Viennenſium Johannes de Kirchaim, phyſicæ & chirurgiæ Doctor, ex partibus Sueviæ oriundus, & Odenakher ex Bavaria: ita enim fit, ut pauci incolæ Viennenſes proavos ſuos habeant, ſed ab exteris potius nationibus habitetur & incolatur; cum reliquis duobus e plebe, qui harum rerum inter ceteros primi motores fuerant. Reliquarum vero Civitatum ſive oppidorum ex Noviburgo forenſes ſive frumentario, quod ego a Carino, Numeriani Cæſaris fratre, nomen habere conjector, quod Jordanum illum a Diocletiano Imperatore apud Margum flumen & oppidum ejusdem nominis . . . referant, judex loci & ex oppidis Krembs ac Stayno, quæ uno reguntur conſilio & eisdem magiſtratibus propter eorum vicinitatem, quidam dictus: hic præmiſſo nuncio, qui pro primis tribus dumtaxat ſalvum conductum expeteret ac deferret. Nam Viennenſes, nil mali ſeſe egiſſe arbitrantes, ceteri vero Vrbani, veluti Cæſari adhuc parentes, nihil etiam egere rati ſunt. Tertia ſequenti die Cæſarem apud novam Civitatem morantem adiere, quo forte illum illic remorantem diutius tenerent, & ne aliter quam pacificis venire deliniſſent, vel ſaltem ipſius, ut arbitror, arcem qualis eſſet, explorarent. Quos Cæſar altero die publica audientia excepit, & benigne in ſua legatione audivit. Tum Rudigerus de Starhemberg præſentatis primo ex more litteris credentialibus, & recommendatione & oblationibus ſolitis præmiſſis, ita orſus eſt. Sereniſſime Cæſar, & (ut eſt moris noſtræ gentis in exordio proloqui) gratioſiſſime Domine. Satis conſtat Majeſtati tuæ, quæ nam ego cum collegis nuper apud . . . pro pace patriæ inſtauranda egerim, in quo tuam a petitis Celſitudinem minime abhorrere cognovi. Retuli ea patribus & cæteris provincialibus, qui ea gratiſſima habuere. Qui cum poſtea quamplures diætas apud Sanctum Hippolytum apud Tullnam, & nunc Viennæ tenerent; in qua omnes pariter . . . decreverunt, amplius in hac turbatione patriæ nolle ſtare, ſed inter ſe communem pacem obſervare. Rogant igitur Majeſtatem ſuam, velit huic eorum voto annuere, & in hujusmodi pacem conſentire. Requiſierunt enim pariter illuſtrem Germanum tuum Albertum Archiducem, qui licet alias ab ea diſſentire videretur,

tur, nunc tamen bono omnino animo acquievit, & equidem una vobiscum perſiſtere intendit. In quo tua quoque Celſitudo non velit abnuere, intuerique ultimam patriæ deſtructionem, villas exuſtas, agros depopulatos, urbes exhauſtas, & omni negociatione expertes: quod & Majeſtati tuæ ad gloriam, & patriæ ad utilitatem non modicam erit profuturum: gentes enim habita pace, quod pro veſtra & germani compoſitione per provinciales faciendum erit, omni ſtudio & cura proſequentur, ut & in æqua pace & benevolentia conſiſtant. Hæc fuit ſententia oratoris Rudigeri. Dehinc Johannes de Kirchaim præfatus, litteras ſimiliter credentiales in perſona ſui & alterius collegæ obtulit ſub nomine duntaxat Viniantorum, ſic eos vocant, qui ex plebe ſelecti ſunt, & majori fide & exiſtimatione habentur; & communis plebis, non autem Burgimagiſtri, Judicis, ac conſulatus, ſicut ex more fieri ſolitæ, erant. Quibus perlectis idem Johannes medicinæ aut chirurgiæ, utriusque enim artis peritiam profeſſus erat, magis quam perorandi facultate gnarus, multa licet corrupte, inſulſe ac inornate ad pacis exhortationem, ac de illius commodis & incommodis, quæ Cæſari ex hoc evenire poſſent, magis vere quam ornate in medium retulit. Dehinc alter collega Kararius, majori eloquentia præditus, ſolet enim hoc genus hominum plerumque eloquentia ne dicam . . . eſſe multa, in eam partem pro ſua & aliorum excuſatione, quod Burgimagiſtrum & conſulatum manucepiſſent, allegare, quæque illis cauſæ & occaſiones non leves extitiſſent, & diutius hæccine ab illis gravamina tolerare potuiſſe, neque id ad contemptum aut offenſam ſuæ Majeſtatis feciſſe, ſed ut rem publicam civitatis & bonum publicum fidemque erga eum ſuam ſalvam eſſe voluiſſent. Adduxerunt autem potiſſimum cauſas aliquas, quas hic referam. Inprimis graves illas ac intolerabiles Steuras ac impoſitiones factas; infinita debita contracta, grave æs alienum, & inter hæc omnia maximam inæqualitatem inter ſe & reliquam plebem habitam; ſibi ipſis omnia bene acta tum maxime conſervatione ſtatus ac civitatis anno priori adverſus oppugnationem urbis aſſcribere, veluti non niſi duo vel tres ejus rei curam & meritum & non totus populus, qui die noctuque corpora & animas ſuas, ne dicam omnem ſubſtantiam ſuam, hoſtibus objecerunt, de Potelmo & Taslerio dicere volentes, qui principales urbis cives & conſilii & omnium rerum actores eſſe ac videri vellent. Multa hujuſcemodi, quæ omnia & multa alia coram Majeſtate ſua ſuo tempore deducere & vera comprobare vellent. Eos autem manu cepiſſe, non ut quicquam erga eos ſeveritatis ac crudelitatis facere vellent aut ultionem, quam meruiſſent, ex eis ſumere, ſed ita conſervare, eosque ad præſentiam ſuæ Majeſtatis, & audientiam inter eos ſtatuendam, neque aliud quicquam adverſus ſuam Celſitudinem attemptare velle, quam quod honoris ac illibatæ fidei ſuæ erga ſe evidens eſſet teſtimonium allaturum. Hæc omnia ultimo annectentes, quod Serenitas ſua eis annuere vellet, ut & ipſi pariter cum aliis tribus ſtatibus Patriæ, hoc eſt Prælatis, Baronibus & Militari-

taribus, veluti quartum Civitatenſium atque oppidanorum ſtatum, coadjungere, & in ea communi pace patriæ præconcepta perſiſtere poſſent. Salva tamen ſemper fide & obedientia, in qua ſuæ Majeſtati & ejus hæredibus eſſent obligati, a qua nequaquam recedere, aut eandem præterire deliberaſſent, ſed fideliter ac inviolabiliter cum ſua Majeſtate perſiſtere & perdurare, neque unquam de alio Domino cogitaſſe ſive cogitare, præter ſuam Imperialem Majeſtatem. Quæ omnia Cæſare quo recepit animo, & ſumpta deliberatione, pauca pro tempore reſpondere juſſit, poſtea magis deliberate ad ea omnia reſponſurus. Interea reſponſa ac litteræ a conſulibus Cæſaris, qui Viennæ erant, venere; quibus Cæſarem hortabantur, rogabant, & omnimodis rationibus perſuadebant, ut absque mora eo venire properaret; multas in dies novitates a popularibus machinari & quotidie nova conſilia cum provincialibus, qui illic erant, & hoſtes diffidati ſuæ Majeſtatis forent, capere: ipſis, ac inprimis Sereniſſimæ Dominæ ac filiolo ejus, cæterisque fidelibus tam civibus quam aliis periculum imminere: multos inter cives fore, qui cum eis non ſentirent & ultro ſibi occurrerent, ſedulo apud illos practicari, ut ſe eis, qui hic eſſent, ex provincialibus diffidatis, colligarent & in unam eandemque ſententiam cum eis venirent. Vereri ſe, niſi celerius adventaret, vix res integras hic reperiret. Cæſar vero, audita legatione illorum, dubius, quid eis reſponderet; timebat enim, ſi id negaret, animos omnium graviter offenſurus, ſimulque quod pacem, quam ſemper habere deſideraverat, repudiare non videretur. Ex adverſo vero veritus, ne ea pax latentis doli & mali haberet, veluti qui pacem inter ſe habere conſtituerunt, & ipſe, qui jam paratus ad bellum venerat, & ut caſtra & oppida, quæ frater evicerat, vel quæ æſtate præterita defecerant, recuperaret; de quorum reſtitutione nil dicebatur, ſimul Cæſaris propoſitum interverterent, & qui belli auctores extiterant, pacis etiam auctores, cum ſibi viſum eſſet, cum Cæſaris & ſuorum jactura eſſe quoque viderentur. Quocirca diu hinc inde circa capiendum conſilium mutabundus oratores ipſos per tres dies tenuit, ne illis reſponderet; cum illi moram hujusmodi graviter tolerarent, atque quarta die quererentur, ſimulque ex his, qui Viennæ erant, & eorum, quæ illic agerentur, magiis conſcii eſſent, conſilii cogitandi cauſa, qui multa in his rebus latentia, atque doli plena eſſe ſignificabant, ſuadebantque, ut Cæſar neque pacem reciperet, neque illam etiam recuſaret; ſed ne una cum eis Viennam venturum diceret, atque illic ſuo & aliorum conſilio pacem ſibi honeſtam & acceptabilem atque duraturam non eſſet refutaturus; idque demum quarta die poſt eorum adventum eis in aperto reſponſum fuit. Viennenſibus vero per diem ante, quia & illi nuntium eodem ſero acceperant, quo cum Majeſtate ſua ſecretius loquerentur, petebant, cujus hæc ſumma fuit: Ducem populi & alios, qui cum eo erant ad providendum rebus civitatis ordinati, orare Majeſtatem ſuam, ut per dies aliquod apud Novam civitatem diutius moraretur, quo ſe ad præparationem

ejus

ejus condignam & ſuorum eo commodius parare poſſent, & ne rebus ita impromiſſis Serenitas ſua, & qui cum eo venturi eſſent, aeris & hoſpitiorum incommoda non paterentur, ſimulque ut ſubitus ſuæ Majeſtatis adventus provinciales illos, qui illic erant dictæ gratia, quibus jam fidem præſtiterant ſalvi conductus, deterreret, quo infectis rebus modo decedendi cauſam haberent. Quibus Cæſar ea nocte ſolus ipſe reſpondit: Multam eis gratiam de ipſorum erga ſe fidelitate, & erga ipſius Conthoralem & filium, & ejus filium in ejus abſentia habita, quos ipſorum potiſſimum fidei commiſerat atque crediderat; nunquam ſe hujusmodi beneſactorum immemorem aut ingratum futurum, ſed condignas ſemper gratias eis habiturum, multa etiam ad illorum mitigationem animi perferentur, ac rem rebus illis magis conducere ac convenire, quam ut illic conſortem & filium viſurus iret: quos multo tempore præter & contra affectum conjugalem reliquiſſet, nihil ſe mali aut punitionis ſeu vindictæ ab eo timere, ſeſe omni gratia & benevolentia illuc iturum repromiſit: deque rebus aliis, pacem patriæ, & quicquid pro bono rei publicæ atque civitatis agendum foret, eorummet conſilio & arbitrio peracturum: quibus verbis adeo demulciti ſimiliter & animo inclinati, ut magno cum gaudio ſummaque lætitia a ſua Majeſtate diſcedere proteſtarentur, pollicebanturque nuntium illum, quem eodem fero acceperant, craſtino ſummo mane cum eis bonis novis remiſſuros. Hæc ſolum eos commonefecit, ut ante omnia curarent, ut nihil interim novitatis aut conſilii civitas ipſa cum provincialibus caperent, quod ad præjudicium ſuæ Majeſtatis vergere poſſet, præſertim quoad fœdus, ad ligam cum ipſis ineundam: quod illi ſe ultro facturos curaturosque promiſerunt: ſeque Cæſar eis dimiſſis in craſtino eis pariter cum aliis reſponſurum edixit, quemadmodum & factum eſt. Nam vocatis eis, qui pro parte provincialium erant, mane, miſſa finita, publice eis reſponſum fuit: Cæſarem ſemper pacem optaſſe, neque hujus aut alicujus unquam belli principium, aut auctorem ſe fuiſſe; fratrem & eos, qui cum eo ſenſerant, ultro illi bellum intuliſſe, coactum eum ſe ſuaque tueri: nihilque magis quam pacem deſiderare, ſeque eo pariter cum ſuis provincialibus animo veniſſe, non ut patriam amplius armis laceſſeret, ſed ut injuriantibus obſiſteret, in quo illi ſibi auxilia laturos promiſiſſet, pacemque honeſtam & ſtabilem nusquam refutaturos. Verum cum jam ea ex re provinciales illic congregatos intelligeret, ſeſe illuc conferre pariter cum eis, veluti pacificum principem & pacis amatorem, velle; neque ipſius adventum in aliquo ſubvereri quemquam oportere: nam & hi, quos ſecum ducebat, & ipſos ejusdem animi eſſe, neque niſi communis pacis amatores exiſtere: provincialibus vero, ſibi adhuc hoſtibus ac diffidatis, ſalvum inibi conductum ad tempus præſtare velle, & illic una cum ſuis ac illis de communi pace, bono rei publicæ conſultare, & ad omnia ſe æquanimiter præſtare, quæ ad communem pacem & bonum patriæ ac Civitatis & omnium ſuorum conducerent. Atque eis ille tunc inſinuat, ſe die craſtino bono

mane iter aſſumpturum; ſicque omnibus, qui aderant, palam & his præſertim, qui capita aliorum erant, denuntiatur, & in craſtinum ſummo mane ad ſonum tubæ parati eſſe jubentur. Marſchallo vero, qui tum alterius videlicet & Vulperi tunc languentis & ægroti vicem agebat, Johanni Prinſengero militi egregio ac ſtrenuo, ex Bavaria oriundo, qui multis annis in curia Cæſaris militaverat, & pleraque militiæ ſuæ inſignia præbuerat, mandatur, ut currus ac impedimenta ſingula præire tempeſtive juberet, quo cæteri facilius exire portam absque mora & obſtaculo poſſent. Mane autem ſtatim duabus ante diem horis tubicines ſignum dant, & omnes ſe ad iter accingunt. Currus & pedites extra mœnia præcedunt, equites vero per ſingulas turmas ſuas pedetentim egrediuntur. At vero extra mœnia in plano omnes conſtitere, ibique Cæſarem operiuntur, quo adventante, currus ac pedites cæterique ordines ac turmæ, ut nuper in eorum ingreſſu ordinati fuerant, per vices ſuas ire jubentur. Die vero præcedenti Cæſar nonnullos ex conſilio ſuo cum oratoribus præfatis Viennam præire ſtatuit, qui Auguſtæ ac cæteris adventum ſuum nuntiarent, ſimulque de his, quæ oratoribus reſponderat, ac civibus promiſerat, fidem facerent; inter quos & ego eram. Reliqui Hainderichus Druſſes, vir canitie ac prudentia non expers, & alter . . . Bebringer, miles ſtrenuus, adjunctis ſibi & nobis per Majeſtatem ſuam quinquaginta aut ſexaginta equitibus, reliqua multitudine etiam expedeſtribus, qui pro accipiendis Viennæ hoſpitiis, præcurrebant. At nos relicto Cæſare pariter omnes incedebamus, præmiſſis tamen per Rudigerum nuntiis, qui tamen ſibi quam nobis de ſalvo tranſitu a gentibus ducis, qui apud Berdesdorff, morabantur, providerent, & in itinere occurrerent. Johannes vero Kirchaim, Odenagker, & ceteri Viennenſes, nobis poſt terga relictis, citius præcurrere Viennam ſtatuerunt, ut concives, & eos, qui eorum reditum præſtolabantur, de noſtro Cæſaris adventu aviſarent. Illis vero apud molendinum Theofili, quod ſub villa ſeptem paſtorum, ſic enim vulgo illam appellant, ac parum ſupra in colle euntibus & unum ex his, qui eos ſalvos ducere præmiſſi erant, ſecum habentibus, ab Othomis, qui ex eo loco erant, invaduntur, nudantur, ſpoliantur, & usque ad forum ipſum captivi ducuntur: ubi dum a nonnullis oppidanis recogniti eſſent, a manibus illorum ſunt liberati, quo factum eſt, ut nos recto itinere Viennam properantes illic ante illorum acceſſum adventaremus. Vnde Viennenſes, & illi maxime, qui novitatis hujus cauſa fuere, accepta fama de Cæſaris aditu, ita exterriti, poſtquam nos cum aliquanto equeſtrium ac curruum, qui ſe nobis junxerat, numero apropinquare vidiſſent, ſubito ad ſonum campanæ arma arripiunt, portas obſtruunt, & neque Cæſarem, neque ſuos intromittere decernunt: vulgatum enim erat per urbem: Cæſarem legatos ſuos cepiſſe, ac capite plectere decreviſſe, ipſumque cum toto ac ipſo quidem valido electiſſimorum hominum exercitu approximare, & jam acies ordinaſſe, ut urbem ex improviſo & per inſultum capiat & ingre-

grediatur, deque eis omnibus ſupplicium ſumat.

Wolfgangus Holzer, quod latine lignarius ſonat, quidam homo mediocris conditionis, attamen audax, & magni animi, qui negotiationem boum & equorum & aliarum mercium in Hungaria exercere ſolebat, alias ſatis locuples effectus erat, Vlrici Eizingeri quondam partialiſſimus, cujus opera plurimum in Civitate tutus, cum de expellendo Comite Cillegiæ ageretur, uſus erat, atque ob id poſtmodum in gratiam redeunte una cum ceteris duobus Oswaldo Reicholfo & Jacobo . . . quod latine Ciconia ſonat, in carcerem truſus, & rebus ac fortunis omnibus exſpoliatus, atque ob nonnulla probra, in Comitem & ejus amaſiam ſcripta vel dicta, graviſſime tormentis cruciatus, vix capitis diſcrimen evaſit, ſuaſu ac tractatu id Conrado Holzler, quod eſt diminutivum lignarius homo, ſtrabo & omnium peritiſſimus & ſatis ſubdolus, tum apud Regem & Comitem potens, & in officio magiſterii Hubarum, hoc eſt reddituum, commune quod eſt omnium officiorum præcipuum, & Simone Potel ac Nicolao . . . quos ille ſimiliter de hac re noxam habere . . . in odium & ob gratiam Eizingeri præfati, cujus factionibus erant contrarii, ob cujus rei vindictam, hanc omnem annuentibus & coadjuvantibus ſibi plerisque civibus, plebeis, & mechanicis, ac artium prioribus & Zecharum, uti hic vocant, magiſtris, quos multo ſibi ad hanc rem conciliavit, & ad rem ipſam aſtipulatus eſt; tum etiam præcipue duobus ſupra nominatis: quorum alter abdicata ſcola civilibus factionibus ab ineunte ætate ſua adhuc ſcolaris ſtuderet, tum ob inſigne odium in Nicolaum præfatum contractum, quod illum quondam judex in carcerem ob ejus inſolentiam detruſerat. Alter vero ſui dicacitatem, quod plebis advocatus, ut qui eorum voluntatem plerumque in publico exponeret, ac ſibi ipſi majorem in urbe locum mereri videretur, neque eo absque novitate ſe pervenire poſſe arbitraretur, & quod plerique ex eis magno ære alieno premerentur, alios vero abundare bonis & ſe egere intuerentur, quo ſe aliorum expilatione locupletari facile poſſe confidebant; quibus etiam adjutores & præcipue conſultores fuerant Johannes Mayburger quondam . . . hoc eſt ſanguinis ſcriptor, qui ut ipſe partium Eizingeri ſemper ſtudioſus fuit, & Cæſari moleſtus atque infidus, quamquam ab eo pro ſcriba officiorum ſalariatus, & alter Johannes Schalanter . . . quondam apud Chymenenſem Epiſcopum Cancellariarum Taxator & hujus in officio ſucceſſor fidelitate juratus, qui partium Sigismundi multum deditus erat. Hi omnes adverſus Burgimagiſtrum & conſulatum veterem conſpirarunt, & conciliatis ac accitis pluribus ex plebe infimæ conditionis hominibus, & maxime artificibus, inſultum adverſus eos fecerant, ut eis in prætorio Civitatis, ubi conſedentibus pro agendis publicis conſultibus, ſubmiſſis quibusdam audacioribus, utpote Johanne Kirchaimo prædicto, & aliis numero viginti quatuor cum paucis antea diebus, licet ab eis aliquantulum diſſentire, & eis contumaces eſſe viderentur, ſeſe illis fideliter atque humiliter deinceps parituros ac obedien-

dientes pollicebantur, ſubordinatis in domo . . . atque collaterali plerisque armatis, & ipſis quoque arma ſub chlamydibus ac palliis habentibus, nulla alia occaſione reperta, quam quod cuidam nobili matronæ, . . . quæ eis pro oneribus communitatis ſupportandis mutuum mille florenorum ſeu librarum dederat, ob cujus gratiam eidem viciſſim aliquot vaſa vini in Hungaria nati, quod intra civitatem ac patriam prohibitum duci erat, diſpenſative pro tempore indulſerant, & quod ſatis diu jam eos rexiſſent, velle autem & eos regere atque in pulvinaribus, ut eſt mos eorum, conſedere, omnes ex ordine turrim, quæ eſt eidem conſiſtorio contigua ac collateralis, ad quam ex more cives pro ſuis exceſſibus corripiendis poni conſueverant, ingredi jubentur. Et Johannes ille veluti aliorum conflagerius principalis, Nicola Teslerio, cujus æſtuabat livore, tu, inquit, primus ingredere, qui & me prius quoque ingredi coëgiſti & jam tempus reddendi tibi vicem advenit. Dehinc & reliquos omnes nullo dempto, quibus obſeratis & cuſtodibus eis adhibitis, illico per Civitatem vulgatum eſt, conſulatum captum atque in carcere clauſum, ad quam vocem omnes artifices, & hi præſertim, qui harum rerum conſcii erant, apothecas & domos claudere, arma corripere, & recto itinere ad locum prætorii feſtinare, magnisque ſucclamare vocibus, ut omnes neci traderentur. Verum hoc ſolum in impio facinore pium erat, ut non illico in quempiam illorum ad nutum plebis ſævierint, & manus a cæde & ſanguine puras conſervaverint. Affuere enim ex omnibus artibus inſolentiores quidam ac magis temulenti; erat enim hora plusquam meridiei, quo multi jam vino & æſtu incaluerant piſtores, carnifices, & ceteri, qui plerumque legem ſibi ſtatutam in quantitate aut pondere ſeu pretio rerum, a magiſtratibus ſtatuto, prætergreſſi ab eis puniti, ac ære mulctati fuerant; hi præcipue contra Oswaldum Reycholfum . . . hominem ſobrium, ac inter omnes, qui Viennæ nati ſunt, vino abſtinentem . . . atque idcirco inter ceteros prudentiſſimum, rerum civilium plus omnibus expertum & ſciolum, qui plurimum in corrigendis illorum vitiis & moribus conatum & operam dederat: atque Nicolaum Teslerium, veluti ſeverum aliis, ac nulli prorſus in pœnarum inflictione parcentem, majori fervebant odio atque diem ultionis ſibi affore publice proferebant. Verum in tam audaci & impio facinore hæc ſola pietas eis fuit, ut nihil ſævitiæ in illos pro plebis nutu permiſerint; ſed manus a cæde & ſanguine innocuas conſervaverint; verum pro ſedando tumultu: & quia hoc quoque magis populo ac ſibi infeſtos ſciebant, prædictos ambos ſcilicet Reycholfum & Teslerium, & cum illis alios duos ſcilicet Vlricum Heyner Magiſtrum fabricæ eccleſiæ Sancti Stephani, virum jam vetulum, probum atque devotum, & non niſi eccleſiæ commoditatibus incumbentem, in quem ob nil aliud ſævitum eſt, ac prædictis duobus, quam quod . . . conjunctiſſimus eſſet & familiaris, & alius, quidam Johannes Kaufdorffer, homuncio adeo ſagacis ingenii, & in inſtruendis ædibus, fabricandisque operibus adeo ſagax & induſtrius, cujus opera Comes

mes Cillegiæ & prædictus Holzlerius quondam plurimum usi erant, quique curiæ multum deditus erat: quo uno in apparandis dapibus & conviviis nemo in urbe festivior, & in omni genere facetiarum civilior, cui id solum vitii in plebe objiciebatur, quod alias falsam monetam fabricasset, ex quo tot opes totque ædes struxisset, quamquam id non compertum, vel indulgentia principis jam abolitum esset (ille ipse est, qui Gersonis domum suam, quam Sancti Angeli, vel ad aureum Angelum, ob receptum illic hospitio tunc Cardinalem Sancti Angeli Johannem Carvajalem. . . Portuensem voluit appellari ex testamento . . . una cum vicina eidem ex latere domo beneficio Cæsaris illis inter plerosque competitores dimissa, vel, quod magis crediderim, empta, seu maximis sumptibus extructa atque adeo extructa, ut nulla nunc in urbe politior atque ad habitandum splendidior atque commodosior habitatur) in arctiorem & minus dignam custodiam deducere statuerant, hoc est in turrem quæ est juxta portam Karenthanorum, quæ versus novam Civitatem Stirosque atque Karenthanos ducit, a quibus & denominationem habet: in qua plerumque cives & alii, in quos gravius animadvertendum censent, custodiæ traduntur. Igitur populo dimisso ac tumultu sedato, retentis apud se duntaxat tot armatis, quibus illos tute deducere, & illos ac reliquos custodire posse censebant; reliquis autem jussis ad arma paratos esse, omni, qua exposceret, hora: dimissis aliis in prætorio ac eis per Cameras distributis, prædictos quatuor nocte adveniente in turrim prædictam cum cohorte armata deducunt. Vina autem, quæ ex indulgentia Burgimagistri & Consulatus introducta fuerant, partim confiscant, partim vero in plebem distribuunt quo magis sibi illius favorem & gratiam conciliarent. Fama est quatuor vasa grandia, quæ plaustra vocant, quorum, quodlibet triginta duarum urnarum erat, brevi horula exhausta fore, adeo calor augustalis effervuerat. Neque illa ad extinguendam plebis bilem atque sitim sufficiebant, quin multo plura postmodum privatis quibusque civibus accepta publicataque fuerant. His igitur furiis ipse, & alii similibus mortis laborantes, qui plebem adventu Cæsaris perplexam ad arma concitant, portas ac turres observant, neque quemquam ingredi aut egredi permittant, nisi præstita eis fide, quod partibus suis adjumento esse velit. De Cæsaris adventu interea per urbem fama volante, nonnulli cives hoc nuncio exhilarati sese parant, ut Cæsari obviam pergant; inter quos erant duo . . . Aegidius pacem ejus quondam negociorum gestor & alter Aegidius Karbe & Nicolaus Kains duo quoque Civitatis Camerarii, major, qui & frater meus germanus erat, & meo etiam audito adventu mihi occurrens, & alter minor ejus collega nomine . . . ut infra suo loco prosequemur: hactenus sat est hujus rei . . . agnovisse & quo quisque affectu aut livoris odio in hanc rem adductus sit, qui extra portam nobis usque ad casam leprosorum equestres obviam venerunt, toracibus ac loci armatura induti & cum vexillis alii, cuspidibus, ut mos est gentis, appensis . . . avisantes nos minime ita fore

ingreſſuros, neque Cæſarem facile ingredi permiſſuros.

Nobis autem ad portam exteriorem aſtantibus, advenit ille cum cæteris ſuis armatus, galea capite coopertus, ad frontem aperta, ex qua verba indignabunda & furore plena verſus in nos emiſit, in hunc fere modum ajens. Quid ſibi vult hic repentinus veſter adventus & Cæſaris . . . ad inveniendum in Civitatem arma, quando nos vel minimo præaviſaſtis nuncio? Non ſic intrabitis, ut putatis, ſatis nobis compertum eſt, quo animo adveniat Cæſar. Non hoc meruimus, ut pro fide ac patientia noſtra diuturna, quibus non ſolum bona, ſed & corpora noſtra objectavimus, nos hoc modo ex improviſo invadere, nosque & urbem ferro & flammis tradere velit. Satis, inquit, ſcimus, cum quali apparatu veniat & Graunekher ac Paumkircher primam contra nos aciem ductitare, ac ſe primum inſultum facere pollicitos. Si veniunt, veniant; non nos ita ignavos ac timidos, uti ſibi perſuadeant, reperient. Quid ſibi vult hic exercitus, aut quo ei opus erat; nempe non ſic venire ſolitus eſt: ſimulque de captura illorum, qui civitati præerant, multa prolocutus ſeſe id eorum exigentibus demeritis effeciſſe; quos ſi Cæſar tantopere liberare ex eorum manibus feſtinaret, facile eos permoveri, ut illos ſibi absque capite extra urbem traderent, atque pro vivis mortuos repræſentarent. Illico nobis parumper ab illis averſis, in fidem ſuam acceperunt, duobus duntaxat exceptis, ſcilicet judice & ſuo Camerario, qui recto itinere ad Cæſarem perrexerunt, ac etiam meo majori Camerario, qui antea una cum conſulatu, quo & ipſe intererat, in fidem recepto, qui neque hoc animo exierat, ut Cæſari obviam iret, ſed ut officio ſuo ſatisfaceret, aliis idem facere volentibus; verum a me & reliquis meliori reſpectu diſſuaſis, quod forte in hoſtes incidere potuiſſent, ſimulque ne notam apud cives incurrerent. At Rudigerus pro ſua humanitate, primo non ſine nobis intrare urbem volebat, ſed ſe expectaturum, ut cum ceteris conſultaret & una intraremus. Cui nos pauca pro tempore benigne ac pie & ſine turbatione reſpondimus. Non uſus eſſe hujuſcemodi armorum ſtrepitu, nec venire Cæſarem adverſus eos indignabundum, ſed mitem & pium atque gratioſum Dominum eorum, neque alicujus vindictæ eis reddendæ cauſa, qui bene atque legaliter in fide Majeſtatis ſuæ perſtitiſſent, urbem conſervaſſent: Sereniſſimæ Auguſtæ & ejus filio devote paruiſſent: quæ veluti cariſſima in mundo pignora eis uti fidelibus ſuis credidiſſet. Neque ideo ſuum adducere exercitum, niſi ut eos contra hoſtes tueatur, & a malis & preſſuris, quas hucusque perpeſſi ſint, liberet, & pacem & tranquillitatem urbi ſimul & patriæ procuret & efficiat; ſi quomodo honeſtam & rebus ſuis ac ſuorum conducentem habere queat, quemadmodum ex Domino Rudigero & cæteris tum ſuis tum patriotarum legatis accepturi eſſent: quibuscum miſſi, atque præire juſſi eſſemus, qui hæc eis ſignificaremus, ſimulque fidem de pacifico & jucundo Cæſaris acceſſu faceremus. Quod ſi qua inter civitatem & eos, qui magiſtratui urbis præerant, ſimultas & contentio ſub-

orta

orta eſſet; Cæſarem, omni favore aut gratia ſubmota, curaturum, ut ea omnia plane & absque ſtrepitu judicii aut ſanguine componerentur. Quæ ipſe quoque Rudigerus & ceteri vera eſſe atteſtabuntur. Verum tamen hanc ſubitam Cæſaris acceleracionem non magnopere laudabat, quæ tum provincialibus illic congregatis, cum civibus non parum eſſet formidoloſa, ac ſibimet & ſuis incommoda. Ad illud vero quod diceretur, neminem hac cauſa nuncium præmiſſum, mirari nos plurimum; cum pridie quidam ex ſuis concivibus, qui ad Novam civitatem miſſus fuiſſet, cum hoc nuncio remiſſus eſſet, ac ſui legati dudum nos animo præceſſiſſent, ut hæc eis renuntiarent, quos hactenus nusquam comparuiſſe... At nobis colloquentibus, iidem ſupervenerunt, & ſe a Lichinis in Pertesdorff in itinere captos ac excuſſos querebantur, alioquin ſeſe ante horam vel duas maturius nos præveniſſe. Itaque introductis provincialibus & ſuis legatis ſeſe cum ceteris, qui ſub porta Caranthina eſſent, civibus ad hoc deputatis de noſtra immiſſione conſultarunt cum ceteris; neque id pro ſuo arbitrio facere poſſe affirmarunt. At nos hæc Cæſari per unum ex familiaribus Marſchalli nobiſcum præmiſſo nunciavimus, ut ſe ſecundum hoc regere & iter ſuum vel in remorando vel progrediendo conſilium inde capere poſſet. Mora igitur aliquantiſper facta rediit, & nos una cum propriis familiaribus noſtris, ſecluſis aliis, qui nobiſcum venerant, hoſpitiorum gratia introgredientibus duxit, data tamen ei fide, quod ſine offenſa Civitatis intrare, ac & quandocunque juſſi, exire vellemus; quæ nos habito maturo conſilio ita

A ſpopondimus, ipſis tamen nobis ſuper omnia ſpondentibus; quodque nobis quoque petentibus exeundi licentia non negaretur; ſicque intrare cum noſtris permiſſi, ipſis nos inſequentibus, præire juſſi ſumus. At inter media tela & enſes ſub portis, quam ſupra pontem armatorum catervis aſtantibus, ac torvis quodammodo oculis plerisque in nos reſpicientibus, recto itinere ad caſtrum ivimus. At cum jam intro portam eſſemus, referremusque . . . ſuper populo convocando ac legatis ſuis, ac demum etiam nobis audiendis re-

B ſpondit, jam plebem in armis eſſe, uti videmus, neque hanc horam ſerotinam his rebus idoneam eſſe, veluti qui vino jam æſtuarent. Verum die craſtina . . . cunque collibuiſſet, ſive armatam ſive inermem ſeſe in platea publica, aut ubi mallemus, convocare velle, & operam pro noſtra audientia dare; & in primis Sereniſſimam Auguſtam acceſſimus, præſente Johanne Rerbach, de adventu Cæſaris nunciavimus & omnia ex ordine retulimus, quæ nobis circa hoc erant referenda, quæ vocatis illico aliis conſiliariis Vlrico Rieder,

C qui nuper legatus illic miſſus erat, & aliis, qui tum illic præſentes aderant, Wilhelmo de Puchaim, Sirmione & utrisque Johanne Pellndorff & Johanne Mulfelder ea quoque illis referri mandavit, prout in mandatis habebamus, quæ Rudigeri & aliorum legatio fuerat, quæve Viennenſes pro ſui excuſatione in medium attulerint; & quo pacto Cæſar illis reſponderit: quæ in certis articulis ſcripto redactas attulimus, & licet hi, qui apud Novam Civitatem fuerant Civitatis Legati ſe huic rei ſufficien-

cienter caviſſe dicerent, litterasque ſalvi conductus in medium usque ad . . . exhiberent; eo tamen magis indignati, quod illas absque ſuo rogatu commiſſoque a Cæſare petiiſſet, cum, qui eas exhibuerat . . . injuriis & opprobriis laceſſere, litterasque ipſas obprobrioſe & contemptibiliter a ſe projicere, atque illam ſententiam capitalem interminare cœperunt, quod ille , . . atque ſe de medio ſubducens ea de re urbem profugus exivit, & ad Cæſarem refugit: quæ ipſi Sereniſſimæ & ceteris grata audire fuerunt, & de Cæſaris adventu plurimum exhilarati; quamquam illum per plures dies antea adveniſſe magis optaſſent. Retulere nempe rem antea nobis incognitam, qualiter Holzlerus cum ceteris die Jovis ante hoc, nam id die Dominico octava aſſumptionis Beatæ Virginis fuit, facto campanæ ſono, omnem populum in armis adeſſe juſſit, &, eis per quatuor turmas diviſis, proceſſionatim cum illis eques ipſe & quidam alteri a medio fori per portam Karinthanam & ſubinde in foſſa ipſa, quæ urbem circuit verſus caſtrum ad conſpectum Sereniſſimæ Auguſtæ per portam, quæ a latere Caſtri ſive palatii contigua eſt, deduxit, & portam antea clauſam pro horum introitu duntaxat apertam, vice verſa mox recludi juſſit; afferens, ſe hujusmodi demonſtrationem ea de cauſa facere, ut probaret, quemadmodum populus ſibi obediens eſſet, & qualiter in occurſum Sereniſſimi Imperatoris, ad ſe venientis, parati eſſent; aut, ſi opus eſſet, ad arma contra hoſtes præparati. Neque quisquam amplius de ea re interrogare audebat. Mane autem ſequenti

A Vlricus Rieder & Johannes Rorbach, ſicuti dicebatur, aliis non conſciis, ſub nomine Sereniſſimæ Auguſtæ ad illum mittunt, ut ipſe cum quibusdam ſibi condeputatis ad ſe veniat, quod nonnullis de rebus neceſſariis ſecum locuturi eſſent; & cum ad primam & ſecundam vocationem, tardiores eſſent, tertio illum vocari fecerunt, ad quam vocationem, licet inviti, ſeſe in itinere poſuerunt. At in medio vir occurrit eis quidam afferens; vidiſſe ſe quamplures armatos numero ſeptuaginta & amplius palatium retro per poſticum apud B monaſterium Eremitarum Sancti Auguſtini, quod caſtro & arci fere contiguum eſt, ſubintraſſe; idque medio juramento affirmavit: cujus verbis facile creduli, cum alioquin valde dubitarent, ne qua in illos pro temeritate facta ultio ſumeretur, illico pedem referre: illorum ſeſe vocantium perfidiam accuſare: perpalam in plateis hæc plebi nunciare: campanam pro tumultu civium contingere jubent, & omnes quamprimum in armis adeſſe. Fit crebro maximus totius urbis tumultus: con- C currunt omnes armati, juſſaque ſui principis, ſic enim eum appellabant, ſive capitanei populi aut Vrbani plebis expectant: tum ille hæc palam populo conqueritur, ut duo iſti cum ſe & alios ad ipſos vocaviſſet, necisque inſidias ſibi & aliis paraviſſent, lictorem jam in caſtro affuiſſe, atque ea de cauſa clam accitum, tali pro eis ac pro bono publico præmia ac . . . ſeſe expectare: abdicare ſe hujusmodi periculoſam provinciam . . nam niſi omni hora mortis periculum operiretur, ipſos ſecure ſub ejus cura dormire, ſe autem dies noctesque in-

inſomnes ducere; quo eos ab inſidiis ac periculis tutaretur, neque ulla horula ab inſidiis ac periculis tutum eſſe, quæ ſibi tam a civibus, quam a curialibus omni in loco pararentur. Sin autem eum huic loco præeſſe vellent, ut ipſe ſuum caput omnibus periculis objectaret; ita illi ſinguli ſua capita pro ejus tutela & ultione, ſi quid adverſitatis ei contingeret, devoverent, ſimulque hanc primam & inſignem omnibus injuriam e veſtigio una ſecum ulciſci pergerent; quo deinceps a ſimilibus tutiores fierent. Varia quoque in utraque eorum convicia & crimina, quamquam pernicioſi hoſtes pacis ac communis patriæ eſſent, publice proclamavit; quibus omnibus acclamantibus, & illius verba per omnia approbantibus, in aciem ac turmam cum ſuis banderiis, ut pridem eos conſiſtere juſſerat, procedere verſus caſtrum jubet. Ipſe vero cum ſuis, quos ad hoc delegerat, armatus præceſſit. Inde ubi ante fores palatii veniunt, ambos ipſos . . . Johannem ſibi exhiberi petunt, injuriam inceptam, ſeu potius attentatam conqueruntur: nec ſe inde diſceſſuros, aut parſuros vitæ, nec ſuæ nec cujuspiam, niſi hujus rei autores eis conſignentur. Tum Vlricus Rieder, homo prudens ac animoſus, una cum ſocio ad mœnia progreditur, ſuam ac ſocii innocentiam proponit; negant, hoc unquam animo cogitaſſe, eumque, qui hæc edixerit, in faciem ſiſtant: ſe illo adſtante purgaturos, ac oſtenſuros ſuam immunitatem; neque hujus rei aliquam opportunitatem habere, etiamſi voluiſſent, neque pro decem aut viginti viris vix arma in caſtro parata fore, ac . . homines ad arma diſpoſitos non eſſe in eo, niſi ipſorum atque Sereniſſimæ Auguſtæ familiam, quæ majori parte fœminei ſexus eſſet, atque in hoc Serenitatem illius in teſtem vocant, & ceteros, qui tum aderant, conſiliarios; qui ita verum eſſe, neque in aliquo ſe hujus rei conſcios fore dicunt; neque ſe tales eſſe, qui carnificinam etiam de quibusque male meritis perpetrarent: offeruntque eis, ut quos velint introducant, qui per omnia palatii abdita luſtrentur, ſi quemquam armatum reperiant: aperiunt ultro fores, ſed nec illi ſic credunt, neque aliquem de ſuis ingredi conſentiunt. Vlricus vero, ut omnem illis ſuſpicionem adimeret, & fidem præſtaret, ultro ſe eis extra fores offert, jurat, obteſtatur, docet ſe his rebus penitus expertem eſſe: eadem reliqui, qui tum aderant, Guilhelmus de Puchaim & . . . ceterique ambo Johannes juramento comprobant. Cumque hæc res jam prope purgata eſſet, & illi conquieſcerent, tum ad alia convolant, Simonemque Poel modis omnibus ſibi veluti profugum extra repræſentari petunt, is enim tempore, quo Burgimagiſter & ceteri conſules caperentur, vel quod rariore ſua fortuna ita factus æger fuit, vel ſeſe ægrum ſimulavit, vel forte ita novitate deterritus, ut ita in ægritudinem incidit: unde ei illa die perfecerunt; ſequenti vero nocte in palatium confugit, & in lecticam ſe deportari fecit, vel uticunque potuit repedavit: & quamvis non de corpore conſulari fuerit, quicquid tamen voluerit per medium Burgimagiſtri & Nicolai Tesler & aliorum effecerit, qui Johanni Rorbacherio ſemper adhæſerit, &

& omnia civibus gravamina intulerat, omnes enim, qui vel minimam in Curiam conſuetudinem vel familiaritatem habebant, capitali odio inſtabant; ea propter illum uti civem ſecum ſentire requirunt, &, ut ſupradictum, tanquam profugum repetunt. Ad hæc hi, qui in caſtro erant, illius ægritudinem allegare, & non niſi boni cauſa ad caſtrum confugiſſe, nihil mali adverſus eos aut civitatem machinari, vel de his rebus penſi habere: commemorare multa beneficia, urbi & particularibus civibus impenſa: indecorum atque inhoneſtum fore, illum ex ædibus Cæſaris & Auguſtæ, ubi ſummum etiam latrocinium ac maleficium . . . foret, repetere, turpius vero eis aut Majeſtati Auguſtali eum vel quemcunque minimum ad carnificium reddere, nec quemquam ex eis fore, qui vel minimum etiam quemquam ſervilis conditionis hominem ex domo ſua . . . petitum exhiberet: in qua re cum diutius in ſententia perſtitiſſent, tandem vel tædio vel inedia ac ſiti, hora enim prope meridiem aut ſupra erat, quam pauci ex plebe ſobrii expectare ſolent: pro reverentia Auguſtæ, cujus in his rebus puram innocentiam ſcirent, neque aliorum ſe hac vice ſubducere, & apud ſe deliberare, quid facto opus ſit: hortantur illos, ut ipſi melius conſilium acciperent, neque votum populi in hac parte contriſtarent. Si quid vero mali inde eveniret, ſibi ipſis non eis imputaretur, ſicque re vel neglecta, vel ſedata, in ſuas quisque ædes aut caſam revertitur. Tertia dehinc die, quæ Dominica erat, qua nos in urbe applicuiſſemus, ſub ipſa fere adventus noſtri hora vel paulo antea A Wolfgangus . . . & duo alii cum eo. S. A. . . . & B. . . . ſub nomine civitatis cedulam vel litteras, vulgariter conſcriptas, ſub ipſorum ſigillis & ſignetis ad Vlricum Riederium & Johannem Rorbacher in caſtrum mittunt, quibus illis multa, & . . . nomine eorum intentata, imponunt, quodque ipſi omnis cauſa mali ac diſſenſionis in urbe & Cæſaris . . . exiſtunt, neque velle eos amplius in urbe pati, eisque licentiam imo præceptum faciunt, illa eadem die ante ſolis occaſum exeundi, neque amplius redeundi; donec eis nuncium B mittant, & ad redeundum invitent. Quibus literis acceptis Vlricus & alteri deliberant, eis viciſſim per cedulam reſpondere, ſeque de objectis purgare, & ſe ex mandato Cæſaris illic eſſe, & ſtare velle, neque illis auctoritatem fore, eos vel quoslibet minores e civitate licentiandos; deque objectis ſe juſtitiæ offerre coram Cæſare, & ejus conſiliariis; ac etiam coram provincialibus patriæ, aut quibuslibet ad hoc pro promotoribus patriæ æqualiter eligendis: ſed nobis ſupervenientibus, cum hæc ita innovata didiciſſemus, noſtro pariter & aliorum C conſultu hæc res immutata fuit, conſultumque viſum, ut hujusmodi licentiam ſurda aure hac vice pertranſirent, nec litteras ad illos reciproce mitterent, ſed adventum Cæſaris, veluti communis utriusque partis principis, & Domini expectarent; præſertim ne res ipſas, pro quibus iverimus, pejores efficerent; quo & ipſi aquieverunt.

Inſtante vero hora cœnæ omnes in domos ſuas depoſitis armis rediere; quodque Auguſtæ & ceteris viſum eſſet, ut, non obſtante hac excuſatione, adhuc eodem ſero colloquium

quium pro introductione Cæſaris apud . . . & alios quæreremus; miſſo, qui id apud illum ſollicitavit, reſpondit: non eſſe modum, jamjam tempus inſtare, quo turres, portas, & alia loca provideret, & ſcarias, hoc eſt, nocturnas excubias, ſic enim vulgo vocant, conſtitueret, Cæſarem haudquaquam ea nocte intraturum. Nos autem benefacere, ſi nos domi intra hoſpitia contineremus, neque multum in plateis vagaremur.

Quocirca non eſt prætereundum, ordo enim hiſtoriæ hoc exigit, ut id nequaquam omittatur, quæ una potiſſimum cauſa vel ratio fuerit, Burgimagiſtrum ac conſulatum veterem interceptum fuiſſe: ipſis, uti credendum eſt, provincialibus, ſi non omnibus, ſaltem Cæſaris parti hoſtilibus id magnopere attentaviſſe. Terranei enim Auſtriæ (quos ineptiſſime terrigenas vocant, cum omnes omnino mundi homines, non unius duntaxat regionis, aut provinciæ, terrigenæ, ſed omnes, veluti antiquorum atque gentilium opinio fuit, de terra geniti, eo nomine vocarentur: ad differentiam Deorum, quos cœligenas appellabant) utpote bellis ac diſſenſionibus jam faſtiditi & ſatiati de communi pace patriæ cogitarent, ac plerisque in locis ac diætis una conveniſſent ad deliberandum, quo pacto ea amplius atque conſultius haberi poſſet. Qua in re, auctore & legato Rudigero de Starhemberg, Cæſar quoque conceſſerat, quamquam frater id ſua parte refugere videretur. Illi eandem haud quaquam ſtabilire rati, niſi quatuor partium, ſive ſtatuum patriæ, hæc eſt, Prælatorum, Baronum, Militarium atque etiam Burgenſium ſive oppidanorum pari

A consenſu & conſilio firmaretur, ob idque diem apud Viennam indicere cogitarunt, quo illos in eorum opinionem inflectere poſſent, cum illi ad priores nusquam diætas, licet invitati, veniſſent, aut ſuos legatos transmiſiſſent, Cæſare ſemper vetante, & antiquo conſulatu id minime fieri permittente: licet quidam e populo, veluti pacis avidi, minus comprobarent, quod terraneos non latebat: exiſtimabant enim, uti contigit, futurum, ſi illa dies inibi ſtatueretur, facile populum ultro pacis

B avidum, nulla Cæſaris aut juramenti ſui ratione habita, in eandem ſententiam ſecum contra ſtatum & conſulatum ipſum, niſi aquieſceret, vel ratione vel populari tumultu & acclamatione victurum. Proxima ante hoc dies, cui etiam Dux ipſe interfuit, apud Tulnam habita eſt, quod eſt oppidum viginti millibus latinis, aut juxta morem Theutonicorum, quatuor pro uno computatis, ſupra Viennam ſitum, quod ſe anno transacto ad . . . Ducis cum exercitu ſuo adventu cum . . . caſtra eidem

C applicaſſent, poſthabita fide Cæſaris, pulſis continuo per Ducem, captisque, qui intus erant, Cæſaris gentibus, in Ducis poteſtatem tradiderat, ex ſe quibusdam miſſis, qui id publice gente & populo expectante, ut quo illis locum dicendi apud ſe facerent, propter fidem . . . advenientibus, donec dies ipſa perduraret, invitis etiam majoribus urbis & his, qui ſanioris conſilii ac mentis erant, voti ſui compotes effecti, & mox, vel admodum brevi temporis intervallo facto, omnes ſe illac contulerunt, Duce duntaxat cum ſuis apud Tulnam remanente, plurimum

in re illa accelerantes, veriti ne Cæ-A saris adventus una cum ſuis provincialibus Styriæ, Karinthiæ ac Carniolæ, quem jam de proximo Viennenſibus jam diu illum ad veniendum crebris litteris & legationibus invitarunt, ex eo die, cui Marchiburgenſes, quo ſe cum illo venturos obtulerant, intimaverat, huic rei impedimento futurus erat, & ne majorem cladem patria ex illius acceſſu, & hi præſertim, qui adverſæ partis erant, eſſent recepturi: quæ res, cum Cæſari per litteras ſignificata eſſet, parum illi placebat; ratus, quod accidit, Viennenſes ſub ea ſpecie facile B cum hoſtibus conſenſuros. Itaque accelerat, etiam eo tranſiturus, atque omnia, quæ ad hujus rei executionem opportuna erant, parari jubet, equos, arma, papiliones, bombardas & quæque ad campeſtrem exercitum neceſſaria ſunt: ad hoc currus, quadrigas, more exercitantium per ſingulas plebes indicit: boves quoque & oves & quæ ad victum pertinent, per valles (1) & colonias viritim conferri præcipit. Dies, qua ſin-C guli provinciales armati adeſſent, in proximam ante feſtum ſancti Laurentii ſextam feriam . . . Marchburgæ ſtatuta in oppido Prugh eſt, quod nomen a ponte, qui ſuper flumen Moarum, quod Styrias per medium defluit, tractum eſt. At vero quia plerique tardius, quam edictum eſſet, ut quique remotiores ac plus a loco diſtantes erant, venerant: eo factum eſt, ut Cæſar in ipſa primum die Sancti Laurentii Agerii (2) oppido primario Styriæ, in quo Principis ſedes, ac tribunal Provinciæ eſt, locus ſane non incivilis ſed amœnus, cum his, qui illum illic morabantur, ſimul & curialibus diſcederet. Interea Auſtrales, qui Viennæ convenerant, nam ſub hoc quoque tempore diem dixerant, cives tum publice tum privatim, utcunque cum quovis major conſuetudo erat, interpellare, hortari, ſuadere & palam in theatrum prædicare cœperunt: ut cum illis veluti urbs capitalis patriæ idem ſentiret, ceterisque locis & oppidis, uti mater & magiſtra, exemplum daret: nam & ceteræ fere omnes civitates & oppida præter tres adhuc in fide Cæſaris perſtabant, quæ nec ipſæ ad hanc rem perſuaderi ulla ratione poterant. Viennenſes vero varias in partes diviſi, communi vulgo & plebe id omnimode fiendum acclamantibus: Magiſtratibus vero urbis & reliquis primoribus, ac ratione magis & conſilio pollentibus, id ſine offenſa fidei ſuæ in Cæſarem nullatenus fieri poſſe dicentibus, in eam tandem ſententiam communiter devenere. Jurisperitorum ac ſcolaſticorum Vniverſitatis, quæ illic eſt, conſilium habendum inſtant, ſi id licite, & ſine nota fidei ruptæ ac juramenti, ſeſe in ea re terraneis jungere poſſent, & cum eis alia, ſuper hoc Cæſaris licentia aut voluntate non habita idem ſentire atque colligare. Vnde Vniverſitas Doctorum ſuper hoc requiſita reſpondit: ſuum non eſſe juramenta ab aliis præſtita interpretari, aut circa illorum relaxationem os aperire: ſibi tamen juſtum & honeſtum videri, Cæſarem in primis & ante omnia conſulendum. Itaque omnium ſententia in hoc reſi-

de-

(1) *Sic; f.* Villas.
(2) *Sic; f.* Græcii.

debat; ſed cum nonnulli hac via non ſe perfeciſſe, aliam non intentatam relinquere ſtatuunt, & quo pacto plebem adverſus magiſtratus urbis & majores natu ac conſilium concitare poſſint, diebus ac noctibus ſtudebant: intrare domos, atque eos ad convivia invitare, nobilium ſociorum loco illos rationem ſuam & patriæ ruinam ante oculos ponere: circuire vicos, ac in publicis quibusque locis ſecuris ac profanis turbam urbis perſuadere: damna, injurias, pericula, negligentias, offenſiones, hactenus toleratas, edicere: multa ex communi pace bona conſequi: nihil melius ſtatui urbis & omnium conducere: nihil ad ſe pertinere ſi Principes inter ſe diutius decertare vellent, ſi modo Auſtria tuta quietaque foret, alium ſibi campum belligerandi quærere: id ſibi omnibusque patriotis conſultiſſimum fore. Itaque cum illis ipſis diebus populus, & qui mediocris ſtatus erant, cum majoribus, locupletioribusque ob collectiones atque functiones publicas, quæ mirum in modum excreverant, propter expenſas tum in ſalariandis ſtipendiariis, tum etiam ad cuſtodiam caſtri Calvi montis cæterarumque baſtitarum, quas ſuperiori tempore manuceperant, & in ſua guardia habebant, tum etiam ob multas profectiones, quas hyeme transacta pro evictione certarum baſtitarum, quas hoſtes munierant, ſubiiſſent, plebsque & alii mediocres & minores ſeſe multo plus juſto majorum ac locupletum reſpectu gravari ſentientes, & ob æqualitatem oneris certam inter ſe legem ſtatuentes, de collatione vera atqua legitima medio juramento cujusquam ad ipſius conſcientiam ad æſtimationem valoris bonorum atque rerum ſuarum faciendam, quæque in bonis cenſeri deberent, quæve non, æqua ſatis lege proſpexiſſent, in quam ferendam majores non æquo cum illis animo ſentirent, cum paucis antea diebus collectionem magnam feciſſent, & Burgenſes inter alia procurent, nullatenus amplius pecuniam extare, & propterea inopiam fiſci, & etiam certam quantitatem nummorum ſive aureorum a quadam vidua absque ullius fœnoris gravamine, ſicut tum plerumque ante accipere ſoliti erant, recepiſſent, ea tamen compenſatione ei facta, ut certum numerum vaſorum vini Hungarici in urbem introducere, & absque onere illic pro ſua voluntate venumdare, aut ad ſtimam minutam vendere poſſet; quod alioquin nobilibus & ceteris omnibus, qui non vivunt lege civitatis, vetitum eſſet, & eoque magis, quod vina illa non terranea ſed forenſia ac intra fines Hungariæ, in quibus illa patrimonium habebat, nata fuerunt; quæ ibi lege non ſolum urbis, ſed & patriæ omnino & ſub gravibus pœnis induci a quoquam prohibita erant; cum etiam populus id una antea vice, æquanimiter, cenſente ſenatu, toleraſſet, neſcio quo iterum caſu, alia quoque plura prioribus ejuſcemodi generis vina introducta ſunt, quo comperto vicini quique & qui ſibi majus inde præjudicium in venditione ipſorum vini futurum perſpicerent, & unus inprimis Johannes Meyburger, qui ſummum in recondendis conducendisque vinis ſtudium multis annis poſuerat, homo alioquin clamoroſus & impatiens, adverſarum etiam partium, ut præmiſimus

ſtudioſus, in media platea vociferans: videte, inquit, cives optimi & qui bonum publicum amatis, quam perverſe & inique ac indeſtinanter hujus noſtræ urbis peſſumdatores ac ſubverſores nobiſcum agunt & verſantur! ecce jam altera vice in noſtram perniciem vina forenſia introduxere, quousque tandem hæc patiemur? nam vindicanda jam ſunt, atque hæc vina omnino inter plebem juxta legem Civitatis diſpenſanda, prout paulo poſt ipſis conſularibus captis factum eſt, ut ſupra expoſuimus, & accitis quibusdam ſociis in prætorium ut, illis extra dimiſſis, ſolus ipſe ingrediens, ubi Magiſtratus conſulebant, & introiens palam illis in faciem exprobravit eis, ſubterminansque pro his & aliis ſuis male geſtis judæiſandi eſſent, hoc eſt, ea pœna plectendi, non qua Chriſtiani, ſed Judæi transgreſſores legis afficerentur: id eſt vel cruci affigendi, aut igne cremandi; & terga ſe vertens triclinium exivit, quem mox caterva plurimorum ſubingreſſa, quaſi captata occaſione, quam diu quæſierant, eo tunc tempus idoneum rati, quo voluntati ſuæ ſatisfacerent; Johannes Birchaim, qui unus ex omnibus audacior & ob zelum, quem in Nicolaum Teslerium habebat, cæteris ferventior erat, quo ſe aliquando in eum ulciſceretur, in hæc verba erupit. Burgenſes & vos ceteri neque enim illos herorum nomine ſeu dominorum, uti gentis mos eſt, prænominare dignatus, ſatis jam diu malum atque ineptum regimen veſtrum toleravimus: neque fas eſt de populo collibitum, ut amplius in Magiſtratu & his ſedibus præſideatis: ſtatuimus nempe ipſimet noſtris rebus deinceps melius atque utilius conſulere, & urbis rebus providere: tuque in primis Nicolae Taslerie, cum multa in plebem ac particulares cives, & in me quoque unum contra jus & fas commiſeris, primo ex hoc loco, quo alios plerumque abire juſſiſti, ſecede, quæ deinceps populus de te ſtatuendum duxerit, experieris: ſimiliter & alii per ordinem, nullo dempto, intrare juſſi ſunt recluſi. Tum populus, ut ſupra deſcriptum eſt, hac re vulgata undique concurrere, arma corripere, hoc patrato veluti egregio facinore, populus ad pulſum magnæ campanæ ad concionem convocantur: adſunt nobiles, terranei, & inprimis quidem Renpertus ab Ebyrsdorff, homo in dicendo ceteris promtior, qui alias pluribus annis ob inſignem infamiam, quod conſtante primo matrimonio, virginem quandam, nobilibus natalibus ortam, a ſe primitus conſtupratam, ſecundam, vivente prima, quam defunctam afferebat, ſuperduxit in facie Eccleſiæ in uxorem, qua re multatus patria exulare coactus, in Italia Venetiis ac Paduæ per plerosque annos commoratus eſt, ubi non minora, ut dicebatur. impudicitiæ inſignia ac lenocinia peregit. Hic inter has Principum differentias adveniens, quod inter primarios patriæ habitus & receptus eſt, quo etiam frequenter in rebus maximis & oratore & advocato ac conſule uſi ſunt, & reliqui, Henricus de Liechtenſtein, tametſi uno pede claudus, attamen vir audax, & in re militari exercitatus, qui multa egregia militiæ ſuæ facinora domi militiæque perfecit, & ſignanter in bello, quod Ludovicus Bavariæ Dux cum Marchio-

chione Brandeburgenſi egit. Georgius de Tharhaim, vir prudens & ſenſatus; Georgius de Potendorff, qui ab ineunte adoleſcentia Cæſari ſemper infeſtus & hoſtis fuit ac moleſtus. Adſunt & in primis duo Cæſari infeſtiſſimi Sigismundus Ciſſinus, alterius ſenis Vlrici expoſitor promtus, & ab illo in ſeditionibus urbis plene edoctus, ac Georgius Stwsnel duces adverſus Cæſarem ſuaſores præcipui, quorum alter eo motus eſt, quod Cæſar illi officium foreſtarum, quod ex donatione Ladislai adhuc impuberis ſibi competere pretendebat, ademit. Alter vero nullam adverſus Cæſarem ſibique adverſandi cauſam habuit: niſi quia pleraque in eum beneficia contulit, & ſingulari ſemper gratia proſequutus eſt; caſtrumque Poſenpeng, in littore Iſtri ſitum, quod ad Imperatorem poſt Ladislai deceſſum jure hæreditario ſpectare dignoſcitur, nullo jure, quaſi propria auctoritate tenuit: ſimulque & de officio judicatus provincialis in agro Tullii ac ſuper flumen Traiſſe, quod a Cæſare adhuc tutelæ Ladislai tempore contra Guilhelmum . . . commendatum acceperat, atque per violentiam & illius opera annuente Cæſare uſurpavit, de quibus nec uni neque alteri Cæſari reſpondere, aut obedire unquam curavit; niſi forte, ut majorem ea tenendi colorem haberet. Fuerunt & plerique alii priorum adhæſores, & in primis Nicolaus Draſes, miles veteranus, qui & ipſe in officio Marſchallatus Curiæ, & apud Albertum Ladislai patrem tum apud ipſum etiam Ladislaum conſenuit: qui ob nullam quoque aliam Cæſari cauſam infidus erat, niſi, quia caſtrum Stotz, quod Ducale patrimonium eſt, & illi ad vitam ſuam proſcriptum erat, antea tempore tutelæ etiam pro filio ſuo affirmavit, & nunc jure hæreditario ex donatione Ladislai deberi pretendit, non eo jure ſibi dimittere dignatur. Item & alter a teneris annis Cæſaris ſervitor, & cum eo a puero educatus Bernardus Tehaſtimer, cui tot Magiſtratus & officia atque rerum negotia commendaverat, ex quibus ex infima pecunia ad non mediocres pervenit facultates, quas a plerisque ex pecuniis Cæſaris per eum multo tempore, & in pluribus rebus, præſertim Venetiis in emendis pannis ſericis & aureis abſtuliſſe, aperte criminabatur; qui una ratione Cæſarem in mille aureis deceptum ab eo dicebant: idque ex rationibus inde ab his, a quibus emerat, deportatum oſtenderunt; ſed Cæſaris manſuetudo tanta ſemper fuit, ut & aperte ſæpe in criminibus & perfidia repertis ipſe omnino ne proderet, ſed nec ab aliis proditis aliqua animadverſione mulctaret; quod tamen non eſt in principe laudandum, cum, ut leges ſacræ edocent, facilitas veniæ materiam plerumque tribuere ſolet delinquendi, nec ullum inter bonos malosque diſcrimen meritorum habetur. Is eo tempore quo Auſtrales contra Cæſarem pro ereptione Ladislai de manibus ſuis atque tutela conſpiraverant, quamvis loci Portus Naonis in Foro Julii, qui de patrimonio Cæſaris eſt, Capitaneus eſſet, & in profectione Romana Marſchallatum Curiæ Sereniſſimæ Leonoræ Auguſtæ ageret; quia tamen natione Auſtralis erat, dimiſſo Capitaneatu, & gravi inter cives ac popu-

populares diſcordia zizaniæ ſeminata, clam inde ſe ſubripuit; & quia Magiſtratum Curiæ ejusdem Sereniſſimæ Auguſtæ tunc vacantem, quem ambiebat, habere nequivit, partium contrariarum numero ſe aggregavit, & una cum cæteris Cæſari hoſtis effectus eſt. Hic, mox ut hanc rem ſenſit, & ipſe Viennam ſe confert, & rebus his ſtudium quam maxime Cæſaris partibus contrarium impendit. Fuerunt & alii militarium de grege Johannes Stiblſperger, Erhardus de Doſſo almo, Maiſtlar & ceteri quidam minoris fortunæ majoribus his prioribus appendentes. Hi omnes ſe ad arma præparant, & ad Curiam, quæ major urbis platea, ſeu publicum forum exiſtit, plebem ad ſe convocant. Illi per Rampertum de Ebersdorff ſuo nomine edicunt, in primis factum illorum magnopere probantes, quod eos, qui bonum publicum non ſolum Civitatis ſed & patriæ impediebant, a ſedibus ſuis depulerint; ſimulque hortantur, ut illos caute cuſtodiant, nec absque digna emenda libertati reſtituant: & nec blanditiis aut precibus ſeſe inclinari permittant, neque ob id Cæſaris adventum aut mandatum vereantur, pollicentur eis aſſiſtentiam corpore & rebus atque omni ſuo robore facturos, neque ab eis inde diſceſſuros, donec hæc res uno pariter voto & felici fine terminetur. Quibus auditis, animata eſt plebs atque eorum ductores, quamquam plerique id primum non approbaſſent. omnes tamen acclamavere, bene actum, nihilque inde penſi habere, concurſare in domibus, in vicis, in plateis, in templis; ac ubi major populi frequentia eſſe ſolet, conglobare ſe & in circulo de his rebus proloqui; multa ſibi ipſis polliceri; laudare primos hujus rei patratores, efferre illorum providentiam; mirari eorum audaciam; virtutem quoque ad cœlos attollere; jamjam omnia melioribus auſpiciis agi poſſe; urbem multo jam tempore bellis & incommodis attritam reſpirare poſſe, qui huic rei locupletiores quosque, & qui hæc minus ſentiebant incommoda, nihil de cætero poſſe: omnem illam autoritatem jam ademptam, & qui ante aliis imperaverant ipſos jam ſuum imperium ferre oportere, & ubi ante minus contulerint, multo jam amplius conferre debere. Itaque plebe in omni per pulſum magnæ campanæ convocata, propoſita per eos, qui hoc patraverant, ratione, ab omnibus univerſaliter comprobata eſt, atque pro re bene acta publice ſingulorum nomine gratiæ habitæ. Cum de curandis agendisque deinceps rebus Civitatis publicis, atque de aliis præceſſoribus (ſic enim appellant) ſeu præſidibus, ac Magiſtratibus, atque uno inprimis harum rerum capite atque ductore eligendis admonerentur: omnes uno ore unaque voce Wolfgangum Holtzer, id eſt lignarium, pro uno omnium ductore atque rectore, veluti hominem magis animoſum & harum partium ſtudioſum, ne dicam etiam primarium ſuaſorem atque ſuggeſtorem eligunt. Tum ille: vultis, inquit, mihi in omnibus & per omnia, uti vero capiti atque præceſſori, in omnibus fideliter gerere & mihi aſſiſtere & in nullo rebelles fore, tunc ego id onus aſſumam: mox omnes adſtipulantur & publice promittunt, ſinguli ſingulis manus ac digitos jure-

juran-

jurando ſurſum protendentes, quod ubique gentium religionis ac fidei pollicitationem importat. Dehinc, ſibi acclamante populo communi, unicos ſuæ factionis & voluntatis conſcios, conſultores & ſocios gerendæ rei publicæ Johannem Kirchaim, Adenakher, Sigismundum Jungnmaiſter, virum alioquin omni probitate atque honeſtate ſubnixum, qui noviſſime conjugem in Civitate duxerat, militiæ pariter & curiæ veteranum, aſſumpſere; qui meo judicio non niſi inopia rei familiaris, & collectionum gravamine ac guerrarum intolerantia, uti plerique alii, inductus eſt: itemque Johannes Meylinger, & alter Johannes Schalanter, de quibus ſupra mentionem fecimus. Et quidam dictus Knaupel, quondam ſcholaris; qui relictam potentis Andreæ Hilprant, & ſua ætate Principis mercatorum, Julianam nobilem matronam & multorum filiorum filiarumque matrem, conjugem duxit. Item & quidam Laurentius dictus Schemperger, & ipſe quondam ſcholaris & aliorum quoque nobilium procurator propinarius, ex quo & ipſe filiam cujusdam Reinhardi curialis veterani, quem vulgo Hansgrafium, hoc eſt Comitem & cuſtodem rerum vetitarum, ne in, vel extra patriam, ſine ejus licentia, abducantur, appellabant, accepit uxorem, & brevi tempore dote illius, & alterius poſtea ſuperductæ uxoris locuples effectus eſt. Item ex plebeis ac artificibus nonnulli, & in primis ex arte pelliparium quidam dictus Hugo, ex patre Hugone operario hujus artis, homuncio quidem corpore & capite minor, ſed ſenſu grandior, & alter dictus Yſmachel, & item duo alii, unus dictus Sirezel, dives admodum, & alter Wiſſeler, qui & ipſe unus inter eos, qui apud Novam Civitatem legatione minore cum aliis prænominatis fungebatur; quamvis pauper & inops, attamen facundia plebeia præditus, & honeſti ac æqui ſectator, inter alios reputatior; quam ob rem magnam in plebe poſt Odonacherum autoritatem aſſecutus, primas inter conſulendum partes habebat. Inter inſtitores quoque quidam dictus Hyrs, hoc eſt qui inſigne cervi ad inſtitam ſuam habebat, a quo denominabatur, homo & ipſe inter ſuos ditior ac magis reputatus. Erant & plerique ex aliis opificibus mechanicis & in primis inter carnifices, qui his factionibus plurimum ſtudebant, inter quos & Holzlerius magnam gratiam & conſuetudinem habebat, quia negotiationem boum in Hungaria exercebat; & quidam dictus Meinhardus, ditior inter reliquos. Sic & inter piſtores unum ex illis præcipuum ac magis divitem nomine Haſelpech; & ceteros cujusque generis opifices, unum præcipue ſuæ artis ductorem adhibebant, quorum conſilio & nutu cuncta fieri debebant, non quo Magiſtratuum nomine aut conſulum fungerentur, ſed quo illorum vices agerent, donec ſuper hoc a Cæſare adveniente, juxta leges Civitatis ac privilegia, aliud ſtatueretur, & hæc eorum factio finem ſortiretur. Inter omnes tamen hoc convenit, nullum hujus prætextu rei mutandæ dominationis ſtatum Cæſari aut hæredibus ſuis, quibus ſacramento fidelitatis adſtricti erant, velle mutare; ſi modo illos ſuis legibus ac æquo jure vivere permitteret, &

Civitatem in ſuis antiquis privilegiis & immunitatibus, a ſe & prædeceſſoribus conceſſis, illibate conſervaret, & juſtitiam adverſus eos, quos manuceperant, adminiſtraret. Interea Cæſare in Novam Civitatem adventante, quam vulgo Neuſtat appellant, & Reverendus tunc in Chriſto Pater, Senenſis Epiſcopus, & nunc Sanctiſſimus Papa denominatus pietatis titulo Aeneas, poſt Cæſaris opera me ſolum inſtante ad Cardinalatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tempore Caliſti promotus, ac demum in ejus defuncti locum in Pontificatu ſuffectus, qui & modo Eccleſiæ præeſt, ætatis noſtræ ſapientiæ pariter & eloquentiæ Pater, ac hiſtoriarum Auſtralium eo tempore, quo in Cæſaris curia verſaretur, ſcriptor; Neapolim Auſtriæ appellabat, quod græcum vocabulum eſt, & latine ſonat nova urbs vel nova civitas, vulgari autem noſtro, quaſi nova ſtatio, vel ſtatuitio dicitur; quod noviſſimis temporibus, hoc eſt anno gratiæ milleſimo ducenteſimo, vel circiter, a quodam Leopoldo Duce Auſtriæ, ſive ut alii volunt, Federico ultimo illius generis ex Rudolpho Comite de Habspurg, cum Pannonibus ſeu Hungaris continuo bellante & confligente ibidem in finibus illorum novam urbem, in qua præſidia teneret, condiderat. De cujus ſitu & amœnitate pleraque ſuo loco dicenda eſſent, quæ hujus repentina hiſtoriæ deſcriptio ad præſens non admittit. Hoc ubi Viennenſibus innotuit, pavere, trepidare, culpare nonnullos rem temere ac inconſulte actam, vereri magnam urbis infamiam & mulctam a Cæſare propterea infligendam: quibus hæc res inviſa erat & adverſa, quique hanc injuriam atque violentiam perpeſſi erant, exultare, ſolari ſe invicem, jam melius ſperare cœperunt & liberius quam antea proloqui. Quod ubi factionis autores animadvertunt, cum præter quatuor, quos in turri poſitos ſupra commemoravimus, Burgenſes, cæterisque omnibus licentiam in ſuis ædibus manendi conceſſerant, interim in prætorio recondunt & obſervant. Interea de legatione ad Cæſarem mittenda cum terraneis conveniunt, quemadmodum ſupra ſcripſimus. Sed, ut eo revertamur unde digreſſi eramus, lucidius omnem conſpirationis cauſam & ordinem aperiemus, remque ipſam ſuo ordine proſequemur.

Cum vero die illa, qua applicuimus, omnes cœnæ incumberent, neque de Cæſaris adventu amplius ſolliciti eſſent; putabant enim omnes illum ea nocte apud Laxenburgum caſtrum amœnum & inſigne, quod decem millibus ab urbe diſtat, moraturum, ſicuti illi nuntiavimus, & ipſi mandaverant. Ecce ſole ad occaſum declinante, primæ Cæſaris acies in monte Viennenſium, ſic enim vulgo denominatur, quia urbi vicinus; apud crucem, ubi primum urbs apparet, conſpicatur, moxque per urbem famatur, Cæſarem ordinatis aciebus, ſicuti prædictum erat, adeſſe; maximam curruum & quadrigarum multitudinem habere. Mox campanæ ſigna fiunt, omnes ad arma confluunt, pars magna vulgi turres, domorum tecta & muros conſcendunt, ut armatum exercitum videant; plerique exultant, alii terrore

rore conſternantur, hortari alter alterum, ut primo Cæſaris motui obſiſtant, ſummum in initio rei periculum eſſe, cum parum caluerint, meliora in dies obvenire pacta, quo ſe urbemque ab incendio, ruina & ſpolio tueantur. Itaque rurſus ad portas concurritur, ſepes & aggeres armatis complentur; tum ut ad caſam pauperum ſeu leproſorum, quæ Sancti Job dicitur, primæ cohortes veniſſent, ſubſiſtere, & nonnulli ad portas præire juſſi ſunt, qui Cæſaris introitum petant, ſimulque cauſas moræ ac denegationis exquirant. Nos enim, etſi perlubenter Cæſari hæc omnia, quæ ab intra ſenſimus, ſignificaſſemus; nullam tamen emittendi copiam habebamus: adeo omnes portæ omnesque fores obſtructæ erant, & ne quisquam ingrederetur, aut egrederetur, prohibitum; quibus pari modo, ut nobis ab Holzlerio plebis tribuno reſponſum eſt, ac ſimiles & majores cauſæ redditæ. Poſt multa Cæſari ea nocte ingreſſus eſt denegatus, & patientiam in campis habere rogatus, donec plebs aliter deliberaſſet; ſui culpam fore, qui ita ex abrupto cum tali tantoque exercitu advenerat, neque id præmaturius ante biduum vel triduum inſinuaſſet. Interea nox obſcura ſupervenit, itaque terga vertere coacti: deliberatum ea nocte in agris proximis manere oportere, neque commode in villas & loca habitata retrocedere, quæ fere penitus eſſent bonis omnibus exſpoliata: currus autem ex transverſo ſe deflectere & in agris Sancti Marci, qui extra portam Orientalem eſt, quæ in Hungariam ducit, & paulo ſupra miliare unum latinum diſtat, divertere coguntur.

A Vidiſſes quadrigas & equites in obſcuro per foſſas & ſepes ac per media vineta incedere; partem in foſſa decumbere & ſine ordine, ſine lege, prout quisque prior locum occupaverat, in agris conſiſtere; ſicque tota nocte, non ſine gravi multorum frigore & penuria, demoratum eſt. Ante diem vero in ipſo diluculo ſub pulſu primarum (ſic enim ibi dicitur, & mos eſt campanellam per horam ante diem continue pulſare, quo ſe ſtudentes ad miſſarum ſolennia præparant, hi præſertim, qui in diluculo miſſas perficere habent) cir- B citer quadringentos equites & amplius, de gentibus Ducis . . . nocte vocatos, clam per portam Scotorum introducunt, quos in ſuburbanis portæ, qua Cæſar incumbebat, diſponunt. Ex qua re multi cives deterriti, non parum contra Holzlerium murmurabant, non hæc ex communi conſilio populi proceſſiſſe. Mane autem, ut primum dies illuxit, nos de caſtro ex turribus proſpicere avidi, quonam loco caſtra metati eſſent, cives pari modo exploratum habere, ubi cum ſuis Cæſar ſediſſet. At ubi in eo loco manſiſſe C viſus eſt, quamprimum illos in armis conſpicantur, iterum campanam tangere, & ad arma confugere cœperunt, ſimulque ſinguli ad eam portam concurrere, bombardas & munitiones eo loco deducere; ad defenſionem ſe parare; quo Cæſari per vim ingredi volenti obſiſterent: isque tumultus usque ad horam tertiam & amplius perduravit. Tum Sereniſſima Auguſta nobis vocatis & cæteris, qui aderant, conſulibus hortatur & conſilium rogat, quo nam pacto hæc res deinceps agenda ſit,

quæ Dominum & conſortem magno incommodo extra demorari compatitur, ſimulque proterviam atque contumaciam civium plurimum culpatur, qui hero ſuo proprias portas audeant obſerare. Multa interea cogitantur, quo pacto clanculum portæ ei nocte aperiri poſſent, & in urbem ingreſſus ei patere; ut digna eos, qui hujus rei noxiæ forent, pœna mulctaret. Viſum eſt, Rudigerum, probum atque ſapientem virum, ad ſe vocari, illumque hortari ab Auguſta & orare, ut hanc provinciam nobiſcum, qui a Cæſare cum eo miſſi eramus, aggrediatur; quo cives, & eos, qui hujus rei auctores erant, mitigaremus, & illis . . . . nibusque rationibus oſtenderemus (quod ego ab Hiſpanis Divi Trajani, Theodoſii, temporibus, qui ab Hiſpania originem duxerunt, & ut plerumque fieri aſſolet, per ſuos conterraneos provincias terræ illius rexerant, nomen a gente ſortitum credo, & usque in id tempus retinuiſſe). Et hic quidem vir magnanimus, qui in curia Cæſaris a puero elevatus erat, non pigritiæ & inertiæ, ut plerique alii, ſed rei militari deditus ſummus evaſit, hic, ut quosdam ex ſe ad Cæſarem mitterent, cum quibusmet coram cordis ſui affectum proloqui poſſet, & ab illis ſuam ipſiusmet intentionem & voluntatem intelligere. Acquieſcit Rudigerius; at nos pariter cum eo tres alii, qui legati fueramus, quæſitum illos pergimus per vicos & civitatem, donec illos ad extremam portam, ante quam Cæſar degebat, reperiremus, ſub qua omnes hujus rei factioſi una erant congregati. Dum autem prope eſſemus, neſcio ſi forte vel conſulto, tres ex ipſis terraneis Georgius de Ekhartzau . . . de Liechtenſtein, & Georgius de Pottendorff laxatis habenis ac procurrentibus equis nos inſequuntur, & citius, antequam illos alloqueremur, perveniunt; fortaſſe, ut noſtra ferebat opinio, ut noſtrum apud illos ſermonem & propoſitionem impedirent, & illorum in ſua opinione animos confirmarent. Itaque loco eis dato illorum receſſum operiebamur: dehinc miſſo nuncio, qui illos de noſtra præſentia & alloquio aviſaret, obviam nobis procedunt, & ad ſe, in quantum placeat, introducunt: quibus nobis morem gerentibus, dum intus eſſemus, omnibus convocatis, Rudigerius primum loquendi principium facit. Dicit cauſam noſtri adventus, ſimulque honeſtum Cæſaris reſponſum apud Novam Civitatem datum, adſtante Johanne Kyrchaim, altero ex legatis eorum, qui id coram omnibus affirmavit, ac dehortatur, ne talem adverſus herum ſuum hoſtilem demonſtrationem faciant: illum venire pacificum, & ad omnia quæ pacis ſunt offerentem: nihil turbulentum ab illo expectare: culpare eos, quod nos die præterito mox non audierint: non eos credere aliter de Cæſare ſuſurrantibus, & cætera multa ad rem noſtram conducentia. Quibus & nos verba, pro legationis noſtræ officio, in eandem fore ſententiam confirmavimus. At illi, deliberatione recepta, non poſt multa (nam antea cum ſingulis ad partem locuti eramus, & ea, quæ ad rem neceſſaria erant, perſuaſimus) illico in eam ſententiam concordant: placere oblationem noſtram, velle ex ſe deputare quosdam, qui ad Cæſarem exeant, & ſuam ipſius erga

ſe

ſe voluntatem & affectum intelligant. Multa eis in malam partem perſuaderi: verumtamen nihil temere de ejus benignitate credere; meliora A ſperare, nihil mali de ſe meritos: aſſeritur, quæ fecerint hactenus, pro ſalute urbis & patriæ feciſſe, neque ad injuriam aut læſionem ſuæ Majeſtatis, ſed ad rem publicam tuendam: nullum unquam alium principem aut Dominum ſe deſideraſſe, pro cujus ſtatu & fidei ſuæ obſervatione jam multo tempore corpora & bona ſua cum publice tum privatim oppoſuiſſent. Sperare, Majeſtatem ſuam id æquo animo accepturam, ſi ſuæ immunitati & vitæ providere voluiſſent. Hæc nos omnia in meliorem partem B accipere, & apud Cæſarem interpretaturos eſſe, affirmamus; neque dubitare, Cæſarem illos hilari vultu ſuſcepturum, eisque fidem & ſalvum conductum pollicemur, ad quem habendum Haidenricum Trugeſes, & Nicolaum Pebringer duos ex nobis ad Cæſarem præmittimus, qui nobis in itinere occurrant. Obtulimus quoque aliquos ex nobis, ſi opus eſſet, obſides poſituros & apud ſe in urbe manſuros, donec ſui ſalvi rediiſſent; ſed non eſt eis viſum id a C nobis exigere: ſed ſola fide & verbis ſe contentos fore edicunt. Eligunt itaque in primis Johannem Kirchaim utriusque medicinæ Doctorem, & Sigismundum Magiſtrum venationum, alias nomine Sclavo, cujus erat nationis, & Gismachler, Zetptaker appellatos, & nonnullos alios ex ſe, qui nobiscum ad Cæſaris præſentiam pergant: quos conſcenſis equis recto itinere verſus Cæſaris caſtra conduximus, quæ jam more exercituantium poſt eccleſiam Sancti Marci leproſorum locata erant. Pulchrum erat videre ordinem papilionum totumque exercitum in circuitu per portas & cuſtodias, & intus per vicos & plateas diſtinctum; erecta vexilla, & quæque ad rem ſpectabant, propemodum ordinata & diſpoſita. Inde ubi propius acceſſimus, occurrunt nobis, quos pro ſalvo conductu præmiſimus Haydenricus Drugeſes (quod nomen a Druſis Romanis tractum opinor; nam multa noſtræ linguæ nomina latinis & ipſis Romanis conformia ſunt, & ab illis tracta credenda: nam & Romuli & Cornelii & Scevolæ, & Curtii & Lucii & Titii, corrupta reperiuntur) & alter item noſter Collega Pebringerius, qui rem, uti deſiderata ſit & promiſſa, a Cæſare conceſſam ratamque fore affirmavit: ſicque eos in caſtra deducimus. At cum ad Cæſaris tentorium ventum eſt, ubi cum conſulibus ſe retraxerat, illos per ordinem introducimus. Tum Cæſar illos manu excipere, ſimulque cum Johanne Kyrchaim & cæteris jocari. Non ſe, inquiens, putaviſſe, ſe ea nocte in agris rurali more deliteſcere paſſuros, & conjugis amplexibus fraudaturos, quibus multo jam tempore abſtinuiſſet; neque illum & collegas hoc ſibi apud Novam Civitatem pollicitos. Tum ille ſe excuſare volens, ait, ex ſe non defuiſſe; nimis repentinam ſuæ Majeſtatis acceleracionem populo non parvum terrorem & formidinem intuliſſe, . . . idque ſuæ Celſitudini pariter & urbi ad gloriam accedere, quod ante illam Cæſarem caſtrametatum apud poſteros referretur, atque inter diem & noctem, ſicut ſperabat, illam intraturus ac victurus eſſet. Poſt hæc, ut ad rem

ventum eſt, Rudigerius Cæſari aperit, quæ illorum adventus ac noſtri quoque cauſa, quid cum illis actum: quæve nomine Sereniſſimæ Auguſtæ apud illos facta, atque eos diſpoſitionis erga ſuam Majeſtatem fore intelligeremus, quæ item & ipſi verbis propriis confirmarunt. Ad hæc Cæſar eis reſpondit, ſe uti apud Novam Civitatem eorum legatis reſponderat, venire non iratum, ſed pacificum & pium principem, qui eis de bono opere & fide ac obſervantia redditurus eſſet gratias, non pœnas aut ultionem de aliqua re ſumpturus; hortari illos, ut cæteris quoque ſuis concivibus id exponant & hortentur, ne cum ſuo ac eorum proprio ſcandalo ſe ita turpiter & dedecoroſe in agris ac pulveribus vitam ducere ſinant, non Cæſareo, ſed nec ruſtico aut agrario convenientem; neque credere ſuſurrantibus, qui inter ſe & illos zizanias ſeminare conarentur, & eorum fideles a ſe abalienare: pluris facere ſuam Majeſtatem, quam illorum verba ac ſuggeſtiones: nihili penſi de ſua Majeſtate habere: ſe non venire, niſi ut eis ac toti patriæ pacem & tranquillitatem, non bellum aut ultionem procuret. Vnum valde ſe demirari, quod hoſtes ſuos apud ſe morari in urbe ſinant, ſe autem Dominum & principem mœnibus excludant, nihil honeſtatis aut rationis id in ſe habere, omni loco ac natione, ubi id auditum fuerit, magno eis improperio futurum fore, neque ulla id ratione excuſari poſſe, quo minus illis ad magnam perfidiæ notam adſcribatur: proinde conſulere honori & famæ ſuæ utilius, & aliam rerum ſuarum deliberationem accipere. Non venire ſe, niſi cum bonis ac electis fidelibus provincialibus ſuis, qui nihil moleſtiæ eis allaturi ſint, ſed omnia, quæ ad pacem & tranquilitatem ſunt, una ſecum conſulturi, ſimulque pecuniam ſuam, & eam non parvam, apud eos conſumpturi, ex quibus maximum ſint lucrum & emolumentum accepturi. Singulariter autem Sigismundum, veluti ſibi familiariter & ab antiquo notum, appellare. Num ne noſti, inquit, crudelem ſemper me fuiſſe principem & ſanguine & vitæ mortalium inhiantem? Quis vobis hanc de me perſuaſit dementiam? Satis fore, ſi ne unquam illum amplius vidiſſent, vel agnoviſſent, & non ab annis viginti & ſupra cognitum haberent. Illi vero nihil horum apud ſe unquam hæſitaſſe, ſe ſe omnia plane credere & probare; ſed difficile eſſe plebi hæc perſuadere, quæ adeo variis paſſionibus & injuriis laceſſita foret, ut facile graviora pertimeſceret. Redituros ſe in urbem, & palam hæc in vulgo & per plateas prædicaturos: unum hoc reſtare, ut provinciales ſeu conterranei Auſtriæ, qui intus eſſent, & ipſi de gratia & ſecuritate Majeſtatis ſuæ confiderent, & hæc dies, quæ ad pacem communem foret, non interrumperetur ſuper adventum ſuæ Majeſtatis. Ad hæc Cæſar, jam pridem eis ſecuritatem præſtiti, & adhuc præſtare paratus ſum & proprio ore ac verbis polliceri, ſi modo absque formidine illic manere & paci conſulere velint: ſuas erga me diffidationes deponant, & ego meam in ipſos indignationem, & una pariter in concilio ſedeamus, & communem pacem patriæ conſulamus, ſi modo pacem volunt & ſincere cupiunt: hæc una via eſt, ea ipſa regio,

regio, quæ mille ambagibus involvitur, & plus fidei & minus ſuſpicionis ultro citroque habet, reddantur quoque caſtra & oppida reditusque alii, violenter & injuſte ablati, & ecce pax plane a nobis non abuſio; quin immo illam petimus, &, ut Florentini nobis dicebant, ab hoſtibus mendicamus noſtris. Sic enim orator quidam Florentinus, dum Cæſar Romam pergeret, & partes Italiæ diſſidentes ad pacem hortaretur, & induceret, his verbis reſpondit: Optamus non ſolum, Sereniſſime Cæſar, pacem, ſed etiam ſuppliciter eam, inquit, mendicamus, ita & Cæſar ajebat, & nos quoque illam ab eis (quod nos non decet) efflagitabimus. Si in hoc quoque noſtram majeſtatem exuerimus, & veluti pius ac manſuetus princeps, quin immo ut privatus homo & fidelis Chriſtianus juxta Dominicum præceptum nos exemplo David Regis & Prophetæ humiliabimus, ut illorum flectamus animos & animas lucrifaciamus, & ad reconciliationis gratiam invitemus. Hæc & alia hujuscemodi ex ore tanti Principis clementiſſima verba prolata ſunt, quæ non ſolum illos inflectere ad ſui gratiam, verum etiam lachrymantibus oculis ſuſcipere, atque dura illorum corda demulcere merito poſſe videbantur. At Johannes & ſocii hæc lætabunde audire, quinimmo geſtire ac præferre lætitiam magnam, nec quicquam a tanto principe amplius exigendum. Sub ipſo autem receſſu verbum fit de eſcis, & potibus, meque pro ſuo ore dandis atque ſervis & aliis, qui ea exportent, intromittendis; quod hi, qui aderant, minime denegandum putaverunt, pieque A mittunt omnes, jamque antea in mane miſerunt plurimi, qui vina, qui panes, qui carnes & alia, quos in noſtro quoque regreſſu habuimus obvios. Vidiſſes pueros & veteranos, nec non lixas & quoslibet alios catervatim in urbem pro quibusque neceſſariis filiatim tranſeuntes, qui gregatim per ponticulam portæ intromiſſi, & ad egrediendum viritim emiſſi ſunt; ita ut ſe ſub ipſa turmatim impellerent. His reſponſis, ad urbem una nobiscum redeunt, & populo relaturos ſe fideliter deſpondent. Nos ad Sereniſſimam Auguſtam properamus & hæc & alia referimus: quæ tantam conſortis ſui be- B nignitatem in principe maxime Romano demiratur ac pene execrabatur, ut adverſus ignobile vulgus tanti principis Majeſtas adeo ſe inclinaret. Portugalienſis Regii Sanguinis non eam naturam & conditionem eſſe, ſed pene contrariam. Superbis & contumacibus nequicquam blandiri, humilibus autem & victis propitios fore. Sic Regem & maxime Cæſa- C rem in ſuos eſſe oportere & cum filiolo ſuo, adhuc admodum puero præſente, hoc loqueretur glorioſum, ac generoſi fœminei pectoris verbum: ſi ſcirem, inquit, te, mi fili, hunc animum eſſe habiturum, dolerem te principem. Neque hæc ad Cæſaris injuriam dicebat, ſed quod tantam plebis inſolentiam & ſuperbiam deteſtaretur, quod non majori ſeveritate & imperio deturbandam, percellendam, puniendamque doleret, quam magna & juſta animadverſione dignam judicaret, neque tanta pietate & indulgentia diſſimulandum, ne aliis quoque deinceps ſimilia tentandi ſpes aut occaſio relinqueretur, quod omnium

mnium exemplorum deterius ac nefandius esset: idque palam Holzlerio & comparibus suis vultu exprobrabat. Interea hi Cæsaris summam clementiam & bina responsa in plebe disseminant: laudare ejus pietatem; exprobrare provincialium calliditatem, & erga illum duritiem; non velle ob eorum pertinaciam, qui quærunt privata eorum commoda, a Cæsaris fide discedere, neque propter eos urbis introitum, quæ sua sit, ei denegare: ex quo illi timidiores effecti pene ab omni eorum spe decideA rant. Nonnulli tamen non sic simplici legatorum relationi credere, sed B eamet ex Cæsaris ore audire, simulque sibi in communi & privato de immunitate & indulgentia ob communem in consulares audaciam & cætera non sine temeritate a se acta prius exigere & sibi cavere. Itaque die sequenti, quæ erat festiva Sancti Bartholomæi, totus fere populus extra portam Sancti Nicolai, quæ ad Hungariam ducit, ubi Cæsar in castris erat, ut Cæsaris vultum videant, simulque ea verba, quæ illi retulerunt, ab eomet audiant; ita enim nunciis edixerat, quin immo & oraverat, ut si eis minus crederent, ut C hæc & alia ab eo ore proprio audire possent deque his eis proloqui. Itaque illis extra confluentibus ac post vesperam congregatis, Cæsar cum suis consiliariis & nobilioribus eques advenit sine armis, illicque Wolfgangus Holtzer & cæteri, plebem suis terminis consistere, ut Cæsaris verba, uti principis & heri sui diligenter & æquanimiter attendere, neque clamorem aut irreverentiam sive tumultum aliquem excitare. Spondent hæc omnes, & magno desiderio illius adventum expectant. At ubi propius venit, omnes sepes & aggesta vinearum conscendunt, ut illum de longe venientem prospiciant; sed ubi omnino appropinquaret, primores omnes genuflectere capitaque sua detegere, & veluti nemus altum, quod a vento inclinatur, ita se versus illum submittere omnes cœperunt. Tum illemet ore proloquens, quod tamen nunquam, aut raro, consueverat, ita locutus est. Optavi jam dudum, carissimi Cives, vobiscum constitui & coram verba effari; quod mihi modo vestra bonitate & fide concessum & gaudeo & lætor: nusquam enim de vestra in me fide, integritate, & constantia dubitavi, tametsi multa a multis dicerentur; semper enim hanc urbem & ejus cives & populum magni feci, dilexi, amavi, neque unquam odio habui, sicut plerique, ut accepi, vobis susurrarunt. Fuit enim hæc & est urbs nostra primaria & omnium aliarum caput atque princeps, in qua progenitores nostri maximam vitæ suæ oblectationem semper habuere, & nos quoque ejusdem propositi sumus, eam nostra residentia curiæ illustrare, & residuum vitæ nostræ apud vos transigere, idque ex omnium infallibili judicio dignoscere potuistis, quod duo nobis omnium amantissima pignora, consortem videlicet nostram & unicum filium, vobis crediderimus . . . . . & apud vos amoris & benevolentiæ nostræ testes esse voluimus: in quo etiam vice versa vestram erga nos fidem & integritatem atque observantiam cognovimus: quod & ea & vos ipsos atque civitatem hanc per omne absentiæ nostræ tempus ab omni hostium impetu ac molestia conservavistis

ſtis ac tutati eſtis, ob hocque multa ac magna credite, quod & vobis coram Deo pollicemur, ut nihil unquam de ulla in vos ſtatuenda vindicta cogitavimus, aut in futurum ſtatuemus, ſed omnem vobis omnium transactarum rerum impunitatem & indulgentiam pleniſſimam pollicemur. Quod ſi inter vos & magiſtratum urbis, a nobis conſtitutum, aliqua differentia eſt, aut ſuborta ſit, propter quod illum manucepiſtis, illam æquo animo audiemus, & per amorem, & benevolentiam capiemus, ipſumque absque ſanguine & ultione ſevera, qualem forte res vel cauſa merere-
A mnem vitam ſuam alicui crudelis aut immitis fuerit, eis ſeverus exiſtat; qui neque cujusquam noxii ſua voluntate unquam ſanguinem fundi juſſerit. Ad hæc de provincialibus quoque & cum pace patriæ, quæ ſupra commemoravimus, & hic coram populo replicavit, ſe ſe illis perpie ſupplicaturos, & ut ſuas adverſus ſe hoſtilitates deponant; ſi modo veram atque ſinceram pacem cum eo habere velint: ac demum cum eis de communi pace ſervanda conſulturum. Poſt hæc & multa alia hujuscemodi in medium dicta, Wolfgangus Holt-
B zer & cæteri, qui primatum plebis ſibi uſurpaverant, facta Cæſari reverentia, ac petita parumper colloquendi licentia, ſeſe intra plebem contraxere, & communicato inter ſe ſermone, ad Cæſaris conſpectum redeunt, illique gratias per organum Holtzer agunt de tam benigna & generoſa atque Cæſarea allocutione ac ſponſione eis facta, eamque omnes tam pauperes quam locupletes, & tam ſenes quam juvenes ſumma cum
C lætitia excepiſſe; nihilque tam jucundum, tamque ſuave eis fore, quam id a ſuomet ore audiviſſe, & vultum ejus facie ad faciem vidiſſe, quem multo jam tempore videre deſideraſſent; multa ſe pro ejus fide ac ſui tutela paſſos, ſed hæc jam omnia æquo animo obliviſci, & mirum in modum ſuæ Serenitatis præſentia oblectari, velleque hæc referre ſuis cæteris contribulibus, & civibus, quorum plerique vel ætate vel morbo aut quibusque negotiis venire modo impediti ſint, quodque hæc quoque egreſſio præter ſpem & ex abrupto facta ſit, & quam multi ignoraverint. Rogare ſupplicareque Majeſtati ſuæ

tis, tranſigemus. Dehinc hortari ac requirere illos cœpit, ut pro ſua in eum fide & obſervantia, portas ſuæ civitatis non teneant obſeratas: indignum eſſe & ſe minime decere, ut hoſtes quosque ſuos absque delectu intromiſerint & apud ſe patiantur, & ſuum herum atque principem foris excludant. Non enim ſecum adducere niſi bonos ac fideles terrarum ſuarum provinciales, qui ita paci & honeſtati omnes affecti ſint, ut ipſimet cives; neque alia eos cauſa veniſſe, niſi ut pacem & tranquillitatem & urbis & patriæ procurent, neque eos latrocinio ac ſpolio deditos, ut hi, quos pridem ſub ipſo noctis ſilentio contra ſe introduxerint; ſed illos apud ſe civiliter & legaliter ac ſine eorum offenſa victuros, ſuasque inibi pecunias, & easdem quidem non modicas, conſumpturos; ex quibus non parvum eis ac toti urbi emolumentum ex ſua quoque præſentiæ ac Curiæ reſidentia ſit obventurum. Non hujus in ſe animi ac diffidentiæ eſſe oportere, qui omnibus pius ac manſuetus eſſe conſuevit, neque per o-

ea adhuc modicam patientiam habeat, noctem jam ſubeſſe, neque commode nunc, etiam ſi velle, ſubintrare poſſe ultra craſtinam diem ſuam Celſitudinem amplius non moraturos, quin Majeſtatem ſuam & omnes, qui cum ea ſint provinciales, jucundo animo intromittant: dummodo eos, qui ſtipendio conducti ſint, foris dimittat, ſeque ſuos etiam, qui intus ſint, Bohemos & alienigenas, & quoslibet ſtipendiatos, mox altera die ante ſuæ Majeſtatis introitum pariter dimiſſuros. Neque plura de hoc eo ſero verba facta ſunt. Cæſar illis ſalutatis atque dimiſſis in caſtra cum ſuis rediit. Cives autem & populus omnis in urbem regreſſi ſunt, atque omnes Cæſaris inter ſe pietatem laudare, ſimulque terraneorum verecundiam, ſi id reſpuerent, exprobrare, atque inſignem deinde ejus facundiam admirari; qui ſe elinguem proteſtatus eſſet. Optare, ut hunc modum ſemper ſervet, neque cujuspiam alterius & maxime Vlrici Rodigerii procaci & injuria lingua uteretur. Efferre quoque ejus modeſtiam in dicendo, quo eos non tanquam Princeps & Imperator ſuperbe & arroganter, aut ſicut principum mos eſt, pluraliter, neque uti ſubditos allocutus ſit, ſed amicos ut admodum ſibi cariſſimos ab initio ſui ſermonis appellaverit: exiſtimaſſe illum indignabundo & pleno iracundia erga ſe ſermone uſurum: verum autem eſſe, illius humanitatem & clementiam ab omnibus ſemper prædicatam & dudum ante recognitam; qui nec injuria moveretur, nec cuiquam pro ſuis demeritis iraſceretur. Nemo enim ex omni numero erat, qui non contentiſſimus animo & Cæſari benevolus urbem intraret, etiam qui antea omnium viſi fuerant ſibi magis infidi atque adverſi; adeo illorum animos ac mentes ſua oratione delinierat: neque fuit, qui urbis ingreſſum amplius illi ac ſuis remorandum arbitraretur; multo vero moleſtius ferebant, non eum eadem mox hora intromiſſum, niſi quod nox ipſa, quæ jam ingruerat, hujus commoditatem atque aptitudinem ſuſtuliſſe vel potius intercepiſſe videbatur. Mane vero adiere provinciales, ut eis Cæſaris benignitatem & oblationem humaniſſimam exponerent, quam plebs tota, & qui id audierint, uno voto, miro applauſu approbarint, non poſſe ammodo illum civitate excludere, aut illi introitum urbis diutius denegare, qui & ipſe ſuppliciter pacem ab eis ſe petiturum ſpoponderit, rogare & hortari eos, ut una ſecum ad illum foras exeant; Cæſarem id deſiderare, atque cum eis ſimiliter coram conferre velle, atque omnem ſui animi rationem palam exponere: ſi id recuſent, aperte intelligent, eos non pacem quærere, ſed potius refragari. Ad hæc provinciales omnes & hi præſertim, qui Cæſari hoſtes erant, & cum Alberto ſenſerant, proferre rem & frivolas quaslibet excuſationes prætendere. Non id bono a Cæſare animo, ut verba ſonant, fieri: non blandis ipſius verbis ita ſimpliciter credendum fore; cum intus fuerit, de ſe pariter & de illis ſtatuere poſſe, uti collibuerit: non amplius conſilii, ſed magis pœnitentiæ locum fore: deliberandum melius atque in tanta re non tantopere feſtinandum. At vero cæteri, qui meliori ſenſu erant, veluti Prælati, quorum magna pars illic erat, utpote

Meli-

Melicenſis, Gottwicenſis, Scotorum, Campililiorum, Cellæ Mariæ, Zwettellenſis, Altemburgenſis & Sanctæ Crucis Abbates: nec non domorum Carthuſienſium Maurbacenſis, Aſpacenſis, Gamingenſis Priores; & Sanctæ Dorotheæ, Sancti Hipolyti, & Sancti Andreæ Præpoſiti; nec non ex Baronibus nonnulli, qui melioris in Cæſarem fidei & animi erant, tantam Cæſaris oblationem & humanitatem non contemnendam: ad illum foras eundum in caſtra cenſuerunt, quod & Wienenſes & aliorum oppidorum legati, qui aderant, conſultius & honeſtius putabant. Quorum omnium ſententiam illi haudquaquam aſpernari poſſe videbantur. Itaque facto prandio ad horam meridiei ſeſe pariter exituros condicunt, & Cæſaris verba & mentem audituros, ſi modo eis ſecuritas eundi & redeundi fieret, quam jam pridem Cæſar ipſorum legatis ſimiliter & civium addixerat. Ad hanc horam ergo meridianam coadunati, aſſumptis ſecum ex Prælatis duobus & etiam civitatum legatis, Cæſarem in caſtris adeunt. Quibus Cæſar obvius extra caſtra procedit, ut liberiorem illis aditum præbeat, omnesque per ordinem, non veluti hoſtes ac diffidatos, ſed ut amicos dextera recipit, eosque his verbis allocutus eſt. Quis patriæ ſtatus exiſtat, provinciales, videtis, nec opus eſt verbis recenſere quæ oculis ſubjacent. Vrbes exhauſtæ, oppida & fora depopulata, villæ crematæ, laceratæque, agri inculti; omnia ferro, igni, vaſtitati ſubjecta. Quæ vero hujus belli cauſa & occaſio eſt, non vos latet, id vobis & mundo palam eſt, me hujus non fuiſſe autorem; qui nonniſi laceſſitus & provocatus arma defenſionis aſſumpſi, ſemper quæſiviſſe pacem, refugiſſe arma & armorum ſtrepitum, in quibus nihil quietis, nihil boni, nihil Deo placens eſſe novi. Vos, quos ut provinciales ſemper colui, amavi, quibusque ſuperiori tempore in omnibus, quæ a me petebantur, morem geſſi, alienum Dominum quæſiviſtis, deinde fratrem meum germanum adverſus me in bella concitaſtis & ipſi diffidaſtis. Ego vero me meaque tueri armis coactus ſum, & alienigenas, cum indigenæ mihi veluti exteri facti forent, paucis exceptis, ſtipendio conducere neceſſe fuit, a quibus, ſi quid hoſtili more factum ſit, & doleo & moleſtum ſemper habui: a me, nonniſi tueri me & mea ab hoſtibus, mandata habuerunt; neque cuiquam injurios eſſe. Jam vero quantumcunque armatus & comitatu fidelium provincialium ſtipatus ſim, non minus pacem cupio, pacem quæro, ſi modo decens & honeſta ſimul & firma haberi poſſit. Sin autem mea, quæ mihi ablata ſunt, repetitu-
rus veni, quam ſi & vos, ut videmini, habere deſideratis, pro qua nunc in verba noſtra, ut dicitur, conveniſtis, per nos non deerit, quam ut puram ſinceram & omni labe carentem & ſuſpicione intelligere poſſint omnes. Hæc una noſtro judicio via eſt & ipſa regia, ut omnem erga me hoſtilitatem, diffidationesque veſtras tollatis: ego quoque tametſi graviter me læſeritis, ac Majeſtatis rei ſitis, indignationem in eam & omnem offenſam remittam; atque hoc facto communi conſilio paci patriæ conſulamus: neque veſtrum comitatum ac conſilium abhorrebo, dummodo vos erga me non alienos ſenſero, ſed ut

fideles ſubditos: ero vobis Dominus & princeps gratioſus, vosque & quemque veſtrum pro ſua conditione honorabo & tractabo, quemadmodum parentes mei veſtros apud ſe habuerunt prædeceſſores. Hoc dicto, illi ſe ad partem, facta Cæſari reverentia ac licentia petita, retraxerunt, & communicato conſilio, qui hujus rei notabiles erant, nam plerique ex eis vel partium Cæſaris, vel neutrales fuerant, cauſam honeſtatis ſuæ, propter quam id in præſentiarum facere non poſſent, in medium afferre cœperunt, præſertim, cum Alberto Cæſaris germano colligati & adſcripti forent, nullam absque ſui licentia pacem aſſumere, idque Cæſari palam pro ſe ipſis reſponderunt, hoc adjecto, quod ſi Cæſar in communi pace patriæ annueret, poſtea ſe ſuper eo articulo deliberaturos, & ſeſe erga illum ita habituros, prout ſibi omni jure & honeſtate licere atque convenire arbitrarentur. Tum Cæſar: nunquid & mihi quondam tenebamini, & fidelitatis vinculo adſtricti eratis, & nihilominus, cum vobis viſum erat, a me abſtraxiſtis; ſi ergo tunc vobis licuit, & nunc licebit; ſin autem, ne tunc vobis licuiſſe plane omnes intelligunt. Ad cives autem Wienenſes & cæteros converſus videte, inquit, vos, & inter nos judicate. Ego eis pacem offero ac exuta dignitate mea, quod mihi verendum eſt, pacem ab illis ſupplex efflagito, & illam recuſant. Vos, inquam, convenio & hortor & ſub fide, qua mihi tenemini, admoneo conteſtorque, ut urbem, quæ mea eſt, me cum his, qui mecum ſunt intrare ſinatis, neque portas recluſas teneatis; ſed hos hoſtes meos amplius ea licentiatis & ego nihilominus vobiscum & cum cæteris provincialibus, qui illic ſunt, & qui deinceps venturi ſunt, de pace & bono ſtatu patriæ tractabo, ad omnia conſentiam, quæ vel rationabilia juſta, & vel dignitati meæ decentia fuerint, quod ſi & ipſi pro hac vice forſitan minus bene deliberati ſint, ſalvos eos per quindenam in urbe manere permittam, ut vel melius apud ſe conſilium capere, aut a vobis & reliquis in ſaniorem partem deduci queant. Tum cæteri & hi, qui ex urbe erant, laudare Cæſaris clementiam; illorum duritiem arguere, & in faciem illis exprobrare & dicere. Vtrumque deliberent, ſeſe in Cæſaris fide manſuros . . . . . neque illi urbem ſuam ac portas ejus ultra nequaquam denegaturos, ſatis eis fore proviſum de oblata per Cæſarem quindecim dierum ſecuritate, quibus vel deliberare melius, vel aliud de communi pace conſilium ſumere poſſe dicebant. Ad hæc Cæſari portas pro ſuo patere arbitrio dicunt; quandocunque ei collibuerit mœnia ſubintrare: duntaxat ut eos, qui ex raptu ſtipendioque vivunt, extra dimittat, alioque divertat, ut urbi & civibus non ſint moleſtiam illaturi, Tunc Andreas Paumkircher & Vlricus Gravenecker, qui horum ductores erant, pro illis fidem ſuam præſtare, ut nulli injurii in urbe exiſtant, altera vel mox ſequenti die ſeſe illos, ſi ita eis placuerit, absque damno civium extra mœnia reducturos, neceſſitatem eos cogere mœnia ſubintrare, qui ab extra neceſſaria non reperiant, minusque injurios in civitatibus eſſe ſolere, quam in agris, quod Cæſaris majeſtatem ac civium etiam intoleran-

tiam

tiam reformident. Magna præterea cives ex illis emolumenta ſumpturos, qui victui neceſſaria & cæteras quoque armorum ſuppetias nummo comparaturi eſſent : ſicque invicem diſceſſum eſt. Cæſar omnino ea nocte ſumpto prandio vel cœna , nam non niſi interdiu & hora jam ipſa tardiore cibum ſumere conſuetus, urbem intrare diſponit. Sicque Wolfgango Holtzer & cæteris , qui cum eo erant, civibus, cunctisque, qui aderant Curialibus edicit , ut ſe ad hoc præparent , publiceque per tubicinem proclamari jubet, ut omnes ſe ad ingreſſum coaptent, nullique vel in introitu urbis , vel in commorando injurii aut moleſti ſint. Omnia victui neceſſaria hoſpitiaque , non per vim aut violentiam , ſed cum ſumma civium benevolentia emant & ſuſcipiant ; quicunque ſecus fecerit, crimine capitali reum eſſe , atque proinde ſine gratia puniendum. Cæſar vero dimiſſa turba ad cœnam vadit; cæteri omnes ſua quisque tentoria demittere , currus & cætera impedimenta ac ſarcinulas recolligere & componere , & ſeſe ad ingreſſum gregatim in ordinem conferre cœperunt. Vidiſſes minus quam intra unius horæ ſpatium totum exercitum atque ejus formam deſtitutum, nonniſi unicum Cæſaris papilionem, atque vexillum conſtare. Interea provinciales & cives in urbem properant, & cum plerisque civibus & mechanicis, cum quibus conſuetudinem habuerunt, locuti ſunt, & Cæſaris ingreſſum vituperant, illumque totis viribus adhuc impedire conantur. Præcurrunt nuncii, qui Cæſaris ingreſſum Auguſtæ ſignificare contendunt. Accurrit & ipſe Wolfgangus Holtzer, ut & ipſe hujus boni nuncii primus ad Auguſtam relator exiſtat, magnam ſe ab illa gratiam acceptu-rum exiſtimans. Cui illa, ut eſt magni animi & more atque iræ tantiſper impatiens: Non ego, inquit, magnas tibi & cæteris gratias habeo, qui herum tanto tempore a propria urbe ac mœnibus ſuis excluſiſtis magno cum dedecore & injuria , non ſolum ſua & noſtra, ſed & veſtra & totius urbis & omnium civium indelebili nota & infamia. Quare, age, fac, cura, ut nulla deinceps amplius mora intercedat, quantum ipſius & mei indignationem velitis evitare. Tum ille rem joco miſcere , majeſtatemque ſuam juſtiſſimam indignationis cauſam in ſe & alios habere, ait, qui eam tot noctibus contubernio conſortis fecerunt carere. Ad hæc illa : non id, inquit, mihi contubernii noſtri cauſa moleſtum fuit , quo jam anno amplius carui , atque longius carere poſſem ; ſed veſtræ, ut ita dixerim, petulantiæ ac temeritatis , qui proprium herum & principem a ſuis arcere ædibus & mœnibus repellere auſi fuiſtis. Ad hæc ille nihil reſpondens, rubore confuſus diſceſſit. Nonnulli vero ex civibus & mechanicis, cum quibus forte provinciales illi præſertim , quibus ingreſſus Cæſaris moleſtus atque ſuſpectus erat , ad pulſum campanæ in curia præpoſiti concurrentes , inter ſe de Cæſaris introitu diſputare cœperunt, nec defuerunt , qui illum libenter impediſſent : vicit tamen ſanior pars, quæ id jam Cæſari addictum & promiſſum affirmarunt , neque pacto aliquo infringendum, præſertim cum jam tentoria omnia demiſſa, & currus & cætera omnia ad introitum parata eſſent,

non eſſet amplius deludendus. Subinde adveſperaſcente die & jam ſe inclinante, Cæſar omnes turmas & cohortes ad ingreſſum ordinari jubet, prout alias in campis ordinatæ fuerant & ſuperius de eorum progreſſu deſcripſerimus. Itaque primas acies Styrii duxere, præmiſſis, ut eſt mos gentis, vexillis & pueris, qui galeas, ſcuta, lanceas & cuſpides cæteraque arma pro ſuis quilibet domicellis deferre ſolent. Dehinc tubicines ante primarum acierum ductores, & qui thoracibus & melioribus armis induti erant; dehinc reliquuum vulgus, & qui leviori armatura fruebantur, quaternis aut quinis rato ordine ſeſe concomitantibus, quorum omnes copiæ ad numerum mille ducentorum equeſtrium exiſtimabantur. Dehinc Carinthani ſimili ordine ad numerum octingentorum: poſt hos Carniolani ad numerum quingentorum & amplius: ſubinde milites conducti, qui Cæſaris ſtipendio militabant, Bohemi, Moravi, Sleſitæ, quorum ductores præcipui duo fuere Hynko & Smykowsky cum ſuis centurionibus quinquagenarii & cæteri, prout quisque ſub ſe habebat ad numerum ſimiliter nongentorum aut prope millium, eleganti & lecta armatura ſuffulti; adeo, ut qui inopes & laceri primum a Johanne Ciska, ac ex fratris, qui in Pannoniis ac olim Gepidarum ſede & patria conſederant, immo ad Cæſaris ſtipendia contra Gamareth Fronaver, Auguſti rebellem, acciti venerant, jam auro, argento, gemmis, nec non purpura & ſerico reſplenderent. Horum veſtigia duo primores exercitus Capitanei Vlricus Gravenecker, & Andreas Pawmkircher inſignes armorum ductores & magnanimi, ambo manu fortes & ſtrenui, verum alter altero corpore major, alter vero ingenio, eloquentia vulgari longe anterior, ſed inter ſe fraterno prope amore conjuncti ac quaſi perpetua amicitia individui, qui & ipſi Cæſari numerum circiter octingentorum ſeu nongentorum equeſtrium & amplius ductitabant, inter omnes magis in armis conſpicui equos quamplures, plena armatura opertos habentes & ſolenni pompa ſive ornatu ante ſe ductitantes, cum tubis ductilibus, tympaniſtriis & fiſtulis more principum ſeſe præeuntibus, poſt hos . . . . . Cæſaris peculiaris familia, Comites, Barones, milites, & cæteri nobilibus orti natalibus ad numerum quadringentorum & ſupra: quos illico Cæſar ſuis ſtipatus conſulibus, & cæteris ætate & ſenſu majoribus, ſubſequutus eſt, marſchallo & his, qui Cameræ ipſius deſerviunt, nec non cuſtodibus, heraldis, tubicinis & vexillifero, & eo, qui enſem evaginatum, ut eſt mos illum ante Cæſarem deferendi, intermediantibus. Vidiſſes per vicos ex ſingulis ædibus favillas ardentes, qua lucem euntibus facerent, protendi. Nam ingreſſus ipſe, utpote lentus ac tardus, ad ipſas usque noctis tenebras dilatus eſt. Ante Cæſarem vero lumina ac tædæ cereæ in maximo numero ferebantur, ut plane illum vultu cernere ac dignoſcere poſſes. Intravit autem humili, quo antea veſtiri ſolitus erat, habitu nigri coloris, caputiatus pileatusque, nihil in ſe ſplendidum habens præter cingulum & cultrum, quo ſubcinctus erat. A tergo Cæſaris familia eorum, qui præcedebant Cæſarem, Curialium ac Conſulum, qui illum comitabantur, ſequebatur,

non

non minus mille vel octingenti, ſicque equitatura omnis ſeptem cohortibus, ſeu potius agminibus diſtincta erat, poſt hos pedites, ſuis quoque pariter diſtincti agminibus, prout ad conventus ex præcedentibus pertinebant, ad numerum circiter duorum milium quingentorum. Dehinc quadrigæ & currus more exercitantium diſpoſiti; ſinguli catenas ferreas, quibus, ſi opus eſſet, cæteris conglutinari poſſent, habentes, nec non ligones, palas & uncos, & cætera inſtrumenta ad fodiendum ſeu ad demoliendum neceſſaria, omnes vel corio vel lino ſeu etiam pannis nobilioribus cooperti, & armorum inſignibus eorum, ad quos ſpectabant, diſtincti, & gallos ſuper inſidentes, quo diurno vel nocturno tempore, ut ſupra meminimus, horas & cætera illorum præſtigia ex eorum cantu agnoſcerent. Inter hos primi Cæſaris fuere & ipſi quamplures coloribus Ducatus Auſtriæ albo rubeoque diſtincti ſigna aquilarum victricum præſeferentes, quibus res ad cameram principis ſpectantes, utpote veſtes, argentum, pecuniæ, & theſauri vehebantur. Poſt hos reliqui, bombardas, munitiones & alia neceſſaria ferentes. Dehinc reliquorum omnium, ut quisque prior tempore vel ordine alium prævenerat, urbem ſubingrediebantur. Equeſtres omnes ſuo ordine Cæſarem comitabantur, neque deſerebant, donec caſtrum ſive palatium in quo Auguſta manebat introiiſſet: ac primum omnes ad conſpectum Auguſtæ & filii ſeſe repræſentarent & gregatim præterirent. Prius tamen, quam conſortem & filium videret, ad binas urbis principales Eccleſias deſcendit, unam ſancti Stephani, quæ ingens ſtructura, turribus, tectis, cujus nedum in Germania, ſed nec toto orbe terrarum ſumptuoſior & famoſior ex ſectis ab imo usque in culmen lapidibus conſtructa, collegioque magnificentior ac ornatu intrinſeco. Inſignior vero multorum doctiſſimorum virorum theologorum & aliorum celebritate canonicorum, collegialiter ſociatorum; in qua & majorum principum Auſtriæ monumenta ſunt, & manubiæ; utpote vexilla, galeæ, mucrones atque ſcuta deſuper ſuſpenſa. In hanc primum Cæſar vota ſoluturus Superum ac Deo de ſuo in urbem tandem reditu gratias acturus. Dehinc in alteram ſcilicet ſancti Michaelis, palatio propinquam, quæ & ipſa parochialis eſt, & priori ſubjacet, poſthac ad lares viſendas & conjugem pariter & filium progreſſus. Devoverat enim, non prius ſe viſurum conjugem & liberos, niſi primum limina Sanctorum, & hæc duo maxime templa oraturus ingrederetur: quod & pie ac religioſe obſervavit: quamquam omnibus hæc expectatio & mora injuſta eſſet ac tædioſa; quod usque in tertiam vel quartam fere noctis horam protendebantur, fueruntque multi, qui usque ad medium noctis hoſpitia vix ſubintrarent. Pedites vero ac quadrigæ hac lege minime tenebantur, ſed per ſingulos vicos, ut cuique pro reperiendo opportuno hoſpitio commodius erat, declinabant. At ubi Cæſar caſtro approximat, Auguſta cum filio & ſuis intimioribus in ſuperiore parte palatii, ex qua proſpectus in urbem erat, & illius aditum eminus videre poterat, cum primo venientem & ſuos excipit. Dehinc Cæſare portam ſubingreſſo illi ad ſcalam pala-

palatii ſuperioris occurrit, & facta primum debita reverentia, lætis illum amplexibus recipit, eique filium jam pene fero oblatum protendit, quem manibus ſuſcipiens paterno amore deoſculatur, & omnipotenti DEO gratias agit, qui eum ſibi ſervaverit incolumem. Dehinc utrumque manu apprehenſa inter conjugem & filium Auguſtam in ſuperiorem ædium ſuarum partem reducit: poſtque multas confabulationes, accepta licentia, valedictis omnibus domeſticis Auguſtæ, in proprium triclinium ſecedit, eaque nocte quieti & ſopori vacans, a thoro conſortis abſtinuit. Mane itaque facto, omnes balneis & lotionibus incumbunt, ad extergendas ſordes ac pulveres, in itinere & agris ſuſceptos, eaque dies feriata omnisque conſilii & rerum ſeriarum expers fuit, & duntaxat colloquiis inter Cæſarem ac Auguſtam & ſuos utriusque ſexus vocatos. Dies autem ingreſſus urbis, ſeu potius nox, ipſa octava Kalendarum Septembrium ſub ipſa lunationis combuſtione: quod plerique aſtrorum obſervatores malum ingens ſubinde futurum divinabant; quorum non fefellit opinio. Nam paulo poſt transactam lunationem illam multa nefanda atque horrenda Cæſari ab ipſismet incolis urbis & his potiſſimum, quos in magiſtratu conſtituerat, perperam facta obvenere, de quibus in ſequentibus erit differendum.

*Pro continuanda Hiſtoria de geſtis hic inter Cæſarem & Civitatem.*

Et primo de adventu Domini Ducis Alberti in Norimbergam, & tranſitu Civium Holtzer & aliorum ad eum die Sabbati, quæ fuit die A præcedenti vigilia omnium Sanctorum; & de conſpiratione aliquorum civium, ſicut dicebatur, eodem facta & ſtipendiariis civitatis de excludendo Holtzer & Duce, & liberando Domino Imperatore, vel ut alii dicunt, quod in aggreſſu caſtri vulgo illos aggredientes invadere vellent; neſcio quid verum ſit, & aliquorum captura in die Dominico de mane, & ſignanter Johannis antiqui & filiorum ſuorum infra miſſarum ſolemnia, & quot numero & quibus, eorum detentione in prætorio usque ad tertiam diem vel quartam & eorum tan- B dem relaxatione ſub fide facta. Item de adventu Ducis in die animarum, & illius ceſſione facta a ferrata caſtri propter ictus bombardarum extra, & ejus primo tranſitu ad ſanctum Stephanum, & quantitate & ornatu gentium ſuarum, & qui ſecum venerint comites & alii ex Baronibus & aliis nobilibus patriæ & etiam Sueviæ &c.

Item de fuga & evaſione Magiſtri Vlrici eadem nocte, & qualiter apud ſcortos, & alios lectos quæſitus fuerit. Item de congregatione die ſequenti in curia populi & primo comitatis in C ſchola facta, & propoſitione perſonali Ducis & querela contra fratrem, & honeſtates ſuas, & venia conceſſa populo civitatis de geſtis contra ſe anno præterito in guerra, & nunc etiam contra fratrem; & aſſiſtentia ac facienda corpore & gentibus ſuis, & de capitulis concordiæ inter eos & provinciales aliquos factæ, ſuper quæ & quibus articulis & eorum ratificatione & ſigilli ſui appenſione, & de diffidatione ſua & ſuorum eodem ſero ſcriptis & ad caſtrum miſſis, & de treugis poſtea factis pro colloquio cum conſiliariis Imperatoris habendo,

&

& quæ & quales fuerint, & ubi, & quid tractaverint; & qualiter ducem nomine Imperatoris admonuerit & differuerit de tribus: de fraterna caritate & vinculo, quo Cæsari teneretur ut frater carnalis; & secundo de juramento fidelitatis, ab eo tanquam Principe Imperii præstito, & ejus tenore; & tertio de pace ultimo mutuo inter eos conclusa, & suis utriusque sigillis firmata & ratificata, & hortatione ipsius, quod illis non assisteret, neque favorem aut auxilium præstaret, sed potius suæ Majestati, uti fratri & Domino suo, vel si non vellet, saltem non juvaret, & se non intromitteret &c. Et de refutatione Ducis & petitione sua, quod abdicaret a se omne dominium & jus & adversationem patriæ; & daret pecunias, quibus stipendiarii omnes persolverentur, & requisitionem filii sui, quem vellet honorare pro Domino, & eidem tutorem & curatorem deputare aut usurpare &c. Quæ omnia nomine Imperatoris sunt restituta. Et tunc in continenti circa horam meridiei magnis bombardis duabus tractum contra castrum & eam partem, qua Imperator & ex omni parte, & sic iterum per duos vel tres dies terribiliter bombardatum. Item de proclamationibus iterum & de novo contra familiares Cæsaris factis, quæ in civitate essent. Et de accusatione prius facta, & fuga, & latitatione mea per octo dies facta. De fama mortis seu infirmitatis filii Imperatoris & morbi, & similiter Dominæ & Domini. Item de secundariis treugis per Ducem factis, & colloquio per priores tres confratres Imperatoris secum apud fratres juniores habitis, & illorum iterum resuspicione. Item de particulari colloquio fratrum inter se hinc inde quæsito, qualiter non potuerunt de hoc concordare; quia nec Imperator extra ad Ducem, nec Dux intus ad Imperatorem ire voluerit; & quod Holtzer etiam & cives ac provinciales contra hoc fuerunt & expresse contradixerunt, suspiciones inter Ducem & Imperatorem ad partem eis exclusis concordaturas. Interea de adventu Pawmkircher & Comitis de Schamborg, & aliorum, & eorum diffidatione huc missa. Item Victorini Ducis, filii Regis Bohemiæ, & Domini de Sterimberg, & illorum appropinquatione, & Scharmizel extra portas facta & vulneratione Marschalli. Item de cremation villæ Mezlamsdorff, & extra portam Stubarum & Scotorum. Item de defectu pulveris, & superventu Regis Bohemiæ cum populo suo ad Nuonburgam fortem, vel castrum Graiffenstein, & adventu collatorum suorum hinc, & statuitione temporum per duos dies, & noctes, & quiete bombardarum maximarum interim habenda. Item de prorogatione earundem per alios duos dies, & transitu Ducis ad Regem, & colloquio inter utrumque Newmburgum in aquis, & duobus cornibus factis, & qualiter Dux infecto tertia die redierit. Item de mutatione auræ, & navigatione per diem, & noctem facta circa medium mensem Novembris, & appropinquatione illorum, qui extra fuerunt, ad villam urbi proximam, quæ dicitur Mewrburger, & transfretatione continua gentium Regis Bohemiæ prope Castrum . . & Vichemude, quam villam, seu forum cœperunt & despoliarunt. Item de prima eorum statione prope villam Inzesdorff, ul-

ultra collem Viennenſium facta. Item A de murmuratione intus Civitatem, & defectu panum, & aliorum victualium propter defectum non frumenti, ſed farinæ, quia non niſi quinque molendini molebant, quæ non ſufficiebant pro tanto populo, qui ad ſummam undecim millium numerum duntaxat ad arma paratorum exiſtimabantur, per illos dies habito, & impoſitione ſerioſe civibus priusquam caſtris, & aliis facta. Item de ſilentio campanarum per tres dies & noctes habito. Item deſpoliatione Rehwein duorum millium florenorum, & amplius in domo ſua facta, & ſimiliter Perimam, B & aliorum propinatione vinorum, & evacuatione teſtudinum, & rerum ac mercium omnium venalium, & harum exiſtimatione. De precibus ac ſupplicationibus Prælatorum & cleri, ac etiam Sanctimonialium, imo & Univerſitatis ſtudii & ejus facultatis Doctorum, ac graduatorum: quorum auctoritate ſchola regitur, antea per Burgenſes repudiatis & poſthabitis. Et reſponſo Ducis eis dato, & de ſuſceptione Ducis ante hoc . . . & exhortatione ejusdem ad pacem cum C aliquali etiam hujus facti reſponſione, & indignitate, per Magiſtrum Thomam Wlgar ſermone introductis, etiam ad aliquorum de ſuis dedignationem & reprehenſionem . . . Item de ſecura a clero petita, & disquiſita, & a Prælatis etiam patriæ ... Item de cura ſolutionis ſtipendiariorum ducalium, & præteritorum tempore guerræ contractorum per cives ſponte in ſe ſuſceptæ, & in parte factæ; cum tamen alias Cæſari contributionem duorum aut trium milium librarum, ſub cauſa mutui aut impreſtiti penitus, & omnino denegarent pro ſolutione, & exoneratione ſuorum ſtipendiariorum indilate facienda. Item de aggreſſu, & inſultu ſuburbanorum in mane prima luce cum oriente ſole, in die ſanctæ Eliſabeth, apud Sanctum Vdalricum factis, & de aviſamento per illos interius primum in ſuo hero, & proclamate facto, quod omnes a labore ceſſarent, & ad ſonum campanæ intenderent, & die noctuque in armis parati eſſent, & accurrerent, ubi opus eſſet, & de ſono campanæ per duas vel circa horas ante diem, de ſono tubarum & clamore hinc inde facto; de ordine exteriorum, & de ſcalis & machinis adhibitis & bombardis. Item, quod meliores & fortiores aggreſſi ſunt, & in foſſo periclitati propter nives & nimiam foſſarum latitudinem & profunditatem. De concurſu populi urbani & ſuburbani; de bombardis & eorum ſagittis, ex caſtro per errorem in illos emiſſis; & de fumo & nebula, quæ tunc in aurora fuit, ut eos certe videre nequirent. Nam tempus per duos dies ante fuit valde humidum, & eadem nocte aër ſe purificaverat, & nix, quæ antea aquea fuerat, in glaciem verſa & ſuperficies terræ lubrica effecta, ex quo illi ab extra in foſſo deſcendere, neque pedes figere potuerunt. Fuit & aliud impedimentum, quod ſole præciſe oriente hujusmodi inſultum fecerunt, ita ut radii ſolares directe ad oculos eorum reſplenderent; ut illi, qui intus remanſerunt, partim ferro, partim ſagittis vulnerati; inter quos nonnulli, qui propius ſepes erant, cuſpidibus longis, quos anguilares vocant, plurimum læſi ſeſe dedituros, captivi recepti ſunt, & ab incolis ad Ducem introducti; inter

quos

quos quidam de Aſthermahora, Moravii Camerarii filius, frater Epiſcopi Clenconcenſis Germanus, & alii ad numerum X. vel XIII. plerique autem, & illi præcipue, qui in imo foſſæ erant, lapidibus obruti ſunt & neci proſtrati. Nam ferebant, ſupra illos etiam ſeſe dedituros plusquam tria plauſtra lapidum conjeciſſe. Magna vero pars eorum, qui extra ſuper foſſis remanſerant, bombardis, quas uncinas vocant, eo quod uncos habent, . . . vel capite, vel pectore læſi fuerunt, extimare volentes eos, qui in foſſo inter aggeres, qui fere cuſpide uno profundi omnes extincti & in infima parte ſui ad inſtar trianguli exaſperati, quæ ita nive ſuperducta fuit, ut ejus ſitum ac dolum non animadverterent ad lunare, ab his qui occurrerant ictibus bombardarum offenſi ſunt, quorum numerus circa XLV. aut XLVII. fuiſſe dicitur, alii de LXXV. retulerunt, licet vulgo ſupra centum fuiſſe dicerentur. Tres tamen duntaxat nominati & recogniti fuerunt, unus dictus Reiſticher ex valle Martiæ egregius juvenis; alii vero bini fratres ſibi admodum ſimiles, & proceræ ſtaturæ prope ſe occubuiſſe reperti, qui vel Weiſpriacher ſive Weiſpenegk fuiſſe dicebantur: præter hos ex Bohemia quidam ex vulgo, qui fratres a parte Ducis habere dictus eſt, admodum tamen elegantis formæ & ſtaturæ tam in foſſa, quam extra proſtrati in agris aut vinetis reperti ſunt, quos omnes una foſſa defoderunt, præter duos illos fratres, quorum miſerta pars una ſeorſim foſſa humi depoſuerunt. Reiſticher vero a quodam ejus propinquo in ſtudio demoranti, qui tum hic erat, accepta licentia, in agris peregrinorum apud Sanctum Colomannum ſepultus eſt: miſerabile dictu, quam turpiter a plebe & quibusdam ſoldatis non ſolum armigeris, ſed & reliquo veſtitu usque ad fœmoralia, quæ & ipſa & quibusdam ablata dicebantur, ſpoliati & exuti in momento fuerant: nonnulli etiam ſemivivi adhuc palpitantes, & in ſolo aut ad arbores proſtrati, ab ipſis plebeis turpiter necati fuerunt; nonnulli ſaucii ad primas caſulas apud Sanctum Theobaldum inter ſepes adducti, & ibidem vulneribus eorum obligatis, ad confeſſionem admiſſi ſint, quorum aliqui mortem obierunt, alii vero paulatim convaluerunt. Fama erat in urbe, Comitem Vlricum de Staremberg Gl. de Puchaim Seniorem, & ceteros plerosque majores natu, qui omnes in eodem aggreſſu principales fuerunt, graviter ſauciatos, vix vita Comite receſſiſſe; qui mox eodem die ad Novam Civitatem ſunt reverſi. Paumkircher vero horum omnium Dux & Capitaneus, reliquis ad ſonum tubæ revocatis, ſe ad locum caſtrametationis recepit, ubi ea die & nocte ſequenti quieſcentes, & ſauciis medicatis, altero mox die cum omni exercitu inde diſceſſerunt & verſus aliam partem Civitatis ſeſe reduxerunt. Interea Rex Bohemiæ, qui eodem mane pontem Danubii ex alia parte fluminis & baſtitas circa eundem poſitas impetere debuerat, ſic enim invicem condixerant, ut illis primo illic invadentibus, cum jam pontem accepiſſent, ſignum illis ex incendio & igne darent, quo viſo eis ab alia parte Civitatem aut ſuburbana invadentibus, ut omnem primo plebis excurſum eo di-

diverterent, illi primum eo loco pugnam occiperent, & verſus caſtrum, in quo Cæſar erat, ut illum caperent, vel illi ſuccurrerent, properarunt. Sed dubium, an prodito negotio, vel etiam caſualiter & conſulto, Burgenſes veriti intra Civitatem timentes, id prope pontem accidere, primo mane ante lucem pontem incidi, atque ejus ferramenta deponi juſſerunt, & ea omnia ac baſtitam, quæ illic ſupra pontem erat, concremari fecerunt; veriti, ne regis exercitus illac per pontem irrumperet, & exercitum usque ad mœnia Civitatis, quod facile contigiſſet, ductitaret; cum alveus Danubii, urbi proximior, admodum baſſus & exiguus foret, ita ut a quovis adoleſcente aut baculo tranſiliri potuiſſet. At illi ignem & fumum ex ea parte videntes, ſuccenſum rati Regis exercitum jam pontem accepiſſe, & Civitatem ex alia parte invadere, ſi ipſi jam inermes forent, ſuburbana illa aggredi ſtatuerunt, & eo, quo retuli modo, cladem non parvam acceperunt, de quo tamen Cæſar, & ſui ac plerique etiam Cives partibus ſuis magis faventes, deterriti ſunt: ceteri vero partium adverſarum, uti ex victoria fieri aſſolet, inſolentiores ac magis animati effecti, cum prius multo timore titubarent. Sunt qui dicant, Cæſarem cum ſuis jam pontem Caſtri & ejus portæ, quæ ad ſuburbana ducit, armis indutum ſuorum adventum operiiſſe, ut vel illis intro Civibus occurreret, aut cum eis extra obſidionem ſeſe liberaret. At cum intellexit, illos minus proſpere pugnaviſſe, haud dubium magno mœrore affectum ſeſe e contra in caſtrum recepiſſe: Vidiſſes antea ex omnibus turribus ac propugnaculis vexilla ac banderia varii coloris erecta in ſignum lætitiæ ac jucunditatis fiendæ: quæ omnia poſtmodum intus recepta fuere. Rex vero adhuc apud Newmburgum exiſtens Duci nuntiavit, ut ad ſe gratia placitandi accederet; quod licet ille animo aliquantulum inſolentior factus non nihil refragare videretur, annuit tamen, ſicque induciæ trium dierum hinc inde ſtatutæ ſunt, & ex utraque parte receptæ. Verum nocte ſequenti; hoc eſt ſabbatina, paulo poſt medium noctis, ad ictum campanarum apud fores & Sanctum Michaëlem, dehinc etiam apud Sanctum Stephanum, magnus rumor ac motus in Civitate fuit, omnibus ad arma confugientibus, & extra urbem ad loca illa, ubi inſultus fieri dicebatur, concurrentibus: ſed nihil aliud fuiſſe dicebatur, quam ut quidam de exercitu, pauci tamen laceſſendi magis ac provocandi gratia, nonnulla tela ignita in ſuburbana ac intra fores projeciſſe dicebantur, quorum aliquem ignem in una parte ſepis excitaſſe ferebant, quem cuſtodes illico extinxerint; ſicque quisque in domum ſuam reverſus eſt. Dominica vero die tota utrinque ab armis requieverunt. Dux vero, ſicut præmiſſum eſt, ad Corniburgum ad proloquendum cum Rege profectus eſt, & pax ſeu treugæ in tertium diem finitæ ſunt. Tertia vero die, rebus interim non confectis, iterum & bis in tertiam diem prorogatæ ſunt, hoc eſt in diem octavam proxime ſubſequentem: ultima vero die gentes, quæ ſuburbia invaſerunt, ſummo

mo mane ordinatis curribus ac cohortibus, a loco caſtrametationis ſe levant, & per villas hinc inde diſtribuunt; Pawmkircher & ceteri quique majores ad Regem Corniburgum profecti, ſecum inibi conſilium de rebus ultra agendis accepturi. Rex vero ſuos ad Cæſarem mittit, qui ejus in rebus tractandis voluntatem perquirant, quos plerique de plebe, & qui pro cuſtodia caſtri deputati erant, minime intrare permiſerunt; donec Dux & ſui, ac Wolfgangus Holtzer eorum Capitaneus hoc eis perſuaſit, in meliorem hoc partem fieri. Fuerunt hi duo intimi Cubicularii & ſecretioris conſilii, qui altero mox die ad Regem redierunt, & omnem ei a Cæſare auctoritatem tributam edicunt. Dux eos ſequitur, deinde illi iidem, tum cauſa prorogandæ pacis ſeu treugarum redeunt, & iterum non minorem quam prius difficultatem intrandi reperiunt, donec denuo eis a majoribus eſſet demandatum. Ex quibus unus nocte exit, & ad eos, qui extra in caſtris erant, cauſa promulgandæ pacis, ſeu treugarum accedit. Alius vero in caſtro, ut dicebatur, pernoctavit; ſequenti vero die, cum Regi videretur omnino non ſine Cæſaris Oratoribus placitandum eſſe, ne tractatus ipſi veluti in abſentem & coactum atque involuntarium Principem per ſe unquam honeſte facti dicerentur; hortatur & requirit Cæſarem, ut aliquos ex ſuis ad ſe mittat, quorum conſenſu & ſcientia cum Duce pertractet: in quo & Cæſar ſe ſpontaneum offert, & duos ex ſuis Conſulibus mittit, unum Sigismundum Sebriacher, & alium item Georgium Brigacher, qui ea nocte in ædibus principis ſeu Holzler pernoctarunt; mane autem ad Regem uſque Corniburgum profecti ſunt, neque usque in alterum aut tertium diem redierunt. Poſtquam autem in tertium usque diem tractatus prorogaretur, & populus multum murmuraret pro eo, quod Regis Oratores pro ſuo libitu voluntatis ad Cæſarem ingrederentur, quodque hujusmodi tractatus eis abſentibus, & rerum diſpoſitionem ignorantibus fieret, ob idque jam prope de fide Ducis erga ſe dubitarent. Dux ipſe neceſſarium putavit, ſeſe Viennam conferre, ac excuſationem ſuam, ſimulque rationem hujus in modum afferre. Itaque Rege dimiſſo, Viennam pergit, populumque ad ſonum campanæ convocari jubet, & in baſilica principali urbis Sancti Stephani, quæ latior & amplior eſt, plebem alloquitur in hæc verba. Relatum eſt vos indigne ferre, cariſſimi Cives, quod Regis legati per hoſce dies in caſtris veſtro injuſſu frequenter admiſſi ſunt, & redire permiſſi. Quapropter ad vos veni hujus rationem vobis expoſiturus; poſtquam enim res eo venit, ut ſtantibus treugis cum Rege placitandus eſſet, qui Cæſaris nomine ſe interponit, nulli cuiquam ab re videri debet, ſi Regis legati ad illum pro illis practicandis adierunt, & adhuc adituri ſint, cum hæ res absque Cæſaris voluntate tractari aut concludi nequaquam poſſint; cum de ſua re, neque parvi momenti agatur, ipſum venire, & ſi hoſtis ſit, tamen princeps Auſtriæ & non vulgaris, ſed omnium præcipuus in orbe exiſtat, qui non usque adeo ſit contemnendus, ut neque Orato-

res ac pacis mediatores ad eum non
A
ſint admittendi ; indignum enim &
iniquum eſſe de re cujuspiam etiam privatim agi , cujus de eo voluntas aut intentio non requiratur. Proinde id eos non ægre ferre , neque ad ſiniſtrum interpretari oportere, neque de eo quicquam hæſitare ; ſed hoc unum eis polliceri, Cæſarem nulla ratione in regimine hujus Principatus permiſſurum; proinde & corpus, & quicquid in rerum natura poſſit & habeat, ſeſe expoſiturum. Quo dicto omnes ejus fidem laudant , &, ut Dii vobis faveant , magnis vocibus imprecantur, tametſi in prioribus ejus
B
verbis , quibus Cæſarem tanti faceret, plerique ex eis plurimum deterriti fuiſſent, & malo prope animo receſſiſſent, exiſtimantes illum jam quaſi ad Cæſaris partes velle inclinare, ſed , quam poſtea ſubjunxit, oblatio , omnem ab eis dubitationis formidinem abegit. Majores tamen plebis ſe de hac re conſulturos ajunt, & ei poſtmodum domi reſponſuros, ac latius collaturos ; ſicque res in diem ſequentem dilatæ ſunt. Interea famatur per urbem, Cæſarem & ſuos magna rerum inopia urgeri,
C
neque amplius jam præter legumina, veluti piſa, & hordeum habere, carnibusque ſalſis ac ſuffumigatis, quibus veſcerentur ; vinum jam dudum eis defeciſſe : de quo tamen Cæſar, & Auguſta parum penſi habere credebantur; quod alias ambo vini ſobrii, ac temperantiſſimi eſſent; niſi quantum aliorum conſuetudini compaterentur : ſæpe tamen ab amicis , & Cæſari faventibus, farina & carnes recentiores, panis coctus, poma & alia nocte foſſo projecta dicebantur , & a nonnullis etiam carnes ferinæ, altilium , veluti faſianorum ac perdicum importatæ , quibus in aperto oſtenſis, cuſtodes, qui excubias obſervabant, plurimum deludebant : qua de re populus & harum rerum magis ſtudioſi, valde indignati, pœnam capitalem omnibus , qui vel minimum quid inferrent, palam edicto publicarunt , aut quicunque velato capite ac facie obducta , illic propius accedere præſumeret. Quam multi ſub habitu ſcholaſtico, quibus caputiorum mos eſt, illos ſæpe & ſæpius deceperant, qui vel caſtrum vel foſſam per ſilentium ingreſſi erant, vel
B
res victui aut uſui neceſſarias, quinimo & litteras & aviſamenta quædam ſub chlamyde abſconditas intus projecerunt , qui cauſam hujus edicti præſtitere. Poſtera die advenerunt Cæſaris Conſiliarii Pancratius de Plankchenſtein, & Georgius de Wolkesdorff Barones ac primores natu Auſtriæ, Andreas Pomkircher & Vlricus de Fledrit, vir bonus, & quondam Ladislai pædagogus, & morum ſive virtutum ducibus, Curiæ Magiſter, nec non Scyricinus, ſimulque Regis Bohemiæ compilares, Zedenderha de ſtella, nulli in regno ſecundus a parte regni, & alii Secretarii, viri nobiles ac conſilii ſui præcipui, quorum nomina nondum reſcivi, qui cum Archiduce & vrbanis de pace tractarent. Verum plebs iterum murmurare cœpit, & ſive ab aliis ſtimulati, ut in aperto parum, aut nihil pacis avidi, ſed ardentes ſeſe ad caſtrum inſultandum oſtentarunt, quo vel meliores pacis conditiones ſortirentur , & Cæſarem ſuosque magis deterrerent; quamquam ſe illos læta fronte & alacri animo ſuſcepturos, neque multum formidare viderentur,

ac

ac palam ultro eos ad hoc invitarent. Licet autem treugæ eſſent, non minori tamen cura caſtrum excubiis & tam diurnis quam nocturnis cuſtodiis & ſtudio obſervabant: ne quo ingenio aut arte Cæſar inde clam diſcederet; omnem belli victoriam ac tropheum perdituros ſe arbitrantes, ſi illum e manibus prolabi contigiſſet. Cæſar vero neque animo, ut mea fert opinio, utque dudum ejus ab ore audivi, ſe privatim a ſuis diſcedere cogitabat. Primum, quod id ſibi minus honeſtum, neque enim facile vel tutum videretur alicujus fidei ſe privatim committere; alii illum ſecreto per ſpecus ſubterraneos, qui de palatio vel antiquitus erant, aut noviter durante guerra fieri potuerunt, nocte ſubterfugiſſe; quapropter per omnem circum caſtrum foſſam vallumque & aggeres & munitiones, quas baſtitas vocant, parant, & gentes circumquaque ponunt, quorum omnium cura præcipua Nabuchadonoſor Ankhminoter, homo per omnem ætatem ſuam in armis verſatus, & qui nullo unquam bello abfuit, Ducis Capitaneus, ultro in ſe ſuſcepit; cui fides eo major habita eſt, quod omnibus diebus vitæ ſuæ in cunctis ſemper bellis & diſſenſionibus, tum publicis tum privatis adverſus Cæſarem fuerit, & partium contrariarum ſtudioſiſſimus. Itaque die noctuque invigilant, obſervant, & cuſtodiam exactiſſimam faciunt. Qui vero Cæſaris ac Regis conſiliarii advenerant, ſero illo facta cœna, ad Cæſarem in palatium eunt, & fere usque ad medium noctis intus manſerunt; quos illi acrius obſervantes, qui cuſtodiæ extrinſecus deputati erant, ingentes ignes accendere, faculas aptare in multo numero, quibus ardentibus faciem illorum, qui intraverant, dignoſcere poſſent; omnes enim apertis faciebus exire, ac ſeſe demonſtrare oportebat, ne forte perſonam Cæſaris inter ſe occulte educerent, & ſecum ex urbe abigerent; quod rerum omnium eſſet turbationem, ac deteriorationem allaturum. Cum vero omnes ex ordine conſpexiſſent, unus, qui ſtatura puſillus erat, & Cæſari omnino diſſimilis, abire ſine judicio & faciei diſcrimine permiſſus eſt: quam ob rem mane in vulgo famatum, illum ipſum Cæſarem inter alios eductum, propter quod fores & portæ omnes urbis, præter unicam, quæ ad rubeam turrim dicitur, & ad alveum danubii eſt, usque in veſperam obſeratæ ſunt, neque ullus exire permiſſus, quin primo facie recognitus fuerit. Ea nempe die Dux & cæteri Cæſaris ac Regis conſules cum eo Nouiburgum ierunt, & cum illo Wolfgangus Holtzer, & nonnulli ex conſilio civium deputati, inter quos & Johannes Meyburger, omnium impatientiſſimus, atque ferventiſſimus, & cæteri partium ſuarum ſtudioſiores. Quo autem pacto Cæſaris conſiliarii diſceſſerint, neſcitur; niſi, quod fama ferebatur, illum Regi Bohemorum ac duobus ex illis, ſcilicet Georgio de Wolkesdorff, & Pangratio de Plankhenſtain omnem harum rerum arbitrium tradidiſſe. Poſtridie vero Wolfgangus Holtzer ſub noctem revertitur, ac mane prima luce in vulgo diſſeminatur, rem omnem jam concluſam atque prope transactam. Itaque in plebe, apud ſcholas Sancti Stephani congregata, edici jubet, ut Cæſar adminiſtrationem patriæ Duci

non

non veritus Domino ceſſurus ſit, ac demum, qui provincialibus omnibus gratior & acceptior fuerit, is pro principe & adminiſtratore reipublicæ ſit eligendus & acceptandus: propediem omnia finem pacis habitura, Regemque & Cæſarem una vel hic Viennæ, vel apud Corniburgum conventuros, ſeque cartam & ceram & alia pro litteris conficiendis neceſſaria eo ſecum reverſuro apportaturum; nec minus ea nocte pulveres atque ſalnitrum, nec non petras ex bombardis projiciendas, de novo ſuperductas in non parva quantitate famabatur, quas ſequenti luce introduci idem Holtzer demandavit; in eventum forte, quo hæc res non ſuo modo tranſigeretur, Cæſarem & ſuos iterum de recenti oppugnarent. Nam antea parum illis de hujusmodi rebus ſupereſſe famabatur, ob idque plerisque diebus a bombardarum ictibus & oppugnatione palatii abſtinuiſſe dicebantur, atque in eas treugas, quas Rex indixerat, ea potiſſimum ratione acquieviſſe. Subinde poſtridie Cæſaris legati & una Regis revertuntur, qui rem, ut inter Regem & Ducem concluſa ſit, ut arbitror, referunt: moxque eadem, qua ingreſſi ſunt, nocte ingrediuntur, ac mane litteras ſigillatas ad Regem referunt, quarum delator fuit Vulcanus Fortunarius, Auguſti Secretarius, qui cum Cæſare intus concluſus erat. Rebus itaque ſic concluſis, Dux, & qui cum eo ierant, Viennam redeunt, totamque plebem ſigno campanæ majoris, adhibitis auſpiciis, edicto in ædem Sancti Stephani convocat, expoſiturus ea, quæ illic de his rebus tractatis atque concluſis eſſent referenda. Itaque tota plebe congregata, cancellos aſcendit, & ipſe ſuo ore pacem firmatam denuntiat, ea lege, ut Cæſar ſibi adminiſtrationem Auſtriæ cedat usque ad certos annos, quos Rex arbitratus fuerit, tenendam, ac deinceps tempore finito, aut ſi diem ſuum obiret, provinciales octo ex ſe eligere debeant, qui adminiſtratione fungantur, ſeſe autem Cæſari certam pecuniam annuo redditurum, quam ipſe Rex arbitraretur, atque ipſos tandem adminiſtratores poſt ſe venturos Cæſari quoque de ſua parte reddituum, qui impenſas excreverit, reſponſuros. Ad hoc omnes in bello captos libertati reſtituendos; bona quoque Cæſarianorum, & qui cum eo obſeſſi fuerant, & quomodolibet, aliorum, præſertim immobilia & patrimonium & mobilia quoque, quæ adhuc extarent, reſtituenda ex integro fore. Adverſum hæc multi ex plebe & ipſi inprimis rerum ductores, murmurare, neque pacem illam & tractatus usque quaque probare videbantur: præſertim de pecunia quotannis Cæſari pendenda, quod illi tributarii viderentur. Deque annorum numero, & æris quantitate, quæ adhuc in ambiguo eſſent, ac ſuper omnia de reſtitutione bonorum Civibus facienda, quæ Wolfgangus Holtzer & ſui complices jam occuparunt. Dux vero, ut hæc ſenſit, dixit, hæc provincialibus præſentibus, & ſecum una laudantibus, acta; atque etiam his, qui pro eis deputati fuerant, jam non aliter fieri poſſe, neque ſemel acta, cum tanto Rege irrita facere: conterraneos in teſtes advocare, illis rebus fidem dare. De numero annorum ac æris quantitate nihil eos penſi habere; ſeſe hujus

jus curam in ſe ſuſcipere, curaturum, ut absque eorum impenſa ac onere ea de ſuo ſolvantur. De bonis vero civium non ſecus fieri potuiſſe: in omni pace & concordia id fieri ſolere, ut bona cuique hero ſuo, bello occupata, reſtituantur: ſi aliter fieri nequeat, ſeſe illorum æſtimationem eis, qui ea occupaverant, ſoluturum. Cum autem Holtzer, & alii nec ſic acquieſcerent, ſed rem per moram ducere conarentur, conſilium ſuper ea re præhabendum, & plebi, & quosdam ex ſe ad id deputarent, perſuaderet. Dux more impatiens: attendite ad me, inquit, cives, non ad illum ſolum; nam & ego Burgimagiſter, & plusquam Burgimagiſter ſum, neque ex illo & ſuis adeo pendete. Ecce pacem, quam diu deſideraſtis, ante oculos veſtros poſitam, & ſummo labore noſtro partam & concluſam, atque horum fidelium provincialium. Eligite utrum magis velitis pacem, an bellum: qui pacem cupiunt, mecum una illam laudent, & voce pariter & manu indicent; qui vero bellum malint, bellum gerant: ego me his curis ſubducam, & ſimul manum elevans, pacem ego primus indico atque probo, ſimiliter & cæteri, qui cum eo erant, provinciales; tum reliquum vulgus omne una voce & manu pacis indicia fecere; Wolfgango vero Holtzer, & quibusdam aliis nihil tale facientibus, cæteri ex plebe palam dicere cœperunt ac inſultare: nunc videmus, quæ veſtra ad pacem intentio perverſa fuerit, nos uncinolos appellaſtis, & unci majores eſſe comprobamini; jam civium bona occupatis, neque adhuc ſaturi eſtis: velitis, nolitis, pacem habere conſtituimus, illamque ratam & firmam eſſe decernimus. Tum illos quoque tametſi malis gratibus, illam laudare oportuit & reliquo vulgo ſeſe conformare. Dimiſſa igitur turba, Dux altera die ſe ad Noviburgum citra amnem, quod dudum a Cæſare defecerat, & ſe illi dederat; contulit. Erat autem conventum inter Regem & Ducem, ut Cæſar die ſequenti, quæ erat pridie nonas Decembris, e caſtro cum conſorte, & filio & omnibus perſonis & bonis ad ſe ſpectantibus, emitti deberet extra urbem: tutus exitus præſtari, quo ſe ſuper firmandis pactis ad Regem usque Neoburgum trans amnem conferret. Et Auguſta una cum filio & ſuis in novam Civitatem proficiſceretur. In quo Lignarius & ceteri quoque ſe non faciles, & parum voluntarios præbebant: durum enim eis videbatur, Cæſarem liberum dimittere, votis ſuis nondum in eo, & qui cum eo erant plene ſatiatis; verum, cum ſe conventis non poſſe contraire intelligerent, ad prædandam reliquam civium ſupellectilem, & quicquid illis adhuc ſupererat, animum converterunt; quamquam Dux id expreſſe in pactis deductum ac vetitum omnino affirmaſſet. Nocte igitur tota domos civium, quas prædandas putaverant, expoliant, & usque ad lecticas & clavos parietibus infixos, ac minora quæque in domo aut penu exiſtentia abducunt, neque deſiſtunt a vinorum, quam ante incœperant, propinatione. Interea venit illa dies, quo Cæſarem cum ſuis caſtrum egredi conventum eſt, & ab obſidionis anguſtia eximi. Conveniunt autem ſummo mane ante urbem, & illi appropinquant Victorinus Regis

gis Bohemorum filius, a Cæſare ante triennium Dux Monaſterii Burgenſis in Sleſia creatus, & Zdenko de Stella, ex Bohemis Baro primarius & inſignis, cum omni gente ſua; adeſt & Vlricus Comes de Schawnberg, & cæteri Cæſariarum partium, qui ante urbem caſtrametati erant. Hi omnes Cæſaris & Auguſtæ exitum obſervabant. Rex quoque Bohemiæ, & ipſe cum ſuis maxima multitudine apud pontem, qui trans flumen Iſtri trajicit, Imperatoris adventum operiebatur. Verum, cum frigus magnum eſſet, & agri omnes nive cooperti, nec caſæ, quibus ſe ſubducerent, ſubeſſent, maximam lignorum ſtruem, quibus pons reficiendus erat, igne conſumebant. Cæſaris autem exitus a mane usque in veſperum tenebatur ſuſpenſus, ex eo maxime, quod magna difficultate portæ duæ, quæ magna mole obſtructæ erant, atque lignis, lapidibus, ac terra obturatæ, per quas Cæſari exitum parare oportebat, ſummo labore per quinque aut ſex horas adapertæ fuerunt; quarum una caſtro, altera palatio & muro proxime adjuncta erat. Quamvis enim illum per mediam urbem, atque alias portas educere diſpoſuiſſent; quia tamen id ſibi deſpectuoſum videbatur, vel quo minus per omnem plebem ſibi ſuisque inviſam procederet, proximioribus portis egredi ſtatuit; & quia foſſas quoque & ageres in ſuburbanis per medios vicos ſubierat, quo magis illum obſervarent, & ne qua illi egrediendi facultas relinqueretur, illas quoque explanare, ac trabes & impedimenta quæque de medio ſubducere, neceſſe erat. Victorinus autem, & qui cum eo erant

A Bohemi, matura ſatis hora ingreſſi ſunt urbem, & ipſe cum quibusdam de ſuis, paucis tamen, in caſtrum usque ad Cæſarem ſubintravit, quo illius ingreſſum magis maturaret, & ſimul omnem dubietatem, quam forte habebat, ei adimeret, eique equum, quo inſederet, ante fores ſtatuit; cum omnes ſui ſuorumque per lignarium ſatis eſſent intercepti, qui illos inter hoſtes Cæſaris, qui ex provincialibus erant, diſtribuit, partim in auro redemptis, partim vero dono gratis acceptis. Equi vero Auguſtæ ac currus & cætera, quæ

B illi attinebant, ex pacto ſpecialiter in concordia adjecto reſtituta ſunt. Currus vero cum bombardis, & aliis munimentis ac rebus cameralibus, tam Cæſaris quam Auguſtæ & ſuorum in caſtro dimiſſi, neque plures quam quinque aut ſex pro vehenda Imperatrice, & ſuis domicellis. & quidam etiam pro rebus Cæſaris educendis, ea die receſſus eorum ſtatuti ſunt, reliqui ſequentibus diebus abducendi erant. Egreſſi igitur Auguſtus cum Auguſta cum ſuis præter paucos, quos intus pro cuſtodia ac traductione rerum deinceps fienda reliquerant,

C Auguſta primum cum filio & Domicellis ſuis currus quadrigarum auratos & largos, ad morem, & feſtum principale apparatos conſcendit, & qui cum ea præire juſſi ſunt, primum portas exeunt: inter quos Zdenkho de Stella, devotiſſimus Auguſtæ & obſervantiſſimus, cum cæteris plerisque Theothunis & Bohemis affuit: fuerunt & alii de familia & gentibus Alberti, utpote Sigismundus Eizingerus ipſius Marſchallus, & Watzlans caſtri & fori Bertesdorff cuſtos & gentium Ducalium ductor, Af-

fue-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuerunt & pleriqui alii de familia Cæſaris & Auguſtæ, inter quos & Chriſtophorus Morſperger Cæſaris Scriniarius, & pecuniarum conſervator, erant, & bini fratres Sporenſes, ac multi alii. Cæſar vero equum conſcendere noluit, niſi primum conſors & filius cum ſuis præceſſiſſent. Quibus præmiſſis, ipſe quoque conſcendit, & aſſiſtente ſibi Victorino, Regis filio & cæteris, qui pro illius tutela venerant, qui Imperatorem e veſtigio ſequutus eſt. Exierunt autem per portam palatio vicinam, & aliam in ſuburbanis, quæ apud capellam Sancti Theobaldi eſt, in qua fratres Sancti Franciſci de obſervantia degunt, pleriqne ex ſuis etiam militibus & nobilibus perſonis, qui equos ſuos perdiderant, pedeſtres cum proſequentibus & ex rheda, quod genus vehiculi tempore hyemis Theothunis atque Bohemis frequens eſt, neque rotis conſtat, ſed lignis in terra ſerpentibus. Nonnulli vero liberaliter eorum, qui aderant, Bohemorum equos dono acceperunt, inter quos unus erat Johannes Rorbacher, Cæſari inter omnes acceptiſſimus. Cujus gratia hæc omnia Cæſari obveniſſe a plebe dicebatur, & quem tanto odio cives habebant, ut nec recta facie illum poſſent intueri: idem & de quibusdam aliis fuit, atque in primis Wolfgangus Cadavero, nobili & animoſo viro, qui ab ineunte etate rei militari nec ignave quidem vacaverat; hos enim duos maxime plebs ſibi exhiberi poſtulabat, omnem eis harum rerum culpam adſcribendo, quam tamen revera non habebant: fecerunt enim ea, quæ principi & hero ſuo conducere putabant, illius juſſa ſequentes; licet ſemper, qui principi magis dediti ſint, & ad negotia illius præpoſiti, majorem inter alios invidiam patiantur, in quos rerum omnium, quæ fiunt, nota rejiciatur. Vidiſſes in via ſtantes, quos non homines dixeris, ſed potius beluas rudes & immanes exiſtimaveris, cives ac plebeios, homines quidem, groſſiores truncis ac brutis animalibus, qui neque Cæſari reverentiam aliquam inter prætereundum exhibere dignabantur; adeo cordibus obſtinati & immites ac inhumani erga illum effecti. Ubi vero Cæſar ante portam venit, Auguſtam illum obſervantem, & per aliam declinare viam debentem, ſimul & filium, quem ſinu tenebat, valefecit. Illa enim cum ſuis verſus Neapolim declinavit, Cæſar vero cum Victorino & ſuis iter in villam, quæ Nucum vocabulo appellata eſt, reflexit, illicque conſcenſis navibus flumen Iſtri trajecit. Ex adverſa vero ripa Rex Bohemorum cum gente, ſua non contemnendæ multitudinis, illum operiebatur, quem tota fere die ad pontem venturum expectaverat, ſed Cæſar nullo pacto per mediam urbem, qua pons aditur, tranſire voluerat, ſed proximiori, qua potuit, via urbem exire nec ſe oculis eorum, quos ſuis indignos cenſebat obtuitibus, exhibere. Rex igitur Cæſarem de nave deſcendentem omni cum reverentia & honore excepit, illique plurimum gratulatus eſt, quod de manibus perfidorum eſſet liberatus. Cæſar quoque illi ingentes gratias habuit, quod ſua opera, ſuoque auxilio id aſſecutus eſſet. Dehinc vehiculum pariter conſcendunt, & usque Nouiburgum, oppidum Cæſaris, proficiſcuntur; ubi Rex Cæſarem ho-

hoſpitio illi apparato deduxit. & bono ac læto eſſe animo juſſit, in craſtinum cum tempore ſibi grato reviſurus: Auguſta vero ea ipſa nocte usque novam Civitatem commigravit, ad quam parum ante medium noctis applicuit; gentes vero Ducis, apud villam Gamdari, quibus quidam Holtzerius Tzriko nomine præerat, nonnullos currus inſequentes apprehenſos ſpoliarunt; ex quo non modicus rumor in urbe & extra ſubortus eſt, ex hoc omnem pacis tractatum interruptum. Cæſarem inde facile occaſionem retractandæ pacis aſſumpturum. Acceſſit ad hoc & alia non minor ratio: nam Wolfgangus Holtzer, & qui ſuarum partium erant, eadem nocte, & per dies ſequentes non ceſſarunt domos eorum civium, qui cum Cæſare abſceſſerant, penitus expoliare, & ea, quæ antea intacta reliquerant, deportare. Qua de re Dux illos ſequenti luce ad ſe Nouiburgum accerſivit, qui ſe id jure facere, rebus nondum per Cæſarem confirmatis, affirmarunt. Dux itaque per dies tres adire Regem dedignabatur, ſimulque rebus ſuis diffidere, ne forte Rex ipſum pro Cæſaris gratia eſſet interempturus, aut ad alias pacis conditiones adſtricturus. Quapropter ſe minime illo venire firmatum eſt, niſi datis & acceptis obſidibus, quos tam ex parte Cæſaris, quam Regis, nec minus perſonas ex nomine deſignare, quas in hujusmodi obſtagio ſibi dari poſtulabant, inter quas pro Cæſare Vlricus Comes de Schwanenberg, Andreas Pawemkircher & Sigismundus Seberacher eſſe dicebantur. Et ex parte Regis vero Victorinus ejus filius, Zdenko de Stella, & neſcio quis tertius Regi multum propinquus & familiaris. Interea acceſſit & alia hujus dilationis cauſa, quod flumen ipſum amplius trajici non poſſet propter frequentem gelu defluxionem; unde Dux ipſe Viennam repetens, pontem, qui propter ſuſpicionem Bohemorum antea interruptus erat, reparari jubet, ut eo tranſire poſſet. Sicque Ducis tranſitus usque in diem ſeptimum, imo octavum dilatus eſt. Rex tamen intermedio tempore ſuos ad Ducem miſit legatos, qui illum ad veniendum invitarent. Quibus ſpecificatis, in alterum poſtea diem ſubſequutus eſt. Nam & difficultas, quo de ſalvo conductu ejus intervenerat, ſublata fuit, ipſe enim illum a Cæſare requirebat, quem cum miſiſſet, Cæſar non ſibi ſatisfecerat, unde opus fuit Regem pro utroque ſalvum conductum præſtare, qui mœnia urbis & portas in ſua tenebat poteſtate, Cæſare ſibi illam, priusquam accederet, in ſuis manibus tradente, & Civibus mandante, ut illi vice ſua per omnia parerent, ac ſi in propria urbe moraretur: quæ res multum diſplicuit provincialibus; verebantur enim, prout verendum eſt, ne ex hac fratrum diſſenſione ac opidi, quod munitiſſimum eſt, & in ripa Danubii ſitum, Bohemus facile occaſionem nanciſceretur, totam trans Iſtrum regionem in ſuam redigendi ditionem, neque unquam facile provincia Cæſaris, niſi auro & magnis pignoribus, ab eo redimeretur. Eo enim id malum ſerpere metuebant, ut patria bonis omnibus ſpoliari alienigenis, & ipſis quidem Slavis, & a fide Catholica aberrantibus, ſubigeretur: quibus paulo ante Auſtrales ipſi fuerant dominati. Sed hæc rerum

rum domina fortuna brevi temporis intervallo operatur, quæ nihil ſtabile, nihil firmum atque perpetuum in humanis admittit. Quamquam enim multi Regem pro ſua dignitate atque honore nihil facturum arbitrarentur, quam quod ſe deceat, qui ſe & pacis auctorem mediatoremque inter Cæſarem & ejus Germanum conſtituit: quod & ego quoque de illius in Cæſarem fide & gravitate confido. Sæpe tamen viſum eſt, in rebus hujusmodi honeſtatem ab utilitate ſuperari; neque Principes tantum attendere, quid honeſtum ſit, quam quod ſuis rebus conducat, & expediat. Sed nos, quis horum finis & exitus ſit, videamus, idque, ſi Deus conceſſerit, ſubſequenter annectemus.

## IV.

Excerpta miſcellanea ex Diario manu FRIDERICI III. IMPERATORIS ſcripto.

### MONITUM.

*De Diario* IMP. FRIDERICI III. *copioſe more ſuo ſcripſit* LAMBECIUS *in Diario ſuo ſacri itineris Cellenſis a pag. 13. ubi etiam ex eo quædam in lucem protulit, quæ doctis placuiſſe videri poſſint. Nos cum illa, tum vel maxime a* LAMBECIO *omiſſa, meliori ordine hic vulganda cenſuimus; quæ etſi pauca admodum ſint, magnum tamen pretium habent ab Auguſta* FRIDERICI III. *manu, qua pleraque memoriæ ſunt prodita. De codice ipſo adnotare non pigebit, eum An. 1621. Viennæ ab Ill. Viro* BENIAMINO Bawmehhauſen de Walmerod *extra Aug. Bibliothecam emptum, donoque oblatum fuiſſe* Jo. FRIDERICO *Duci Wirtenbergico, cujus, uti videtur, gratificandi ſtudio ad Bibliothecam noſtram rediit. Servat hanc memoriam pagina codicis quarta, in qua laudatus* de Walmerod *teutonico ſermone adnotavit, quæ adſcripſi.*
Dis anſehnlich uhraltt Buch, das mit eigner Hand geſchrieben hatt Kayſer Friderich der viertt, der ſtarb zu Linz im Jahr 1493. als er regiert hette lenger als einiger Rom. Kayſer, nemlich 54. Jahr.

Hab ich BENIAMIN Buwmehhauſen von Walmerod zu Wien erkauft durch beſonder Glück im Jahr 1621. Monatt Majo, als ich neben Herr Grave Friderichen von Sollms, und anderen zu der Röm. Kayſ. Majeſtätt FERDINANDO II. von ettlich unierten Churfürſten und Stenden, wegen Ausöhnung Churfürſten Friderichen Pfaltzgraven, geſchickt worden, und mich zugleich zu Wien glücklich verhairatt; und habs hernach zu meiner widerkunft dem Durchleüchtigen Fürſten Herr Herrn Johan Friderichen, Herzogen zu Württemberg &c. meinen gnedigen Fürſten und Herrn unterthenig verehrt, in Dero Cur zu Kirchen, underteck. Der liebe Gott wolle dieſelbe ſegnen, und ihre Durchl. auch ſo lang, und viel mehr Jahr, als dieſen Kayſer regieren laſſen Amen. *Hæc ille, qui, quemadmodum de ſervato codice indignus laude non eſt, ita ingenuorum reprehenſionem promeruiſſe*

*ruiſſe is videtur, qui, incertum quibus ex cauſis, manum admovere codici auſus, adnotationes quasdam ſcalpello erraſit. Codicem omnem manu* FRIDERICI *ſcriptum in Diario ſuo adnotavit* LAMBECIUS; *ſed ex ultimis, quæ exhibeo, adparet, adſertum illud omni ex parte non eſſe verum. At de hoc quidquid demum ſit, de me certe perſuaſus eſſe potes, in codicibus Cæſareis ad res* FRIDERICI III. *parum ſupereſſe, quod utilitatis tuæ gratia in lucem proferre non ſtuduerim.*

## HISTORICA.

1424.

Mein Vater Ertzherzog Ernſt A iſt geſtarm am Pfingſtabend 1424. *Fol. 1. pag. 1.*

1429.

Mein Mueter Frau CINBURGA iſt geſtorben an Sand Michelsabend 1429. *Fol. 1. pag. 1.*

1435.

Als man zalt 1435. hab ich angefangen zu regieren, meins alders in 20. Jare. *Fol. 1. pag. 1.*

1436.

In dem ſex und dreiſſigiſten Jar an Sand Larenczenabend pin ich zu Triſti auff das Mer geſeſen.

Und pin Ritter geſlagen an der Suntagnacht nach unſer Frau Tag der Gepurd 1436. von Hern Alb- C rechten von Neiberg, meins alders 21. Jars,

Welcher Ritter wirt zu Jeruſalem auf dem Heiligen Grab, der mueſs ſberen dreu Stuk: daſs erſt, Widib und Waiſſen zu peſchirmen; daſs ander, recht gericht zeffueren, dem arm als dem reichen; daſs drit, wan man daſs heilig grab mit gebald aus den handen der haiden und der unglaubigen gebinen und nemen wold, ſo ſol ein jeder, der da ritter wirt, daſſelbs hinkommen, und darzu mit allem ſeinem vermugen helfen ungeferlich.

Vermerckt; die Ritter, die mit meinen Herren und Vatter Ritter worden ſind zu dem Heiligen Grab.
Graf Paul von dem Fortenſtain.
Leupold von Kreig.
Ruedolff von Liechtenſtain.
Albrecht von Neiperg.
Ulreich von Stubenberg.
B Hainreich von Potendorff.
Bolfgang Drauner.
Wilhalm von Zelking.
Hans von Erberſtorff.
Ulreich Wilhalm Smaurer.
Ulreich Velber.
Hanns Sbeinbarter.
Hanns von Spaur.
Ulreich Starkkenberger.
Franczisgt Straſſauer.
C Jorg Furſtenwalder.
Hanns Laun.
Wolfgang Jörger.
Cholman Windiſchgreczer.
Hanns Zink.
Ulreich Würffel.
Wolfgang Jörger.
Chainrat Nempſi.
Hans Sbeinpekch.
Caſpar Pellendorffer.
Ulreich der Laun. *Fol. 6. pag. 1.*

Vermerkcht, die da mit mir Ritter worden ſind, und mit mir geforen ſind 1436.
Von erſt Maurinus Piſolf von Trieſt.

Graf

Graf Eberhart von Kirkperg der junger.
Graf Pernhart von Schaunberg.
Albrecht von Neiperg fecit me creare.
Jorg von Pucham.
Hans von Neiperg.
Sigmund von Eberſtorf.
Leutold von Stubenberg.
Hanns von Kunringen.
Ot von Stubenberg.
Paul von Potendorf.
Hans von Puchaim.
Pertold von Loſſenſtain.
Wilhalm von Pernek.
Hans von Starenberg.
Ludweig von Ekertczau.
Ulreich von Polhaim.
Bolfgang von Winden.

Barones preſcripti.

Hans Ungnad, Hofmarſchalk.
Bolfart Fux von Fuxberg.
Purhart von Ellerbach.
Gamaret Silberberger.
Hainreich Enczaſtarffer.
Ulreich Saurar der Eltar.
Jorg Fux von Fuxberg.
Ludweig von Ratenſtain.
Andre Holeneker.
Niklas von Polloncz.
Triſtram Teufenpekch.
Veit Wolkenſtainer.
Leupold Tauner.
Jorg Apphälterer.
Leinhart Harracher.
Fridreich Tunner.
Pernhart Tehenſtainer.
Ulreich Fledenniczer.
Hans Waldſtainer.
Jorg Scharnommel.
Hans Saurer.
Pangrecz Vinkſchad.
Haidenreich Zebinger.

A Wilhalm von der Alben.
Sigmund Windiſchgreczer.
Wilhalm Reiſsperger.
Antoni Holeneker.
Fridreich Lugaſter.
Jorg Stainreuter.
Hans Lampoltiner.
Leinhart Vilſekker.
Sigmund Kieperger.
Hans Greiſſeneker.

Vermerckt, was ich zu Fanedig gekauft hab 1436.

Item von erſt 33. Preczen und 3. firtail ein grun Gulden Tuch, ein
B Preczen umb 11. Gulden, Suma 371. Gulden.

Item ein Karmaſin rot Gulden Tuch 36. Preczen 3. firtail, und ein halb firtail; ein Preczen umb 11. Gulden und umb ein halben Gulden, Suma 424. Gulden.

Item ein Gulden Tuch rot und grun und weiſs 39. Preczen und ein firtail, ein Preczen umb 8. Gulden, und umb ein firtail ains Gulden, Suma 323. Gulden und 19. Graſs.

Item meinen Prueder ein grünen Silber Tuch 18. Preczen, ein Preczen umb 6. Gulden und umb ein hal-
C ben Gulden, Suma 117. Gulden.

Item ein praun Gulden Tuch 38. Preczen und ein firtail und ein halb firtail, ein Preczen umb 10. Gulden 3. firtail eins Gulden, Suma 413. Gulden.

Item ein Gulden praun Tamaſko mit Pfabenfedern 35. Preczen und ein halb Preczen, ein Preczen umb 8. Gulden, Suma 284. Gulden. *Fol. 3. pag. 2.*

Item ein praun gemoſſirten Samad rauch auf rauch 27. Preczen ain firtail, und ein Preczen umb 5. Gulden

den und umb ein Art, Suma 143. A Gulden.

Item ein rot Gulden Tuch 14. Preczen, ein Preczen umb 26. Gulden, Suma 364. Gulden.

Was ich von dem Amadi zu Venedig kauft han.

Item ein ſchlechten Samad 28. Preczen und ein halben Preczen, ein Preczen umb ein Gulden, der Samad iſt rat, Suma 28. Gulden.

Item 28. Preczen praun Samad nicht gemoſirt, ein Preczen umb 3. Gulden, Suma 73. Gulden.

Item 15. Stukh praun und rot B Gulden Tuch vor Paldakin, ein Stukh umb 9. Gulden, Suma 148. Gulden.

Item ein gruen Tamaſko 10. Preczen, ein Preczen umb zben Gulden, Suma 20. Gulden.

Item zbai Stukh praunen Atlaſs, umb 12. Gulden, das gemein Suma totalis des Kauf zu Venedig, Samad, Seiden, guldener Tücher, 2794. Gulden.

Item hab ich zu Venedig ein C enten Pembol kauft umb 6. Gulden.

1436.

Nach Kriſti Gepurd tauſſend Jar virhundert Jar darnach in den ſex und dreyſſigiſten Jar, am Montag vor Sand Andree Tag, iſt mein Kamerer Pegauer mit dem Tod abgegangen, und iſt Sepultus in dem Grab ſeines Vatters in Perg zu Oſterreich.

1437.

Das Buch iſt angefangen nach Kriſti Gepurd tauſſend Jar virhundert Jar darnach in dem ſiben und dreiſſigen Jar, amb Sambſtag nach Sand Jorge Tag, mit mein ſelbs Hand:

1438.

1438. Am Mitichen vor Letare in der Faſten umb erſten Slaff zu Grecz obit Hans Greiſſeneker, mein Kamerarius, und leit in der Kiren.

1439.

1439. An Sand Johans Tag zu Sunibenden Obiit mein Vetter Fridereich, und iſt pegraben zu Stams in der Inſtal

1439.

Wer die Geſſelſchaft zu Cipern hat, das iſt ein Sbert plaſs mit einen reim auf einen plaben poden, der reim iſt franzöſiſch, und haiſt: die Gerechte zu beſchirmen, und was die Geſelſchaft in hat, daſs mueſs ein jeder, der ſi hat, geloben zu verſbeigen, und ſbern, daſs er davon mit niemand red, noch daſs niemand ſag, dan den, die auch in der Geſelſchaft ſind, und auch die Stükh alle ze halten.

Dem erſten, ſol ein jeder der in der Geſelſchaft iſt, an dem Heiligen Kreücztag *exaltationis* amb Herbs fir Meſs und ein geſungen Ambt laſſen, und frümen zu halten, in dem ern des Heiligen Kreucz; und ſol darzue opfern, doch nach ſeinen gefallen, und in den ern der Heiligen wunf Wunden; und wan der Obriſt, der in der Geſelſchaft iſt, daſs iſt der Kunig von Jeruſalem, Zipri, & Armenie und geit ſei ausziehen wil wider die Haiden, daſs Heilig Grab zu gebinen, ſo ſol ein jeder, der in der Geſelſchaft iſt, mit ſein ſelbs Leib mitziehen, und ſein ſelbs Zerung; iſt dan ein ander, der da ziehen wolt, und ſein nicht vermocht, dem ſullen die andern zu Hilf nach iren Staten komen, er ſol die Gerechtigkait beſchirmen, und Witib und Waiſſen, an dem vorgenanten Heiligen Kreuz *exaltacionis* ſol man die Geſelſchaf tragangen.

Was einen verhindern mag rechleich zu ſolchem Zug mit zu komen, noch mit zu ziehen; Gotz Gebalt ehaft und Krankhait Leibs, ob ſein Landsfürſt rechleinen Krieg hiet, oder er ſelber rechtleichen Krieg hiet; oder ob ſein Landsfürſt ein vermeſſen Veldſtreit vorhanden hiet, oder ob er in Kampf gegen ein andern ſtund von ſeiner Er wegen, ſo pedarf er zu ſolchen Zug nicht zu ziehen, und ſol getragen werden ob der Gürtel.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

1739.

An dem Freitag vor dem Aufartag 1439. ist mein Hofmeister Wilhalm von Pernek Tod.

1439.

An dem Abend Simonis & Jude ist gestorben Her Albrecht, mein Vetter, der Romisch, ze Ungern, ze Behem, Dalmaczen, Grabaczen &c. Kunig und Marggraf ze Merhern, und Herzog zu Osterreich.

1440.

Amb Montag vor Sand Michhaellis obivit pern suf. 1440.

1440.

An dem Lichtmefs Tag unser Frau 1440. pin ich zu romisen Kunig erbelt worden, und die Potschaft ist mir komen an dem Fasang Tag, der ist gebesen an dem achteden Tag nach unser Frauen der Liechtmefs; und ist Sand Apolonie Tag an den selben Fasang Tag gebesen: meins Alters in den 25. Jar, und hab das aufgeme . . . zu . . . in unsers Frauen Pfarkiern mit der Zirhait, die darzue gehort; an den Mitichen nach quasimodo geniti . . . nach Ostern.

1445.

Halmar Folkestarser hat mir gelobt ganz an an die Verschreibung mit der festen Krumnau. 1445.

1446.

Der Truxecz von Stecz dem hat man ein Genad getan, dafs man in das Haufs Stecz verschriben hat auf den negsten kunftigen Sun, fir dem der im gestorben ist hat er mir gelobt, er wol mir deinen und wel soleich genad umb mich aus deinen vor den Hofmaister Kammermeister Zebinger 1446.

1448.

Reinprecht von Eberstaft hat an dem nagsten Suntag vor Esto mihi in gegenbürtigkait seins pruder des Huebmaister mir gelobt an die hand, nimermer bider mich zu tuen in der Kamer da dafs grofs Pot ist gestanden an der selben 1448.

## MISCELLANEA.

*Osterreich Sach.*

Nachdem und ich mich hab muessen verschreiben widert alt herkomen, gebonhait, und gerechtigkait, gegen den vir partaien; und habent sie von dem selben verschreiben getreten, nachdem und mich anders hab muessen verschreiben aber gegen den benanten parteien von solcher reignung wegen, der si mich nu nachmalen aufgesagt haben mit iren prieff der noch vorhanden ist, da nu die neuer verschreibung die eltar abnimt, und der neuer pin ich ledig gesagt, hof ich sei inen aller ledig, sie habent die prieff all noch den si hieten mir die neuer verschreibung gern wider geben, ich hab es umbganen, dafs ich je nicht genomen hab.

Zu gedenken von der zbaien prieff wegen der verschreibung, die ich in den land Osterreich tuen hab muessen; die erst fir prieff den fir parteien jeder partei ain, die ander auch den fir parteien die regirt solt haben in dem land, und die es im nachmaln auch selbs abfluegen, und mir aufgab wider die regierung, dafs die ander verschreibung die erst tot und abnimt.

Wan Romiſ, Kunig aid ſberen ſo purt nicht daſs ſie die Vinger aufhalten ſunder man tuecz auch dem Pabſt noch dem Reich in der Krönung.

Ban ich den Paſt ernsleich piten ſol, ſo ſol ich ein peſunder priffel ſchreiben mein handgeſchrifft, und darin den Titel ſetzen F. S. V. Devotus filius & Canonicus.

Pey belchem Pau, oder auff welchem Silbergeſchir, oder Kiren gebaut oder andern Jaeiow (1) Klainaten, der Strich und die funf Buchſtaben ſtund, daſs iſt mein Herzog Fridreichs deſsjungern gebeſſen, oder ich hab daſs ſelbig paun oder machen laſſen.

Vermerkt die Prieff die mein gnädiger Her der Romiſch Kaiſſer Kaiſſer Fridreich auf hat laſſen ſchreiben, und gelegt in die verzaichenden druchen, als hernacht vermerkt iſt, an Sand Barnaba Tag in 56. Iar.

Jaeiow

Item, in ainer lidren Lad gezaichend mit dem Reich und mit Oſterreich, und mit 2. Shloſſen hinden und forn.

Item, darin ligen der Tailprieff daſs Herzog Albrecht und Leupolt, die Land getailt haben.

Item, wie ſich dieſelben zben Furſten gegen ainander verſhriben haben für ſich und ir Erben, wie ſich ire Kinder anainander gerhaben ſullen mit Namen 16. Jar.

Item, die vorgenanden Furſten haben gemacht ain Püntnuſs für ſy und all ir Erben.

Item, der Satzbrieff uber Laxenburg, Metling, Starchenber, und Wardenſtain.

Item, ein Geldprieff von Kunig Albrecht Kayſer Fridreich, laudend umb zbay dausen Ungriſh Gulden.

Item, ein Geldprieff von Kunig Albrecht ſein ſelbs Hantgeſhrift, lautent dem alden Herzog Fridreich umb 6. dausent Ungriſh Gulden.

Item, edba vil Scheltprieff von dem Ulreich Eyzinger wider meinen gnädigen Hern Kayſſer Fridereich.

Item, Kayſer Fridreichs Weſtetung die Kayſerlich und Kunigliкh deſs Hauſs Oſterreich irer Freiheit, und darüber aller Kurfurſten Weſtetung, und ſeint darub fier gulden Wull.

Item, ein guldene Wull von Kayſſer Karll die Weſtetung uber die Etſcht und Judall.

Item, Kunig Fridreichs Wall, von den Kurfurſten genant degkretum Elechcianis, und daruber Prieff vom Pabſt Felix und vom Concilium.

Item,

(1) Hoc ſymbolum, ipſo Friderico III. autore & interprete Diarii hujus ſui pag. 3. notat:

*Als Erdreich iſt Oſterreich unterthan.*
*Auſtriæ Eſt Imperare Orbi Vniverſo.*

Vid. Lamb. Diar. Cellenſ. pag. 18. ubi multis ſine cauſa adparentem Friderici hoc in ſymbolo faſtum excuſare laborat: neque enim aliud Fridericus indicare his voluit atque illa virgilii Æneid. VI.

*Excudent alii ſpirantia mollius æra:*
*Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus:*
*Orabunt cauſas melius, cælique meatus*
*Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.*
*Tu regere imperio populos, Romane, memento,*
*(Hæ tibi erunt artes) pacisque imponere morem,*
*Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.*

Hæc enimvero Aug. Domui noſtræ, propria ſemper fuere ſtudia, quæ memoria noſtra vel maxime vigent. ſuntque omnibus documento, maximam gloriam cum ſumma modeſtia; & invictam fortitudinem cum incredibili benignitate & clementia componi ſimul regnareque poſſe.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Item, ein Prieff von dem Drier, ob ain Kurfürſtentum ledig wurt, daſs zue vergünen wans mein Her der Kayſer geitt.

Item, ain Huldigungprieff von der Statt zue Ach.

Item, ain Wull von dem Pabſt der Kayſerlichen Krönung.

Item, ein Auszugprieff zbiſchen Kayſer Friderichs und Herzog Albrechts ſeines Prueder, ir Regierung ir paider lebdag und die andern Prieff daneben petaidingt.

Daſs meins Prieff in ainer mieheln lidern Lad Oſterreich darauf gemalt.

Item, der Prieff vom Kungreich von Peham, daſs der eltiſt von Oeſterreich albeg Kunig ſol ſein daſelbs. *Fol. 12. p. 2.*

## V.

Judicium Academiæ Colonienſis, tribus propoſitionibus conſtans, de poteſtate Generalium Conciliorum, deque Concilio Baſileenſi, poſtulato THEODORICI, Archiepiſcopi Colonienſis, latum.

### MONITUM.

*De ſuprema ſummorum Pontificum, deque Generalium Conciliorum authoritate nunquam, ut exiſtimo, majori partium ſtudio diſceptatum eſt, ac poſt translatum Ferrariam & inde Florentiam Baſileenſe Concilium. Teſtantur hoc eorum Conciliorum Acta partim jam edita, partim inedita; teſtantur præterea præcipuarum Europæ Academiarum pene omnium reſponſa & Judicia* (1). *Hoc, quod lecturus es, Colonienſis Academiæ eſt, juſſu* THEODORICI, *ejus Archiepiſcopi, ſcriptum, & Patribus Baſileenſis Concilii ſubmiſſum. Verba, quibus ſententiam ſuam incluſerat, ſunt ſequentia:* Conſiſtorium ſummum, & irrefragabile tribunal eſt Eccleſia, ſynodaliter congregata; hæc fuit indubitate in Baſilea, & adhuc eſt, ſi non legitime translata. *Diſplicuit omnibus adjecta conditio, qui exiſtimabant, Baſileenſe Concilium ab* EUGENIO IV. *non fuiſſe legitime translatum. Inter eos cum nomen tum ſuum profiteretur* AENEAS SILVIUS, *& ſententiam Academiæ refellere vellet; libellum quendam Dialogorum eidem legendum obtulit. Eum e tenebris tandem aliquando producere nunc conſtitui, & quo facilius intelligeretur, Colonienſe hoc* Judicium *præmittendum eſſe, cenſui. Exſtat in Cæſareo Cod. Theol. CCLIII. fol. 111. p. 2. & Cod. Jur. Canon. LXVIII. fol. 543. ſed in hoc præcipue, unde exemplum meum deſumpſi: priori tamen illo, quamvis mendoſe ſcriptum ſit, ubique conſulto.*

Ad

(1) *Vide Bulæi Hiſtoriam Univerſitatis Pariſienſis pag. 460. & ſeqq. ubi cum aliis hoc noſtrum pariter impreſſum legitur.*

Ad requeſtam Reverendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, Domini THEODORICI, Archiepiſcopi Colonienſis &c. Deputati nomine Univerſitatis ſtudii Colonienſis, prout prima facie potuerunt, non auditis particularibus motivis partium ſchiſma præſens inducentium, viſum eſt eis conveniendum in tribus propoſitionibus, quibus ſuper hac Generali requiſitione reſpondendum eſt.

## PRIMA PROPOSITIO.

Eccleſia ſynodaliter congregata habet ſupremam jurisdictionem in terris, cui omne membrum Eccleſiæ, cujuscumque dignitatis fuerit, etiam Papalis, obedire tenetur; quam nemo ſine ipſius Eccleſiæ ſynodali conſenſu diſſolvere vel transferre poteſt. Patet ex decretis Conciliorum Conſtantienſis & Baſilienſis, & prima pars fundata eſt in Evangelio *Math. XVIII. Dic Eccleſiæ*, ubi ut patet ex littera ſequenti, innuitur, poteſtas jurisdictionis data Eccleſiæ, ſynodaliter congregatæ, & ſunt deſuper multa rationabiliſſime ſcripta, & varia ſcripturæ teſtimonia, quibus hæc veritas in Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi eſt roborata, librique plurimi & tractatus nunc conſcripti ſunt. Secunda pars patet, quia filius, ſervus, diſcipulus tenentur obedire ſuæ Matri, Dominæ & Magiſtræ, ſed Eccleſia eſt omnium Chriſtifidelium Mater, Domina & Magiſtra, de quorum numero eſt Papa, licet ſit ut filius primogenitus, & capitalis ſervus, ſcribens ſe non ficta humilitate, ſed Catholica veritate ſervum ſervorum Chriſti, & inter alias fidei diſcipulus præcipuus, & ergo per Chriſtum Eccleſiæ ſponſum & Chriſti fidelium Patrem, Dominum & Magiſtrum in Chriſti ſemper myſtice & ſpiritualiter præſentis corporali abſentia, aliorum Chriſti fidelium Rector, Paſtor & Doctor conſtitutus auctoritate Chriſti & Eccleſiæ ſuæ conjugis & ſponſæ, quæ eſt ut altera ſeu nova Eva de latere novi Adæ in cruce dormientis ſacramentaliter educta, & eidem matrimonialiter copulata, teſte Apoſtolo, hoc eſt ſacramentum magnum in Chriſto & Eccleſia non in Chriſto & Papa. Sicut ergo ex veteri Adam & Eva ſua conjuge ſumus carnaliter ſecundum veterem hominem geniti, ita ſumus ex Chriſto & Eccleſia ſecundum novum hominem iterum regenerati, quotquot in Chriſto Jeſu baptizati ſumus, ejus dominio & Eccleſiæ ſubjecti, & in ſchola veritatis ſalutaris ad ſalutem Chriſti & Eccleſiæ diſcipuli. Ex quibus facile oſtenditur, Eccleſiam ſynodaliter congregatam eſſe Conſiſtorium judiciale & ſupremum ſuper omnes Chriſti fideles; & inde liquet tertia pars propoſitionis; quia nemo judicabilis habet ad libitum ſuum transferre nec diſſolvere tribunal judicis. Si enim hoc poſſet Papa, eſſet ſupra, non infra Eccleſiam, non utens duntaxat poteſtate vicaria clavium Apoſtolicorum, ſed principatu libero jurisdictionis propriæ, nec eſſet tantum Paſtor & Diſpenſator ovium & agnorum Chriſti, ſed Rex & Paſtor ovium propriarum, contra illud, pars Johannis ultimo: *paſce oves meas*, non dicit *tuas*. Item ſi

pars

pars poſſet ſupra totum, & contentum ſupra continens, poſſetque particulare malum Papæ vincere univerſale bonum intentionis Eccleſiæ, & ex totius Eccleſiæ eſſet voluntas Papæ, & Eccleſia, quam ex articulo fidei credimus ſtatui, ſupra immobilem fidei Chriſtianæ Petram fundatam, A errabili & mobili ſubeſſet principio, adverſus quam, ſicut Jeronymus ait; nec vitia poſſunt, nec hæreſes, quæ ſignantur, per portas inferi, prævalere. Eſt quidem conflictus hoſtium terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

## SECUNDA PROPOSITIO.

Animorum ſuſpenſio Principum non recipientium mandata, vel proceſſus juſtitiæ Generalis ſynodi, aut ſedis Apoſtolicæ eſt quam cito fieri poterit de medio tollenda: patet, quia non ſubſiſtente dubio de ſuperiori, an ſit obediendum, non eſt conformis juri divino, naturali, nec humano: (1) Scandala in Eccleſiam Dei, propter quæ, ſi diu duraverit, enervabitur contemtibiliter poteſtas Eccleſiæ in grave præjudicium fidei Catholicæ, ſicque, diſcedendo per vacillationem periculoſiſſimi dubii, parabitur via tyrannidi Antichriſti. Hæc ſic breviter declarantur; quia de jure divino obedire tenemur Deo Chriſto, ſuæque ſponſæ Eccleſiæ, in qua, prima præſidentia eſt ſedes Apoſtolica, ſuper omnes alias Eccleſias particulares & ſedes inferiores, non ſupra totam univerſalem Eccleſiam Prælata. Omnis igitur anima eſt poteſtatibus ſublimioribus ſubdita, poteſtas quidem a Deo ordinata eſt, cui reſiſtens Dei ordinationi reſiſtit. Et etiam hoc naturæ diſſonum, quod membra a toto corpore vel capite ſe dividant. Eſt autem Eccleſia corpus Chriſti myſticum ex diverſis membris officialibus ordinate compaginatum & ita, ſecundum Apoſtolum, corpori naturali, in quo ſunt multa membra, aſſimilatum. In corpore vero naturali omnia membra ſunt ſimul unita in toto ab una anima vivificante ſubſtantialiter actuato (2) & connexa alicui primo organo, quod influit motum & vitam ſecundam cuilibet membro ſecundario. Itaque ſi membrum ſeparetur a toto, nec ſuſcipiat vitam & motum a primo vitali organo, ipſum moritur, vitaque privatur. Quare Chriſtianus proteſtans ſe non velle obedire Eccleſiæ ſynodaliter congregatæ, vel ſedi Apoſtolicæ, videtur ſe ſchismatice ab Eccleſia & ſede Apoſtolica dividere, & alicujus infidelitatis ſigna hoc actu demonſtrare. Quam contraria etiam ſit juri poſitivo & humano, poteſt diverſis juribus tam canonicis quam civilibus declarari. Et ſi nos ad humana transferimus, oportet in regimine domeſtico patrifamilias & ejus conjugi, primoque domus diſpenſatore & univerſali Curatori reliquos ſervos & ancillas obedire, nec dimitteretur in domo proteſtans de contrario. Similiter in politia regali obediendum eſt Regi, & Reginæ, & generali re-

(1) Cod. Theol. addit. quia inducit.
(2) Cod. Theol. actuata.

regenti Regis & Reginæ vicario. Qui contra hoc ageret, proſcriberetur de regno, nec eum excuſaret diſſenſio inter Reginam & Regentem, inter matremfamilias & domus diſpenſatorem; teſtatur enim ſtatim naturalis ratio, cui in hoc caſu obediendum eſt; non ergo debent Principes, ut deſides, & impotentes in animorum ſuſpenſione quieſcere, ſed matri Eccleſiæ exacta diligentia ſuccurrere, cui per hanc non ſuccurrerent, ſed magis obeſſent, quod abſit, ſi diu continuaverint periculoſa ſcandala inducendo. Nam vulgus videns per ſuperiores eccleſiaſtica mandata contemni, cenſuras Eccleſiæ non curari, propter probabile dubium, finget ſibi etiam dubium, an eorum Epiſcopi ſint ſuſpenſi vel excommunicati, propter mandata contraria eos per Concilium & Dominum Apoſtolicum fulminata, & proteſtabuntur verbo vel facto de non obediendo, ut ſic, per quae quis peccat, per hoc & torqueatur, & perſuaſione brevi populus aſpirabit ad hanc libertatem. Quæ vero ruina minatur fidei devotus animus videat, (1) C unitur humani regni politia & tripartitur Eccleſia. Et quidem cum populus dimiſſus eſt, ſe determinare in foro interiori conſcientiæ, data eſt eis A via, ut inducat ſchisma ad caput Chriſti myſticum, quod eſt primo interioris hominis & ſpiritualis ad corpus Chriſti myſtice & ſpiritualiter unitum, quæ unio interior eſt prior, & eſſentialior unioni exteriori & politica ad caput exterius miniſteriale, quod eſt Papa. Permiſſum igitur eſt populo ſimplici, ut ſecundum proprii ſenſus judicium credat, hunc vel illum habere a Chriſto claves regni cœlorum, & ita ſchiſma hoc non eſt ſolum regni adverſus regnum, ſed in regno, civitate, domo & congregatione quibuslibet erit B diviſio ſingulorum, & amplius tollitur juſtitia, quæ, ſecundum Auguſtinum, eſt Reipublicæ conſervativa, quæ non ſufficienter adminiſtratur jurisdictione ordinaria cum partibus appellantibus deficiat executio juſtitiæ ſuperioris, timendum igitur, quod ſtatim populus percipiet ei paratum intollerabile malum & eis apparebit jugum hoc tyrannicum & violentum, & fiet tumultus in populo, qui impetuoſe conſurgens excutiet hoc onus de collo ſuo, & cum nemo eſt judex ſui ipſius, quis judicabit majores Principes, forſan poſtmodum diſſenſuros.

## TERTIA PROPOSITIO.

Super dubio, ut intelleximus, Principibus orto, quia dicitur ſynodum Baſilienſem ſua auctoritate eſſe translatam, conſulendum eſt Regi Romanorum, ut cum Principibus in Diæta congregatis, aut alias ſi oportunum fuerit deſuper quærat informationem. Hæc propoſitio videtur nobis eſſe Catholicum & fundamentale aviſamentum, ſalvis aliis modis forſan rationabilius inveniendis, rumor enim hujus translationis contrariæ, ad Principes per diſertiſſimos oratores deductus, animos eorum tanta novitate ſtupidos ſuſpendit ſuper adhæſione firma Concilii Baſilienſis

(1) Cod. Theol. addit. *quando* unitur.

lienſis, vel alterius, in quo Papa præſidebat. Quare timentes & Catholici & Chriſtianiſſimi Principes auctoritatem matris Eccleſiæ tunc dubium eis, ubi reſidebat, ſcientes eam unitam & indiviſam in uno generali Concilio repræſentatam, in quasdam proteſtationes, & appellationes convenerunt, & ſe mutuo in ſancto zelo pacis & unionis Eccleſiæ intellexerunt, volentes obviare deteſtabili ſchismati per Concilium Conſtantienſe poſt quadraginta annos extincto, quod denuo pullulare videbatur, & modo periculoſiſſimo; a ſæculo non audito, quoniam, ſi ſchisma fuit in multitudine contendentium de papatu, nusquam tamen legitur in multitudine generalium Conciliorum. Hinc iidem Catholici Principes ſæpe ſuper hac re gravibus expenſis convenerunt, & jam experti, quod humanæ res cottidie in deterius collabuntur, ulterius ſollicite curant inquirere, quomodo ſe in his poterit humana poteſtas divino fulcire auxilio, & inveniri authenticum judicii certi & fidelis Conſiſtorium, in quo res hæc tollatur e medio. Hoc autem Conſiſtorium ſummum & irrefragabile tribunal eſt Eccleſia ſynodaliter congregata, uti oſtendit propoſitio prima; hæc fuit indubitate in Baſilea & adhuc eſt, ſi non legitime translata. Ergo ante omnia procuretur deſuper informatio certa, ſicque invento loco generalis ſynodi, illi Principes ſua poteſtate defenſiva aſſiſtant; Prælatos vero, quibus Conciliis intereſſe debitum eſt, ad locum illum venire faciant: & Chriſto ſuæque ſponſæ univerſali Eccleſiæ adhæreant, ſuasque prudentias Evangelicis ac Canonicis decretis ſubmittant; exhortandique ſunt, ut potius rem hanc Concilio ſapientum, divina & eccleſiaſtica lege peritorum, quam humana ſæcularive prudentia tractent. Vitentur etiam ſimulatores & callidi, qui provocant iram Dei, quam a nobis peccatoribus avertat ſua infinita miſericordia & clementia, præſtabilis ſuper malitiam hominum ad ſalutem fidelium & gloriam nominis ſui Sancti in ſæculorum ſæcula benedicti. Amen.

*Hæc copia collationata eſt per me Sebaſtianum de Vnſero Bedellum Univerſitatis antedictæ & Notarium juratum & concordat cum originali teſti ſcriptura manus propriæ.*

---

## VI.

Aeneæ Silvii Libellus Dialogorum de generalis Concilii authoritate & geſtis Baſileenſium.

### MONITUM.

*Libellum, quem publici nunc juris facio, Clariſſimi viri duo,* Van der Hardt *videlicet,* & Gentilottus *noſter ex codicibus Cæſareis in lucem proferre jam pridem meditabantur: ille actis Concilii Baſileenſis inſerere volens* (1), *hic*

(1) *Vide Aeneæ Silvii Opera Geograbhica & Hiſtor. curante J. A. S. D. ſive Joanne Adamo Schmidio, qui etiam præfationem de Aeneæ vita ſcriptisque præmiſit, ubi pag. 7. in nota marginali teſtem hujus ſe dat.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*hic Commentariis ſuis, quæ in codices noſtros Latinos erudite ſcripſit* (1), *At vero uterque propoſito ſuo excidit ;* Hardtium *quippe impedivere fata*, Gentilottum *fortuna, quæ eum ſplendidior ex Bibliotheca noſtra Romam evocaverat. Igitur diligentiæ meæ, quam fato, neſcio quo, aliorum cœpta ſemper ſibi vendicant, hoc etiam operis relictum conſervatumque eſſe videbatur. Commodavi operam meam lubenti animo, permotus inprimis exemplo eruditiſſimi* Gentilotti *noſtri, qui rariſſimum opuſculum luce publica & opera ſua non indignum, ut dixi, cenſuit. Ac de raritate quidem teſtis eſt Cl.* Manſius, *qui in erudita Annalium Eccleſiaſticorum editione ſua ad annum 1463. n. CXIV. opuſculum hoc interiiſſe plane exiſtimat; cum*, inquit, *nec in codicibus Mſs. quorum nonnullos ſervat Bibliotheca canonicorum S. Martini, quæ Cathedralis eſt Lucenſis Eccleſia; nec inter opera Aeneæ Silvii ſemel, iterum, & ſæpius recuſa occurrat. Ad auctorem quod attinet, is opuſculi hujus ſui commeminit in notiſſima* Retractationis *ſuæ* Bulla, *his verbis:* in minoribus agentes, non ſacris ordinibus initiati, cum Baſileæ inter eos verſaremur, qui ſe generale Concilium facere, & univerſalem Eccleſiam repræſentare ajebant, Dialogorum quemdam libellum ad vos ſcripſimus, in quo de auctoritate Concilii generalis, ac de geſtis Baſileenſium, & Eugenii Papæ contradictione ea probavimus, vel damnavimus, quæ probanda, vel damnanda cenſuimus; quantum capiebamus, tantum defendimus, aut oppugnavimus: nihil mentiti ſumus, nihil ad gratiam, nihil ad odium retulimus &c. *Hæc auctor de libello ſuo. Occurit deinde poſt alia odioſæ objectioni:* Dicent, *inquit*, fortaſſe aliqui, cum Pontificatu hanc nobis opinionem adveniſſe, & cum dignitate mutatam eſſe ſententiam. Haud ita eſt, longe aliter actum. Audite filii converſationem noſtram, brevis narratio erit, quæ vobis, quantum ad rem attinet, veritatem aperiet, & objectioni faciet ſatis. Anno ſalutis primo & trigeſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum &c. *Recenſitis deinde, quæ illuc facerent, vitæ ſuæ rationibus, certiſſimis rationibus oſtendit, pridem ante Pontificatum meliora ſe edoctum, aliter de authoritate Conciliorum ſemper ſenſiſſe. At vero quamvis laudabili prorſus atque eximio, candore animi hic uſus ſit Pius II. ſummus Pontifex, tela tamen, quæ præviderat, adverſariorum evitare non potuit. Quippe, ne alios commemorem, eruditiſſimus* Lenfant *in præclaro cæterum opere ſuo: Hiſtoire de la guerre des Huſſites & du Concile de Basle. Tom. II. p. 156. de auctore noſtro, ad Petri ſedem jam evecto, ſic ſcribit:* C'eſt alors, que donnant un exemple memorable du changement extrême, que les honneurs & les dignitez peuvent apporter dans les mœurs des hommes, il retracta publiquement tout ce qu'il avoit fait en faveur du Concile de Basle, & déclara les Conciles Généraux inférieurs aux Papes (2) *At enimvero inimico prorſus & iniquo animo*

(1) *Ad Codicem Theol. CCLIII.* cujus exemplo hic uſi ſumus, cum altero tamen, quod in Cod. Juris Can. LXII. exſtat, diligenter collato.

(2) *Atque tum denique memorabile plane exemplum edidit maximæ illius mutationis, quam honores dignitatesque moribus humanis indacere valent; quippe retractatis omnibus, quæ unquam Baſileenſis Concilii gratia egerat, Concilia Generalia infra Romanos Pontifices eſſe, pronunciavit.*

*animo hæc a viro docto ſcripta eſſe, teſtes ſunt hi ipſi, quos vulgamus, Dialogi; teſtis* Aeneæ *epiſtola, pro authoritate Conciliorum pariter ad* Hartungum *ſcripta, & nunc a nobis primum in lucem prolata: ſub cujus finem* Aeneas *hæc ſcribit:* Dixi, quod mihi viſum eſt, non doctrinæ tradendæ cauſa, ſed ſuſcipiendæ, ut a te atque ab aliis doctioribus edocerer, maximeque a Theologis, quorum hæc eſt diſputatio familiaris. Ego nihil pertinaciter affero, ſed cupio verum ſcire, fierique ab unoquoque prudente doctior: & quippe inter mediocres homines eſſe volo . . . quo fit, ut mihi, ſi deſit perſpicacia illa videndi, quod rectum eſt, illud etiam velim deeſſe, ut aliorum monitis non adquieſcam. *Hæc* Aeneas Silvius, *quam longiſſime adhuc a Pontificatu, a dignitatibus remotus, & per ea ipſa tempora, per quæ Conciliorum authoritatem adverſus Romanam ſedem tuitus eſt. Dicit igitur, hæc ſe ſcripſiſſe:* Non doctrinæ tradendæ cauſa ſed ſuſcipiendæ, ut *videlicet* a doctioribus edoceretur, maximeque a Theologis, quorum hæc eſt diſputatio familiaris. *Quæ verba lectores mei alte in animum demittant velim; non ſecus atque illa:* Ego nihil pertinaciter adſero, ſed cupio verum ſcire fierique ab uno quoque prudente doctior. *Nam ſi cætera abſint omnia, ſufficiens iſta teſtimonium continent,* Aeneam *noſtrum in minoribus agentem, nondum ſacris initiatum, nondum Theologum, ſive compluribus ante dignitates, ante Pontificatum annis nihil pertinaciter adſeruiſſe, ſed ſolum cupiviſſe verum ſcire; neque doctrinæ tradendæ cauſa, ſed ſuſcipiendæ iſta ſcripſiſſe; dignum idcirco ampliſſima venia: cum neque orthodoxæ fidei, neque debitæ Apoſtolicæ ſedi reverentiæ, ſed ætatis & doctrinæ defectu aberraverit a vero, quod tamen vel maxime cordi ſibi fuiſſe, candide faſſus eſt. Atque ex his ego veram itidem cauſam colligo, cur* Aeneas *noſter doctrinam horum Dialogorum non prius retractarit, quam penultimo vitæ ſuæ anno: ſciebat nempe, ſe nunquam vere & ex animo cum Baſilecnſibus ſenſiſſe; exiſtimabat prætera nullum unquam futurum, qui perlectis diligenter Dialogis iſtis cum epiſtola ad Hartungum ſcripta, aliud de animo, deque doctrina ſua ferre prudenter judicium poſſit: qua itidem unice fini utrumque hoc monumentum publici hic juris fieri, ingenue fatemur. Porro exemplum, quod vulgamus, codex Theol. Cæſ. CCLIII. ſervat; diſcrimina lectionum codex Jur. Can. LXII. ſuppeditavit, in quo Dialogi noſtri altero etiam exemplo ſuperant.*

Incipit Dialogus Venerabilis & Egregii Viri Domini Aeneæ Silvii Senenſis Sanctiſſimi Domini noſtri Felicis divina providentia Papæ quinti Secretarii de rebus conciliaribus. (1)

PROE-

(1) Codex Juris Can. LXII. omittit hanc epigraphen, inſcripta breviori iſta: *In Dialogos enee de picolominibus Præfacio incipit.*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

# PROEMIUM:

*Aeneas Silvius Secretarius Apoſtolicus Rectori & Univerſitati ſtudii Colonienſis ſalutem dicit.*

Homini Chriſtiano, qui vere Chriſtianus vult dici, nullam magis cordi rem eſſe convenit, quam, ut fidei, ſibi (1) per majores a Chriſto traditæ, puritatem, ſervari ab omnibus, immaculatam ſtudeat. Et quippe, ſi quando adverſus Evangelicas traditiones aliquid adſtruitur, ſurgendum populariter eſt, & ad commune reſtinguendum incendium adferre aquam omnes conemur: (2) nec timendum eſt, ut inimici, aut (3) inviſi fiamus dicentes, reſiſtendum eſt quibusque in faciem, ſive Paulus ſive Petrus ſit, qui ad veritatem non ambulet Evangelii. Quam rem feciſſe per hos dies Univerſitatem veſtram, (4) in hoc ſacro Baſilienſi Concilio gaudemus omnes. Allatus namque ad nos eſt tractatulus quidam veſter, quo imperitiam, vel, ut verius dicam, temeritatem illorum arguitis, qui & ſubjectum generali Concilio Romanum Pontificem, & ſupremum judicii tribunal in Eccleſia eſſe diffitentur, quos ſic vivacibus rationibus, & ſcripturarum veritate præmittitis & retunditis, ut nec tamquam lubrici angues ſe evolvere, nec in aliquo cavillari, aut ſibilare queant. In qua re & veros vos fore Chriſtianos oſtenditis, & dignos, quos univerſalis Eccleſia laudibus efferat, reliquiſtis tamen in fine, neſcio quid veneni, ubi ſane deceptus fuiſſem, niſi me Pythagoras admonuiſſet, quæ ingentes (5) habent caudas, guſtari non oportere. Ignoſcite ſic loquenti, venenum (6) in cauda ſcriptorum veſtrorum eſt, quod niſi reſecetis, multos poteſt inficere; putridæ carnes, ut inquit (7) Jeronymus, ferro indigent & cauterio: ſi quid doloris in reſecando eſt, non Medicinæ culpa, ſed vulneris eſt. Cum crudelitate dementi ſævit medicus, ut miſereatur, &, ut parcat, non parcit. Nihil tamen hic moleſtiæ vobis puto futurum, quoniam quæſtio illa veſtra (8) facti ſeriem magis, quam juris apicem ſpectat: in facto autem, peritiſſimos etiam decipi, noſtis; vos, quod Theologorum fuit, abſolviſtis; quod ignorare Theologus poteſt, ambiguum reliquiſtis. Idque (9) etſi bono zelo, & recto animo factum non dubitem, medendum tamen illi parti cenſeo, quam vulneratam non curaſtis: vobisque, quorum virtute non minus adficior, quam doctrinam laudo, facti ordinem recenſendum, quo viſo, id, quod veſtræ aſſertioni defuit, Concilium adhuc eſſe Baſileæ absque conditione & cunctatione profiteamini. Quod ut liquidius (10) cernere poſſitis, edo vobis opuſculi mei copiam,

(1) Codex Can. omittit τὸ *ſibi.*
(2) Cod. Can. *tenemur.*
(3) Cod. Can. *vel.*
(4) Cod. Can. addit *gaudio.*
(5) Cod. Can. *nigricantes.*
(6) Idem Cod. *aconitum.*
(7) Cod. Can. ut *Jeronymus ait.*
(8) Cod. Can. *veram.*
(9) Cod. Can. *Idemque.*
(10) Cod. Can. *lucidius.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

piam, quo Martinum Gallicum. collegam meum, virum (1) gnarum ac doctrina non minus mirabili, quam amabili præditum & me ipſum introduco, ex rure redeuntes, duos magnos viros offendere Stephanum Caciam (2) Novarienſem, & Nicolaum Cuſanum, veſtræ nationis hominem, ambos quidem tum ætate, tum etiam moribus ac ſtudiis inter ſe junctiſſimos, (3) de hac re, quam dubiam reliquiſtis, ſupra Rheni ripa, parvo ſpatio a Baſilea ſemotos, invicem diſſertantes: quorum diſputatio, ſicut arbitror, & vobis facti dubietatem (4) adimet, & aliis, qui minori (5) minerva ſunt, ad veritatis inſpectionem præſtabit (6) lumen. Vos ſcripta mea, & absque (7) frontis ruga legite, &, ſi quid erratum eſt, quia non omne eſt terſum, emendatum reddite. Explicit Prologus. (8)

*Incipit Dialogus Primus.* (9)

MARTINUS. Ita eſt, ut dicis, Aenea! verſari ſedulo rebus publicis, & nunc Papæ nunc Cardinalibus aſſiſtere, mos eſt. AENEAS. Imo nec ipſis litteris, quamvis ſuaviſſimum & earum commercium, totus dari vellem, nec ſemper libros volvere, & calamos ducere: fit, neſcio quomodo, ingenium obtuſius, niſi relaxatio fiat aliqua, intermiſſioque lectionis & ſtudii. MARTINUS. Hoc ipſum, quod dicis, majores etiam noſtri ſenſere. Ciceronem illum, eloquentiæ patrem, ac Latinæ principem Philoſophiæ, tradidiſſe, ſe ruribus, vagumque ſilvis & montibus venandi ſtudio incumbere ſolitum, tantis exinde viribus reſtituiſſe ſe (10) litteris. Hiſpanus & idem Romanus Seneca dicit; ut non modo nihil perdidiſſe, ſed acquiſiviſſe multum deſidia videretur. Lælium quoque & Scipionem, magnos reipublicæ (11) viros, cum rus ex urbe, tamquam e vinculis, (12) aliquando evolaſſent, ſæpe ſolitos ruſticari, atque incredibiliter repuereſcere, conchasque & umbilicos ad Cajetam & Laurentum (legere) conſueſſe; & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere, apud Ciceronem in oratore ex ſocero ſuo Scævola audiſſe ſe Craſſus dicit. Et recte quidem, nec enim, ut eidem Craſſo videtur, liber homo dici poteſt, qui (13) aliquando nihil agit. AENEAS. Poſt noſtri in hanc urbem Pontificis adventum niſi hodie nunquam exivi portam: magna cote gravius geſtabam caput: ipſe mihi faſtidio eram; nunc aëre, quem (14) purum vidimus; ſerenaque die, quam nacti ſumus, exhilaratus ſum & levior factus, multum mihi & Silvam, quam dimiſimus frondoſam, & Hünigen contemplari ruſticos profuit, quos inter vivere, quam dominorum atria luſtrare magnorum, (15) haud dubium (16) cu-

(1) Cod. Can. *Clarum.*
(2) Cod. Can. *de Caciis.*
(3) Cod. Can. *Conjunctiſſimos.*
(4) Cod. Can. *ambiguitatem.*
(5) Cod. Can. *pinguiori.*
(5) Cod. Can. *præbebit.*
(7) Cod. Can, *mea* omittit.
(8) Cod. Can. omittit.
(9) Cod. Can. *Primus Dialogus.*
(10) Cod. Can. omittit *τὸ ſe.*
(11) Cod. Can. *in republica.*
(12) Cod. Can. *ex cuniculis.*
(13. Cod. Can. inſerit *non.*
(14) Cod. Can. *quoniam.*
(15) Cod. Can. *majorum.*
(16) Cod. Can. *dubie.*

cupiam. MARTINUS. Idem & mihi contigit, quem ſcis, Pontificali aulæ, lectionique illi menſali alligatum; nunc cum Sibylla egreſſus Cyclopum mœnia, ſicut tuus Aeneas, deveniſſe in locos lætos & amœna vireta videor. En

*Largior hic campos æther & lumine veſtit*
*Purpureo ſolemque ſuum ſua ſidera norunt.*

Si quis me hodie emat, duplum dabit ejus, quod heri fuiſſet. (1) O mihi ſi nunc Pontifex maximus aliquid committat, epiſtolas Ciceroni proximas faciam, & Carmina Virgilium ſuperantia & Orphea magnum, non (2) ut noſter, qui dimiſſa phroneſi, tantum apoſiopeſi utitur, & ſive illud Frontonis, ſive, ut rem, ſicuti eſt, promam, languidum & remiſſum dicendi genus exprimit, pathos moverem. Sed quid tibi de (3) vita ruſticorum videtur? Sequere, quod cœpiſti, mihi omni alia dulcior & melior judicatur. Scis quid Cicero in Catone majori, quid Varro, quid Virgilius de agricultura ſcripſerint. Utinam inter ruſticos vivere parentes mei me (4) aſſuetum dediſſent! quamquam non ſic forſitan cenſerem, quia, qui in ædibus nobilium non convivatus eſt, paradiſum putat ubi infernus eſt AENEAS. Duas vitas noſter Maro omnibus præfert, philoſophorum alteram, agricolarum alteram; nos neutrum attigimus, qui nec toti litteris dati, nec agris ſumus. Agrorum autem, quæ ſuavitas ſit nedum (5) guſtavimus, at ne libavimus quidem. Sed eſtne tibi memoriæ promptum, quod Mantuanus de Philoſophia prædicat? Ego ſententiolas teneo, verba non teneo. Tu ſi verba tenes, cedo. MARTINUS. Facio ac lubens, dulces ille Muſas appellitat, *quæ cæli vias*
*. . . & ſidera monſtrant;*
*Defectus ſolis varios, lunæque labores:*
*Unde tremor terris: qua vi Maria alta tumeſcant*
*Obicibus ruptis, rurſusque in ſe ipſa reſidant:*
*Quid tantum oceano properent ſe tingere ſoles*
*Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.* (6)

AENEAS. Videtur mihi Virgilius hoc in loco eam duntaxat præſignaſſe Philoſophiam, ob cujus peritiam ſuſtinere cœlum Atlas, affixusque Caucaſo Prometheus, & ſtellatus cum uxore genero ac filia traditur Cepheus: de qua primus omnium, ſi Lactantio credimus, Mileſius Thales, qui unus fuit ex ſeptem ſapientibus, dicitur diſputaſſe. Non illam, quam Thebanus Socrates & idem Athenienſis primus (7) devocatam e Cœlo in urbibus collocavit, & etiam in domos introduxit; hic enim Philoſophiam, numeros ſolum & motus antea tractantem, de vita & moribus bonisque & malis rebus quærere coëgit. (8) MARTINUS. Scin tu, quid in Saturnalibus de Virgilio prædicet Macrobius? AENEAS. Fare tu, quid ſit. MARTI-

(1) Cod. Can. *prscium.*
(2) Cod. Can. *nunc.*
(3) Cod. Can. *de ruſticorum videtur vita.*
(4) Cod. Can. omittit *me.*
(5) Cod. Can. *non.*
(6) Virg. Lib. II. Georgic. v. 478.
(7) Cod. Can. omittit. *primus.*
(8) Cod. Can. addit *primus.*

TINUS. *Videsne*, inquit ille, *eloquentiam omnem varietate distinctam? quam quidem mihi videtur Virgilius non sine quodam præsagio, quo se omnium profectibus præparabat, de industria permiscuisse; idque non mortali sed divino ingenio prævidisse; atque adeo non alium secutus ducem, quam ipsam omnium rerum matrem naturam, hanc pertexuit velut in musica concordiam sonoram.* (1) AENEAS! quorsum hæc? Scio facundiam Mantuani multiplicem fuisse & multiformem, sed hoc, ut ajunt, ad rhombum quid? MARTINUS. Virgilium, sicuti nosti, non solum oratorem, verum & Philosophum volunt fuisse: & oratorem quidem, copiosum, quod Ciceronis; brevem, quod Salustii; siccum, quod Frontonis; & floridum, quod aliis pingue appellatum, quod Plinii secundi fuit, complexum genus. AENEAS: Nec te satis adhuc comprehendo. MARTINUS. Sicuti oratores omnes uno in opere imitatus est Maro, sic & Philosophos tam morales quam Physicos est complexus; fuitque hic Poëta & scientia profundus, & amœnus ingenio, sæpeque, ut Macrobius ait, ingens hujus viri doctrina uno in verbo reperitur, quod fortuito dictum vulgus putaret. AENEAS. Adhuc incertus, quo pergis, sum; haud ego hæc possum secreta cognoscere; frigidus mihi circa præcordia sanguis hæret. MARTINUS. Unico verbo comprehendit Virgilius, quod quæris; dicens enim, Philosophiam cœli viam monstrare, utramque significat, quæ de natura rerum, & quæ de moribus disputat: viam namque in cœlum nonnisi bene morati faciunt. Hæc Philosophia, ut inquit Seneca, nihil aliud est, quam recta ratio vivendi; vel honeste vivendi scientia; vel ars rectæ vitæ agendæ. Hanc Cicero his verbis extollit: *O vitæ Philosophia dux! O virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnis vita homini sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti; tu eos primo* (2) *domiciliis, deinde conjugiis, post litterarum & vocum conjunctione junxisti; tu inventrix legum, tu magistra morum & disciplina fuisti.* AENEAS. Arturius ista & Catulus si audiant, quis vivere hic possit: vix sic supercilia ipsorum possumus ferre. MARTINUS. Cave, ista de Philosophis nostri temporis dicta existimes: De his enim cum Quintiliano sentio, maxima in plerisque sub (3) nomine latere vitia. Non enim, virtute (4) ac studiis, ut habeantur Philosophi, laborant, sed vultum, & tristitiam, & dissentientem a cæteris habitum pessimis moribus prætendunt. Atqui dolebat ille, tanta ambitione fuisse homines, ut, nomen insolentissimum sibi arrogantes, soli sapientiæ studiosi vocari vellent; quod nomen olim humilitatis causa Pythagoras invenit primus: antea namque, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes habebantur & nominabantur; quod superbius erat. Sed quid modo Quintilianus dicat? Quando relicta in stabulis & popinis Philosophiæ nomine altiora excogitare volumus vocabu-



(1) Macrob. Saturnal. Lib. V. c. 1.
(2) Cod. Can. *inter se.*
(3) Cod. Can. *sub hoc.*
(4) Cod. Can. *virtutibus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

la; & niſi DEUM ipſum noſtris appellationibus contingamus, nihil eſſe videmur. Nos tamen, dum hæc proſequimur, ruſticam vitam omiſimus. (1) AENEAS. Sequere, ſi quid habes; adhuc plus (2) quingentis paſſibus ab urbe diſtamus. Neque enim recte inſtitutus animus requieſcere, aut utilius, aut honeſtius poteſt usquam, quam in aliqua oportunitate docte ac liberaliter colloquendi, interrogandique & reſpondendi comitate, ut apud Macrobium videtur Decio. MARTINUS. Nempe ita prorſus; ſed pergo ad ruſticos:

*O fortunatos*, inquit poeta *nimium, ſua ſi bona norint,*
*Agricolas: quibus ipſa procul diſcordibus armis,*
*Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.* (1)

AENEAS. Priusquam ulterius pergis, licet tanta ſit Maronis gloria, ut nullis laudibus creſcat, & nullius vituperatione minuatur: plurima tamen in ejus poëmate digna reprehenſione reperiuntur. Ideoque legatum igni poëma ſuum Evangelus in Saturnalibus dicit. Idque hoc loco liquet, ubi ruſticos bellorum expertes aſſerit; cum ipſi ſint; quos bella ante omnes fugent, ſpolient, trucident: cives autem, mœnibus & vallo incluſi, ab hoſte ſe protegant. MARTINUS. Hæc, quæ objicis, defendere quilibet poteſt ex plebeia Grammaticorum cohorte. Motus bellorum in urbibus prius, quam in agris naſcuntur, & ipſa potiſſime capita civium neci deſtinantur. Sæpe ruſticis quies eſt, cum inteſtino bello cives fatigantur. Ruſticos nonniſi externi motus affligunt; ſed audi, quæ ſequuntur: Illis

*Secura quies* eſt & *neſcia fallere vita,*
*Dives opum variarum:* . . . .
*Speluncæ, vivique lacus; ac frigida Tempe,*
*Mugitusque boum, mollesque ſub arbore ſomni*
*Non abſunt: illic ſaltus ac luſtra ferarum.* (4)

Juventus ruſtica *patiens operum eſt & parvo aſſueta: Sacra DEUM* illis ſunt, & *Patres ſancti.* Illud etiam addit Poëta: ſcis eſſe in fabulis, Aſtræi filiam, quam nos juſtitiam dicimus, regnante Jove, terras reliquiſſe: hanc ait Virgilius relictis urbibus per rura & agros iſtorum feciſſe in cœlum viam. AENEAS. Junge etiam illud, quod *fortunatus*, (5) *qui Deos novit agreſtes;* qui neque ſummorum Pontificum inſpicit cauſſas; neque perituris condolet regnis; nec locupleti invidet; nec inopi miſeretur. Non *forum inſanum*, aut venalem cauſſidici linguam, ſeu exceptores verba ſignantes formidat. *Ipſe parvos nepotes ſuſtinet; armenta boum* paſcit & *meritos juvencos. Annus* quippe, *aut* uvis & *pomis*,

*Aut fœtu pecorum, aut cerealis mergite culmi*

exuberat. Veniente hyeme olivas terit; ſues glande pingueſcunt; *ubera vaccæ demittunt;* & *pingues*, in graminibus *hœdi cornibus inter ſe luctantur adverſis. Interea circum oſcula dulces nati* dependent, &, quod in

(1) Cod. Can. *omittimus.*
(2) Cod. Can. omittit *plus.*
(3) Virg. Georgic. Lib. II.
(4) Virg. ibid.
(5) Cod. Can. *eſt.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in urbe rariſſimum eſt, caſta *pudicitiam ſervat domus. Ipſe feſtos agitat* (1) *per herbam fuſus:* Ipſe apud ignem bibens, celeris ſagittæ magiſtris *certamina in ulmo ponit;* quid ruſtico quietius ac (2) beatius in terra eſt? MARTINUS. Quæſiviſti ex me Virgiliana dicta, quæ ipſe omnia tenes, totum fere Virgilii eſt, quod dixi; & ipſe poſt alia (3) ſubiicit:

*Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

Et in Bucolico carmine:

*. . . Habitarunt Dii quoque Sylvas, Dardaniusque Paris. . . .*

Atque ut Jeronymi noſtri verba ſororia referam: Habeat ſibi Romana Curia ſuos tumultus, forum ſonet, Cancellaria inſaniat, ædes luxurientur, mihi ruſticum aliquod templum commendetur, ex quo vitam honeſtam ducere queam. Ibi, ſi æſtus erit, ſomnum arboris umbra præbebit; ſi autumnus, ipſa aeris temperies & ſtrata ſubter folia locum quietis oſtendent. Vere ager floribus depingetur, & inter querulas aves pſalmi & carmina dulcius cantabuntur. Si frigus fuerit & brumales dies, ligna non coemam, calidius vigilabo, vel dormiam. Certe, quod ſcio, vilius non algebo. Nondum annum in Curia conſumſi, & ſtomachatus ſum, dum plus opinioni, quam veritati, ac titulis, quam ſcientiæ locum video. AENEAS. Fer paululum; Deus faxit, vita ut ſit Pontifici noſtro diuturna, ut qui prudentia eſt, annis etiam Neſtor fiat: neque tibi, neque, ut ſpero, mihi urbana & ruſtica deerunt ædificia. (5) Sed quinam illi ſunt invicem colloquentes? unus nos præceſſit, quem alter obvius veniens ſiſtit. Sciſcitantur invicem neſcio quid; hæreamus magis, ſi quid exaudire liceat.

*Explicit Dialogus primus*
*Incipit* (6) *Dialogus ſecundus.*

*In quo Stephanus Novarienſis & Nicolaus de Cuſa introducuntur de Concilii ſtatu colloquentes &c.*

STEPHANUS: Niſi me fallat imago, viſus mihi alio, (7) & amatus fuiſti. NICOLAUS. Quid tibi videor, aut ubi me vidiſti? STEPHANUS. Aut Nicolaus Cuſanus, aut nullus es; hic Baſileæ te dilexi, tuisque libris uſus amice ſum, quid ſibi habitus iſte vult? NICOL. Ipſus ſum; habitus viatoris & inſidias timentis eſt. At tu, quem te eſſe dicis? videor & ego te noſſe, ſed excidit mente, quo nomine ſis. STEPH. Stephanus (8) Cacia, Novarienſis, contubernalis & amicus, ut ſolebas dicere, tibi in paucis carus. NICOL. O mi gratiſſime Comes! ó alter ego! mel gentium, ſuavium meum optate ades. Nemo eſt omnium, quem magis obvium, quam te cuperem dari mihi: Verum quid tu hic in Germania? Suavem illum & amœnum Italiæ fugiſti aërem? quo pacto divinis illis carere ingeniis potes? quænam provincia tibi placet, ſi gravis Italia eſt? qui grati erunt homines, ſi Italos, præ omnibus

(1) Cod. Can. *dies.*
(2) Cod. Can. *aut.*
(3) Cod. Can. *illa.*
(4) Virg. Bucol. Ecl. II.
(5) Cod. Can. *officia.*
(6) Cod. Can. *ſecundus Dialogus inter Stephanum & Nicolaum.*
(7) Cod. Can. *alias.*
(8) Cod. Can. de Caciis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus diſertos & converſatione communes (1) faſtidis. Scio tibi ſatis agri eſſe Novariæ, teque ultra paternam hæreditatem coëmtis poſſeſſionibus ampliaſſe. Novaria ipſa miti cœlo & ubere gleba eſt; homines illic tractabiles & amicorum amici. Si quid deerat Epiſcopum habent Bartholomæum, Vice Comitem, hominem, quos noſtra ætas tulit, non eloquentiſſimum ſolum, ſed & humaniſſimum; (2) quo cum qui vivit, beatam poſſidet vitam. Quid te illinc traxit? tene, ut alio, (3) a patria exulem, cumulandi majores opes ſitis fecit? en quando tibi ſat erit? qui de incremento divitiarum cogitat, oblitus eſt uſus; Nemoque ſollicito bono fruitur. Cæterum, ſi omnino vis fieri locuples, unica ab Annæo Seneca oſtenſa eſt via; non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditati detrahendum eſt. At demum cur tu es triſtis? STEPH. Et tu etiam mihi deſideratus eras, tecumque præſentes Eccleſiæ calamitates deplorare geſtiebam. Sed quid tu mihi Italiam quaſi extero laudas; lectum quoque mihi eſt, quod de illa Virgilius refert: Cui nec Medorum ditiſſimam terram, nec pulchrum Gangem, nec auro turbidum Hermum æquari poſſe dijudicat; ubi ver aſſiduum, & alienis menſibus æſtatem, & bis pomis utiles dicit arbores. Et genus acre virum, & urbes, & lacus, & marinos portus, &, plus quam fieri queat, in Italia omnia eſſe digna laudatu, ſive cœlum ſpectes, ſive ſolum. Sed ſcis tu, quot ſimultates, quot odia, A quot diviſiones apertæ ibi ſunt, ubi nulla firma poſſeſſio, nullus ſtatus diuturnus? Serunt ibi, (4) & alii metunt; omnibus idem timor eſt, ne armatus miles, *hæc mea ſunt*, dicat, *veteres migrate coloni.* Vos autem in hac Germania, etſi non tot abundatis bonis; veſtra tamen ſtabilis & firma poſſeſſio eſt. Bona veſtra, vere veſtra ſunt; pace omnes fruimini & libertate in communi: magisque ad naturam, quam ad opinionem vivitis. Fugi ego illos Italiæ turbines, meque huc relegavi, ut B quam longe ab illis abſim. Sed cur tu Novarienſem Epiſcopum non etiam Cardinalem appellas? NICOL. Quia nec vocatum ad hoc honoris per eum, qui poſſit, (5) nec placuiſſe illi oblatam dignitatem, compertum adhuc habeo; prius tamen quam Italiæ recedat mentio, audi, quod aſſidua lectione apud Marcum Varronem rerum humanarum Lib. XI. comperi; qui omnia, quæ victus deſiderat, optima fere in Italia oſtendit. C *Ad victum optima*, inquit Varro, fert ager Campanus frumentum; Salernicus vinum; Caſinas oleum; Tuſculanus ficum; mel Tarentinus; piſcem Tybris. STEPH. Tibi ergo Germano Italia, mihi Italo Germania habitatu placet; utinam commutare hæreditates invicem poſſemus! ſed quod de triſtitia queris, miror id tibi non eſſe perſpectum: qui contemni Eccleſiam, & tempora Arriannorum reverti, & mores ubique peſſimos cernis; non mea triſtitia tibi, ſed tuum mihi gaudium admirationi eſſe debet: quo te plus ſolito,

&

(1) Forte *Comes.*
(2) Cod. Can. *modeſtiſſimum.*
(3) Cod. Can. *ut patriæ.*
(4) Idiographum puto habebat *ſerunt ibi alii & alii* &c.
(5) Sic uterque Codex, ſed deeſſe quidpiam videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

& plus quam ſapientem deceat, effuſum video. De Cardinali dicemus; interim lætitia tua impartiaris me volo. NICOL. Va! ha! Bono animo te eſſe impero; reſpexit jam DEUS Eccleſiam; nec Julianum Arriani, nec Conſtantium ſemper habebunt. STEPH. Geſtio ſcire quid ſic? effluat, ſi quid boni eſt. NIC. Faciam, nec te ſuſpenſum amicum (1) tenebo. Fatua illa & execrabilis turba Baſilienſis, quæ ſancto ſe ſpiritu duci jactat, non ita, ut aſſuevit, fidem habet. STEPH. A ha! Bona verba quæſo; unum omiſit Pericles, cum prætorem Sophoclem admonuit, non ſolum manus, ſed etiam oculos abſtinentes eſſe oportere. Idem tibi edico, ſed verba quoque, ut caſta ſint adjicio, & ſine injuria. Ceterum quid novi eſt, quod affers? NICOL. Carolus Francorum Rex, quem iſti potiſſime ſuum putabant, nunc vero & ſe religioſum principem, & Chriſtianiſſimi nomen, quod in familia ſua hæreditarium erat, ſibi quoque merito convenire oſtendit; qui auditis nuper Biturigis utriusque partis oratoribus, Eugenio potius obediendum cenſuit: profatus publice, hæſitari a viris gravibus, an Baſileæ Concilium ſit. Id quoque ſecuta Colonienſis ſchola eſt, (2) cujus licet nonnulli errores publicati ſint, (3) ut Romanum Pontificem ſubeſſe Concilio, & alia iſtiusmodi; in eo tamen gratias illi habeo, quod Concilii Baſilienſis ſtatum in dubium vertit; quo ſublato fundamento, reliquum ædificium ruere neceſſum eſt. STEPH. Alius homo es, ut videris, quam Baſileæ fueris: tunc enim auctoritatem Generalium Conciliorum quis magis, quam tu, extollebat? Quis Eugenii partes acrius, quam tu, impugnabat? quis tunc Legatos Apoſtolicos conſtantius vetuit, quam tu ipſe, præſidere, Tu geſta priorum Conciliorum & libros vetuſtate corroſos, in medium afferebas. Tibi plus in hiſtoria, quam reliquis omnibus, adhibitum erat fidei. Mihi quoque ex magna Britannia redeunti, obita legatione, qua patres Concilii ad Regem Henricum me deſtinaverant, obvius confluentiæ fuiſti: cumque apud te familiariter eſſem, meminiſſe debet, quantum auctoritatem Eccleſiæ commendaſti; quantum adhortatus me es, ut conſtanti animo illam tuerer: nec ambiguum faciebas, quin legi Concilii parere Pontificem Maximum oporteret. Unde nunc iſta dicis? Non te putet dictis prioribus ire contrarium. NICOL. Reſpondebo tibi, quod in Tuſculano dicere Bruto memini Ciceronem. *Tu quidem*, inquid ille, *tabellis* (4) *obſignatis agis mecum & teſtificaris, quid dixerim aliquando, aut ſcripſerim: eum aliis agitur iſto modo, qui legibus impoſitis diſputant: nos in diem vivimus, quodcumque animos noſtros probabilitate percuſſerit, id dicimus; itaque ſoli ſumus liberi.* Ita eſt profecto, Stephane, ſi quid dixi, aut ſcripſi unquam, quod præſenti meæ ſententiæ repugnet, nunc indictum habeo. Optimus ſæpe periclitanti portus eſt mutatio Conſilii. At quid tu meis novitatibus reſponſi exhi-

(1) Cod. Can. *amice.*
(2) Cod. Can. *ſit.*
(3) Cod. Can. ſunt.
(4) Cod. Can. *libellis.*

hibes? STEPH. De Rege nihil me dicere Majeſtas permittit. Ieronymi vocem dicunt, Galliam, poſt acceptam ſimul Chriſti fidem, monſtris hæreſeos ſemper caruiſſe; hinc & Chriſtianiſſima regio nuncupata: faxit DEUS res illi & nomen perpetuo maneat. De ſchola Colonienſi libet ſermones viciſſim ſeramus, & noſtro more invicem concertemus. Neque enim, ut tibi accidit, idcirco lætitia perfundor, quod Baſilienſibus ademta ſit fides, quod ſi Deus permitteret, & perire mundum permiſiſſe dicendus eſſet. NICOL. Antiquo igitur morbo laboras, & cum Baſilienſibus, ut ſoles, deliras; vis tibi ut lavem caput? Sedeamus hic in ripa fluminis, diſputemusque ſolis occaſum usque, cujus per autumnum vis calori non ardori eſt. Interim ſi, quod tranſibit, navigium ſpectabimus. STEPH. Placet, ut, quod in me delirantis vitium dicis, in te eſſe oſtendam. Incipe; quid eſt, quod geſtum Coloniæ tantopere laudas? Socratico more contendemus; atque ita facillime, vel quod verum, vel quod veriſimillimum eſt, (1) inveniemus.

*Explicit Dialogus ſecundus.* (2)
*Incipit Dialogus tertius.*

MARTINUS. Sedeamus nos etiam hic poſt carecta; audiamus certamen, quod nobis aliquando honori eſſe poterit. Si non ero in ſerotinis gratiis, una me hac culpa donabit Pontifex. AENEAS. Idem mihi animus erat dicere, latere ſub his corylis poſſumus. Cavendum eſt, ne vel animam exhalemus; dum ſe inviſos putant, liberius eloquentur, quæ ſentiunt; magnum nobis lucrum erit audire hos viros, quorum doctrinam magis, (3) an eloquentiam, mirer incertus ſum. MART. Quaſi media Græcia (4) ſic loquuntur. Horum doctrina alia eſt, quam illorum, qui formis & terminis quibusdam, ut ſervi glebæ adſcripti, nihilo plus corvis ſapiunt; quos verba noſtra conari, & ſalutare Cæſares humana induſtria docuit. Namque ut pica & pſittacus non intellectum ſermonem pronunciant, ſic noſtri aſelli bipedes, quorum ſcientia ſumma juſtitia eſt, verbis, quæ non intelligunt, & ſententiis, quas non capiunt, uti audent: ignorantes quoque quid agant; Polycleti more ſemper cum pelle & hydra Herculem fingunt; pingentesque, ſi quando id accidit, novam avem, caput & collum Junonis ales, ut ornet, volunt; pectus vero & corpus reliquum ex concordiæ & Minervæ alitis veſtiunt plumis. AENEAS. Ne mihi, obſecro, iſtorum facito mentionem, quos nec ego in numero hominum habeo; tametſi equis inſideant albis & talares deferant veſtes; quos Deus eradicet, ne filios noſtros eadem barbarie inſtruant. (5) Heu mihi, quo riſu rumpor, cum illos, aut aptare pontes, aut extendere lanceas, aut equis alligare caudas video: ſi roges: cur Daſia & Pſile relictis, nec periodus, nec comma locum apud eos habeat? Caldæum te eſſe putabunt. MART. Pulchrum eſt, ultra quam reris, iſtius ſectæ

(1) Cod. Can. omittit. *eſt.*
(2) Cod. Can. *ſequitur tertius Dialogus, Martini & Aeneæ.*
(3) Cod. Can. *quam.*
(4) Cod. Can. addit *didicerint.*
(5) Quod Aeneæ votum DEUS O. M. vel memoria noſtra comprobare velit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſectæ ineptias retuliſſe; belli namque hi homines, certos ſcientiæ ſuæ fines, & velut quædam pomœria poſuerunt, ultra quæ, ſi quis egredi audeat, introſpexiſſe in ædem Deæ, a qua mares abſterrentur, exiſtimandus ſit: quorum cancellis nemo ſane recludi patiatur, quem pinguis Minerva dedeceat. AENEAS. Orthographiæ, quam imperiti ſint, vel illud indicio eſt, quod abundo ſemper aſpirationem adjiciunt contemnentes non ſolum Ugucionem ſed & Marcellum, normam & rationem etymologiæ. MART. Poſſem multa in hunc modum referre, quibus errare illos manifeſte ſcio; ſed ignoſco conſuetudini, cui ſervire Orthographiam, ex Quinctiliano edoctus ſum. AENEAS. Cave Martine, ne ignorantiæ magiſtros ſub umbra conſuetudinis, excuſatos velis. Libet quidem mihi, Quinctilianum te adduxiſſe; ipſum enim potiſſime adverſari noſtris nebulonibus, ſcio, qui conſuetudinem ſermonis, erudi-C torum, ſicut vivendi, bonorum, conſenſum putat. Namque, ſi conſuetudinem dixeris, id quod plures faciunt, periculoſiſſimum dabis præceptum, non ſermoni meo, ſed, quod magis eſt, vitæ; atque ut tranſeam, quemadmodum vulgo imperiti loquuntur, ſæpe univerſa patrum ſubſellia, & concionis noſtræ turbam, exclamaſſe barbare audivimus: Sed teneamus hic animum: jam manus athletæ conſerunt: videntis & audientis major pars ludi eſt.

A *Explicit Dialogus tertius.* (1)
*Incipit Dialogus quartus.*

STEPHANUS. Prædictum eſt, Concilium eſſe Baſileæ. NICOLAUS. Subdubitant. STEPH. Deprome verba ut ſunt. NICOL. Concilium adhuc eſſe Baſileæ dicunt, niſi legitime fuerit translatum. STEPHAN. Ergo niſi legitime translatum ſit, impoſſibile eſt, quin Baſileæ Concilium modo (2) ſedeat. NICOL. Ita illi videntur inferre. B STEPH. Verum ſunt alii plures caſus, quibus Concilium non eſſe Baſileæ potuit: nam & diſſolvi potuit receſſu omnium etiam injuſto. Concilium, quod Nicææ Conſtantinus convocavit, repentina terræmotus calamitas diſſipavit; hoc noſtrum, ſi translatum facto fuiſſet, tametſi minus rite Baſileæ, tamen deſiviſſet eſſe Concilium. Unum te hic admonitum volo, ne, ut moderni Rabulæ ſermocinemur; qui licet jus anC nuli aurei geſtandi habeant, nec verba tamen rebus bene accommodant, nec vim novere vocabulorum: & ipſos, quibus dietim ſuperincumbunt, Digeſtorum codices, non magis, quam Arabicum ſermonem intelligunt: ideoque Oedipum domi, qui ænigmata ſolvat, & lycias exponat ſortes, nullum invenias non habere. Quis enim non rideat, quando hi noſtri ſatrapæ, magiſtri leges & duces populi, diſſolutum eſſe ab Eugenio Concilium de facto afferunt, & eſſe tamen Concilium dicunt? Non facto, ſed verbo, Concilium Eugenius

(1) Cod. Can. *Quartus Dialogus.*
(2) Cod. Can. *adhuc.*

nius ſolvit; quod factum eſt, nequit eſſe infectum. NICOL. Vera utrobique dicis, & agere te cauſſam meam, ingentes habeo gratias; nihil aliud ego poſtulo, quam ut Baſileæ Concilium neges; ut tamen ſcutum pro meis Colonienſibus ſumam, ipſi factum tenent; ſciunt, quia diſſolutum non eſt, neque translatum, ſi ad factum ſpectes, Concilium. Nam quod facti eſt, Congregationis ſemper major Baſileæ pars manſit; jus illis ambiguum eſt, quia translatum eſt Canonice Concilium, factum tamen juri obſtitiſſe potuit. STEPH. Sit ita, ut narras; ex dictis tuis hoc (1) habeo: Baſileæ Concilium eſſe, niſi translatum ſit legitime; hæc ſupra tua concluſio eſt. NICOL. Univerſitatis, non mea, ne erres. STEPH. Hæc eſt ergo tuæ Univerſitatis ſententiæ? NICOL. Hæc eadem. STEPHAN. Translatum eſſe Concilium duplici ſolum via contingere poteſt, quia aut ipſum ſe transtulit, aut ab alio translatum eſt. NICOL. Sic volo, de via utraque intelligo, earumque altera ſufficit. STEPH. Proba igitur transtuliſſe Concilium ſe primitus. NICOL. Rectum poſtulas, non neganti, ſed ponenti incumbit probatio. Monimenta mea in promtu ſunt: Concilii noſtri decretum eſt, quo Florentia & Utinum, vel aliud in conventionibus, cum Græcis habitis, comprehenſus locus, qui prior neceſſarias res, ad conducendum Græcos, paraſſet, (2) œcumenico Concilio deputatur; illucque, ut primum Græci Latinum portum applicuerunt, translata ſynodus noſtra cenſetur. STEPH. Legitimumne illud putas decretum? NICOL. Quo pacto illegitimum dixerim, qui ejus editioni conſenſi, & operam, ut fieret, dedi. STEPH. Putabam te reſipuiſſe. NICOL. Niſi prius errorem deprehendis, ridiculum eſt, quod de reſipiſcentia garris: impugna illud decretum, ſi potes; adamantinum eſt, nunquam franges. STEPH. Hircum modo mactavi, adhuc bullit ſanguis, mane. Nihil eſt tam firmum, quam veritas; illi omnia cedunt. Decretum eſt ex antiquis, quæ vos fatemini, ſanctum eſſe Baſilienſe Concilium, nec diſſolvi poſſe, nec transferri, niſi duabus partibus cujuslibet deputationis conſentientibus, ac votis ſingulorum, tam in generali Congregatione, quam in deputationibus diligenter perquiſitis. Quid hic reſpondebis? factumne hoc dices in editione tui decreti, quod, ut ſic dicam, furtim conceptum, tumultuatim promulgaſtis. NICOL. Plusquam factum; lex neceſſarior & ſalutarior præceſſit, qua transferendum eſſe Græcorum cauſſa Concilium, omnes usque ad unum conſenſimus. Cumque ſatisfactum decreto, quo te armas, fuit, poſtmodum vero non in translatione, ſed in nominatione loci diſſenſio patrum fuit. STEPH. Siſte vocem! nolo, ulterius pergas. En quo pacto ais tu decretum fuiſſe relaxatum; non paria ſunt transferendum decernere, atque transferre: dicit decretum, ne Concilium transferatur, niſi ex conſenſu duarum partium; non dicit, ne decernatur transferendum. Et quia periculoſius eſt, transferre, quam trans-

(1) Cod. Can. omittit *hoc*.
(2) Cod. Can. *curaſſet*.

transferendum cenſere, translationi adhiberi ſolemnitates placuit. Exinnum erubeſcis paululum, id tibi argumentum ſumere, quod in nobis te non ignoras reprehendiſſe? Nos cum Avinionem eligere intenderemus, nec ſufficere patrum ſuffragia timeremus; hoc ipſum, (1) quod dicis excerpere nullo pacto permiſſi fuimus; tu præcipue nobis eras moleſtus, majorem partem ſufficere nobis dictitans: fortaſſe avarum illum imitari volebas, qui uſuras idcirco publice deteſtabatur, ut ſolus omnibus fieret fœnerator. NICOL. Agedum, expedi hoc; promiſiſtisne Græcis mutare locum? STEPH. Promiſimus. NICOL. Factumne a vobis eſt? STEPH; Tute ſcias, Avinionem cum Sabaudia & Baſileæ elegimus; ut unum ex his locum, quem optarent Græci, accederent, nosque cum ipſis conveniremus. NICOL. At Baſileam illi ſæpius refutarant; ex aliis orbis locis ea nominata fuere: Calabria, Ancona, aut alia terra maritima, Bononia, Mediolanum aut alia Civitas in Italia. Extra Italiam vero, Buda in Ungagaria, Vienna in Auſtria, ad ultimum Sabaudia. Cur Avinionem, inter illa non comprehenſum locum nominaſtis? Tune illorum inſaniæ communicas, qui comprehendi Avinionem putant? STEPH. Non utique; illos etiam bis delirare vidi, quia Avinionem comprehendi, & quia maritima urbs foret, ideo comprehendi putabant; ſed nihil horum noſtra electio habet, nec ego & majores illis deliramentis ducti ſumus. NICOL. Cur igitur elegiſtis? A STEPH. Ut eſſent, qui argentum darent, fieretque Græcis poteſtas ex tribus locis, quem mallet, unum eligere. Sabaudia comprehenſa erat, illam declinare non poterant. NICOL. Sed cum Avinionenſes ſolutionem pecuniarum differrent, timerentque legati Apoſtolici, ne pacta Græcis fides deficeret, quod nec navigia, nec alia promiſſa mitterentur, in tempore, cur non aliter providiſtis? STEPH. Pulchra, me Hercule, diligentia legatorum, quærebantur in B Concilio Avinionenſes non dare pecuniam, & illos ne darent in Avinione, crebris epiſtolis & nunciis deterrebant: miſſumque illuc Cretenſem Archiepiſcopum ab Eugenio conſtat, qui daturos pecuniam, modis omnibus prohiberet. Itaque moram ipſi accuſabant, cujus erant cauſſa, ac ſi Aeneam objurget Mercurius Eliſæ deſertorem. NICOL. Melius iſta inferius trutinabuntur, nunc rei propius hæreo. Duas in Concilio par- C tes fuiſſe, conſtat; Avinionem altera fovebat, altera impugnabat; magnæ utrimque contentiones erant. Terminus, qui Avinionenſibus, infra quem ſolverent, datus erat, re infecta exſpiraverat: dies Græcis aſſignatus propinquus videbatur. dicere alii, denuo novum eligendum locum, alii perſeverandum in prima electione aſſeverare; gravis diſcordia timebatur & ſciſſura patrum: viſum in communi eſt, ad unitatem ſervandam terminum alterum præfigi Avinionenſibus, ut niſi infra XXX. dierum ſpatium datæ pecuniæ forent, atque exinde infra XII. (2) de ſolutione Concilium eſſet certioratum;



(1) Cod. Can. *id ipſum.*
(2) Cod. Can. addit *dies.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ad loci alterius electionem procedi deberet. Fit ſchedula hujus determinationis, legitur in deputationibus, approbatur, in generali congregatione concluditur: Præterit tempus, non pecunias Avinionenſes, neque dediſſe certificant, Petit pars legatorum ad aliam procedi electionem, ſchedulamque ſervari, ſive, ut priſco modo eloquar, ſchedulam negat pars altera, de violata fide querimonia fit, vobis fidem frangentibus; ad legatorum partem (1) ſive minorem electio devolvitur. Res ad deputationes deducitur; qui jus eligendi habent, loca, quæ ſupra dixi, eligunt, Conciliumque transferunt, auctoritas Concilii ſola in eis reſidet: ſuntque non duæ partes tantum, ſed omnes partes Concilii. Alii enim, qui fidem fregerunt, neque partem faciebant, neque numerum. Itaque, ut in deputationibus, ſic & in generali congregatione & in ſeſſione publica concluſerunt. Tu ſi quid habes reſponde, ſed religioſe.

*Explicit Dialogus quartus.* (2)
*Incipit Dialogus quintus.*

MARTINUS. Scis, quid mihi ex Andria Terentii in mentem venit modo. AENEAS. Numquid rei id eſt? MART. Byrrhiam relictis rebus juſſerat Charinus rivalem Pamphilum obſervare, ut quid ageret de nuptiis, ſciret. Interea Simo de improviſo adeſt, Pamphilo, qui ei unicus erat gnatus, hodie, inquit, ducas uxorem volo; quem ſic loquentem audiens Byrrhia, nunc noſtræ, ait, timeo parti, quid hic reſpondeat; Sic & mihi modo, accidit. AENEAS. Mitte timorem; Cave, ne pugilem noſtrum illis æquipares, qui extra libros mortui homines ſunt. Ut, fuiſſe in urbe noſtra Johannem Paglarenſem, (3) tradunt; ut, quos vidimus ipſi & audivimus, Johannem de Imola G. Mediolanenſem, & qui hic obiit, Ludovicum Romanum; quorum præter memoriæ ſtupendam profunditatem, nihil erat, quod laudares. Hic autem, quamvis Cyneam Byrrhi legatum Simonidem memoriæ dotibus exæquet: nihilo tamen minus ingenio valet, & acre illi in omnibus judicium eſt. Rem ipſe omnem tenet; viſus eſt tibi Hector, qui prædixit; at illi non Patroclum, ſed Achillem audies reſpondentem. Unum tibi prædico, priusquam fine reſponſo ille evadat, erumpere hinc animus eſt: telorum mihi plurimum, quibus illum ejaculer, in pharetra eſt. MART. Mane frontem Stephanus irrugavit, ſeque recolligit; aliquid, quod dicat, mediatur. Tu interim, mortuos, neſcio quos, mihi nominaſti, qui interrogati de jure, quod memoria ſervaverant, reſpondebant: cæteris in rebus non minus ſtupidi erant, quam, quibus media frontis vena pertunditur. Sed, quot ſunt hodie hujusmodi! quot beſtiæ doctorantur! Cur non e vivis vel unum prodis? AENEAS. Juvenalis, quo nemo fuit mordacior, ut vivos præteream intactos, admonet: illi enim ſunt verſus.

. . *Ex-*

(1) Cod. Can. addit. *ſive majorem.*
(2) Cod. Can. Incipit V. Dialogus.
(3) Cod. Can. *Plagarenſem.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*. . Experiar, quid concedatur in illos,*
*Quorum flaminea tegitur cinis atque Latina.*

Id nobis etiam obſervandum eſt. Sed, quid ſibi vult Nicolaus, dum reſponſum exigit religioſum: MART. Alta magis, quam forte putas, res eſt, noſcenda tamen: Quotidie hoc verbum in auribus cadit, nec, quid ſit religioſum, illi ipſi, qui pronunciant, ſciunt. Idem etiam de *ſacro* & *ſancto* dixerim; nunc *ſanctiſſimum* Papam, nunc *ſacrum* Concilium, nunc religioſos Principes dicimus; hoc vellem ex noſtris cornicibus percontari, ſi quid in abditis ſuis ſanctiſſimisque penetralibus habeant, huic quæſtioni, quod ſatisfaciat. AENEAS. Ac ſi ſurdos de lyra interroges. Sed fare tu, *quem nec bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo, nec fonte labra proluiſſe caballino* obſcurum eſt; quid ſacrum, quid ſanctum, quid religioſum eſt? interea Stephanus, neſcio quid acturus, poſt ſepem ſe retraxit, ad certamen revertetur. MART. Sacrum eſt, ut Trebatium dicere Macrobius refert: quidquid eſt, quod Deorum habetur; idque Virgilio comprobari videtur:

*Sacra Dionææ matri divisque ferebam;*

Et, *Sacra Jovi ſtigio & tibi maxima Juno*
*Sacra ferens. . . . . .*

Sanctum eſt, ut idem Trebatius libro X. Religionum refert, interdum idem eſt, quod ſacrum & religioſum; Interdum nec ſacrum, nec religioſum; ſed idem eſt, quod incorruptum, ut *ſanctæ leges* quia corrumpendæ non ſunt. Et hinc eſt illud:

*Tuque o Sanctiſſima Conjunx felix morte tua;*

in quo caſtitatis honorem incorruptæ uxoris amplexus eſt Aeneas tuus. In ſexto vero Aeneidos, ubi ait: *Tuque o Sanctiſſima vates*, non aliud, niſi ſacram vocat Sibyllam, quam videbat & vatem & Deo plenam & ſacerdotem, Religioſum autem quid ſit, Religio ipſa oſtendet. Religionem enim Servius Sulpitius ideo dictam tradit, quod propter ſanctitatem aliquam remota ac ſepoſita a nobis ſit; quaſi a relinquendo dictam, ut a carendo cerimonia. Secundum (1) Pompejum Feſtum, religioſi ſunt, qui facienda & vitanda diſcernunt: hinc apud Virgilium rivos deducere nulla religio vetuit. Cum ergo Religioſum ſe velle reſponſum Nicolaus ait, id nempe reſponſum ſignificat, quod a viro boni & mali perito, id eſt a ſapiente, ſit dandum. AENEAS. Licet non parum, debitum tamen poſtulat Nicolaus, ſed de Religione dum loqueris, in mentem venit mihi, quod in libro de natura Deorum ſecundo Cicero dicit, qui Religionem a relegendo dictam interpretatur, his, ſi recte memini, verbis: *Non enim* PHILOSOPHI *ſolum, verum etiam majores noſtri, ſuperſtitionem ac religionem ſeparaverunt; nam, qui totos dies precabantur & imolabant, ut ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: qui autem omnia, quæ ad culturam Deorum pertinerent, retractarent, & tamquam relegerent, hi ſunt dicti religioſi ex relegendo, quod a Macrobio prætermiſſum ſatis miror* MART. Deſine admirari. Ciceronem enim in hac parte non ſolum ſequi-

(1) Cod. Can. addit *autem.*

quitur nemo, ſed Lactantii etiam mucro ferit; qui ejus interpretationem, ex re ipſa ineptam, reprobat, atque ut aliter tibi exponam, Religionis nomen, Lactantius a vinculo pietatis eſſe deductum putat; quod hominem Deus ſibi religaverit, & pietate conſtrinxerit, qua nos ſervire ei ut Domino, & obſequi, ut patri, neceſſe eſt. AENEAS. Etiam hoc volebam proſequi, ſi permiſiſſes. Sequitur enim Lactantius in ea re potiſſimum Lucretium, qui ſe ait religionum ſolvere nodos, dicitque ſic. Superſtitioſi autem vocantur, non, qui filios ſuos ſuperſtites optant; omnes enim optamus; ſed aut hi, ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt, aut, qui parentibus ſuis ſuperſtites, colebant imagines eorum domi, tamquam Deos penates. Nam qui novos ſive (1) ritus aſſumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos ſuperſtitioſos vocabant: eos vero, qui publicos & antiquos Deos colerent, religioſos nominabant. Unde Virgilius:

*Vana ſuperſtitio veterumque ignara Deorum.*

Sed ecce Stephanum! lætus redit ad certamen; (2) audiamus.

*Explicit Dialogus quintus.*
*Incipit Dialogus ſextus.* (3)

STEPH. Numquam hodie effugies veniam quocumque vocaris. Tuus Hanibal campum eſt ingreſſus, Scipio jam meus veniet. Omnis argumentationis tuæ robur ſub decreto minoris partis conſiſtit; (4) decretum vero ſchedula conventionali ſuſtentari oſtendit, qua obligatos fuiſſe Patres adſtruit. At ſi ſchedulæ ſolvo vinculum, nihil eſt, quod tibi ſuperſit de facto, prout narraſti. Jam nihil tibi erado niſi ubi cauſſas dicit & duas fuiſſe partes. NICOL. Ita inficias ne in re ibis perſpicua, quis hoc neſcit? STEPH. Quamvis fuit, ut ais, diſcordia inter Patres; nulla tamen diſcretio fuit partium, nec nominare hinc atque inde, qui fuerint, quisquam poterit; ſed erat incertus rumor. At ſi ideo partes in Concilio dixeris, quod alii uno modo, alii alio loquentur, periculoſam rem inducis, & omni die novas partes facies. Illud tu primum ſcis, duas incorporatorum partes in Avinione conſenſiſſe, quando electa illa urbs fuit. Alterius partis, quæ minor tertia fuit, non unum in locum voces, ſed in diverſa tendentes vidiſti; aliis Florentiam, aliis Vtinum, aliis Parmam, aliis Papiam, aliis Viennam eligentibus. NICOL. At cum ſchedulam fieri placuit, duæ tantum partes erant; una ſtare electioni Avinionis volebat, altera ex integro fieri novam: Schedulaque ad concordiam iſtarum duarum facta eſt partium, quaſi contractus ritu. STEPH. Sit ita, ut dicis, quod tamen nullis afferere documentis poterit. Illud primum ſcis, Lombardi & Cataloni pluresque Alemanni in hac ſententia vobiſcum fuere, nova ut electio fieret; cumque non obtineretis, facta eſt ſchedula: non ſolventibus Avinionenſibus ſchedulam alli-

(1) Sic f. *ſibi.*
(2) Cod. Can. omittit *ad certamen,*
(3) Cod. Can. *Sextus Dialogus inter Stephanum & Nicolaum.*
(4) Verba hæcce, ſcil. *Decretum vero cedula conventionali ſuſtentari oſtendit.* Cod. Can. addit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

allegatis, ſtarique illi vultis: nos, melius eſſe non ſtari, cenſemus; dic, qui vobiſcum remanent? Catalani nempe (1), Lombardi & Almanni quamplures ad nos deficiunt, fitque ut partis noſtræ pars major aliter quam vos ſentiat. Itaque non attendimus, quid decem aut viginti ex vobis velint, ſed quid noſtrum pars major exigat; univerſitas enim cum univerſitate contrahens, non quid ſingularis perſona velit, ſed quid univerſitatis pars major, exquirit. Exin, quonam pacto conventionalem contendis ſchedulam fore *viſum eſt;* ubi, Patribus ſacri Concilii ſic faciendum eſſe, dicitur? nulla illic de Patribus mentio eſt. Legati præterea, qui præcipui auctores tui decreti fuerunt, publice conteſtati ſunt, his, quæ continebantur in ſchedula, non præſtare ſe aſſenſum: quomodo igitur fuit contractus, ſi in Chirographo contractus non conſenſiſtis? Videsne, ut ruit fundamentum ſchedulæ, utque deliramentum eſt, illam adducere in medium. Sed habeo etiam alia, quibus Herculem tuum perfodere queam, jacula; atque niſi reſipiſcis, jam non ſagittis tecum eminus, ſed mucrone & crebris ictibus bellum cominus agam. NICOL. Miſeret me tui, qui tam cito mihi ut victo inſultas hoſti; quin age, ſi quid telorum in pharetra eſt, deprome totum; clypeus mihi Ajacis eſt, de quo Virgilium dicere putant:

*Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
*Tres pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.*

A STEPH. Geſtus mos erit tibi, evita hoc, ſi potes, telum. Priusquam ſchedula illa, qua te munis, fieret, Johannes Abbas Bonæ Vallis, & Raimundus Taloni, quem Siſtaricenſes (2) Epiſcopum ſibi poſtea vocavere, oratores Concilii, cum poteſtate, ut eis videretur, cum Avinionenſibus componendi, Avinionem miſſi, Concilium certis pactis obligarant, quæ, ſtante ſchedula, ſervari minime potuiſſent; cujus rei in confectione ſchedulæ ignarum B Concilium, nec potuit, nec videri debuit, pacta ſuorum legatorum fregiſſe. Præterea, poterat Concilium honeſtius ex ſuo arbitrio cum parte veſtra, qui Eccleſiaſtici eratis, quam cum Avinionenſibus laicis agere. Inſuper, (3) quod dicis, Avinionenſes non ſatisfeciſſe in tempore, poteſt etiam negari. NICOL. Negare, quod negatur, ſpecies affirmationis eſt; ideoque tuum eſt, ab Avinionenſibus in tempore ſatisfactum com- C probare. STEPH. Id neque tu ipſe negabis. Jam enim Avinionenſes quatuor illis Epiſcopis, qui miſſi per Concilium erant gratiam petituri, & Capitaneo Galearum partem pecuniarum dederant, & reliquum ſe daturos, habito decreto, per priores oratores promiſſo, idonee caverant; idque litteris oratorum & communitatis Avinionenſis ſignificatum fuit, non niſi una poſt terminum die. NICOL. Deſine, obſecro, his nugis uti. Scis ſchedulam realem pecuniarum traditionem ac exburſationem requiſiviſſe, non cautionem & figmenta, ut illa fuere. Dice-

(1) Cod. Can. *namque.*
(2) Cod. Can. *Ciſtaricenſes.*
(3) Cod. Can. *Ideirco.*

cere te, jure conſultum nobilem & cauſſas orare ſolitum, iſta levia rubor eſt. STEPH. Sit ita; reſponde mihi, ſi ſcis, & ſolve, quæ modo ſubjiciam. Concedamus, quas dicis partes, & ſchedulam, ad ſervandam pacem, fuiſſe factam; quid tum obſecro? NICOL. Servetis tenorem ſchedulæ, poſcimus. STEPH. Rediges tu me hic ad contractus Civiles privatorum hominum; non ſunt negotia publica æquiparanda privatis; altior hic ratio eſt. NICOL. Neſcio, quo pergis; illud ſcio, ſi quid inter Latinos & Græcos conventum eſt, id, niſi ambæ partes varient, ſervandum arbitror. STEPH. Recte ais; Concilium namque Latinorum a Græcis non recipiebatur in principem; legatis vero, & his, qui eos ſequebantur, princeps Concilium erat. NICOL. Fateor; ſed factam conventionem per ſchedulam non cum Concilio, ſed pars cum parte agit. STEPH. Hic ergo me intelligas oro, ſupra pennas ventorum volantem. NICOL. Si eo pergis, non te ſequor, terræ hæreo; vides, ſicut humectum eſt corpus & ponderoſum; vix hodie mille paſſus deambulavi. STEPH. Utamur ergo, ſicut dici aſſolet, pingui Minerva: legati & alii Patres, quicunque incorporati erant, unum Concilium, unum corpus, unam rempublicam conſtituebant; nulla de rebus privatis contentio erat, ad reductionem Græcorum omnes tendebant: obligatum eſt Concilium pecuniam & navigia Græcis mittere, & locum, ad quem veniant, nominare. Jam loca electa ſunt; non ſolventibus in primo termino Avinionenſibus, ſecundus juxta ſchedulam datur, iloque effluxo non habentur pecuniæ. Vos impleri tenorem ſchedulæ vultis, non negamus. Quid hic noſtra intereſt ſervari ſchedulam? NICOL. Nempe, ut promiſſa Græcis ſerventur, quod fieri per Avinionenſes non poſſe cognoſcimus, ex quibus haberi pecunias, ſomnium eſt. STEPH. Quis Græcis ſe obligavit, vosne, an Concilium? NICOL. Concilium. STEPH. Servari ergo Græcis fidem Concilii magis, quam veſtra intereſt. Concilii autem ſemper apud majorem partem eſſe poteſtatem invenies, idque in cæteris univerſitatibus perſpectum eſt: dum igitur vos novam electionem loci faciendam exiſtimatis, nobis, qui plures ſumus, aliter videtur; cognoſcimusque facilius eſſe ex Avinione haberi pecunias, ubi jam compertæ paratæque ſunt, & ad illas habendas præter unum decretum nihil exigitur plus, quam ex novo loco, ubi & nova pacta percutienda ſint, & omnia ex integro reiteranda. Et, ſi fuerimus in prima electione concordes, timor nobis eſt, ne in ſecunda ſimus diſcordes, resque noſtris diviſionibus pereat. Itaque omnes ad obſervantiam fidei tendimus, ſed diverſo calle: in qua re parti majori, cujus plus intereſt, ſtandum procul dubio erat, quo caſu etiamſi ſchedula conventionalis fuiſſet, quia prius ſervanda erant Græcis promiſſa, quam legatis, poterat major pars conſulere, quod reipublicæ videbatur honeſtius & utilius. NICOL. Paterer iſta diceres, niſi nimium a vero receſſiſſes; quomodo enim ſatisfieri prius Græcis per Avinionenſes ſperare pars veſtra poterat, cum viſum poſtea ſit, loca per nos electa

prius

prius ſatisfeciſſe, & Græcos libentius ad Italiam voluiſſe venire? STEPH. Ab eventu arguis; Sapiens autem, ſicuti placet Senecæ, conſilium rerum omnium, non exitum expectat. Initia in poteſtate noſtra ſunt, de eventu fortuna judicat. Et Poëta illuſtris:

. . . . *Careat ſucceſſibus opto*
*Quisquis ab eventu facta notanda putat.*

Nos, quod vero ſimilius erat, ſecuti fuimus; nec refutaturos Sabaudiam Græcos ſperavimus, quam obtulerant. NICOL. Fuit tamen per id tempus Johannes Diſypatus Baſileæ, Imperatoris & Patriarchæ Apocriſiarius, futurumque id vobis prædixerat. STEPH. Audiſtn' tu, qui homines Græci ſunt? NICOL. Cur petis? STEPH. Ut ſcias, ex Juvenali non eſſe illis dandam fidem. Audi illum, ſic ait:

*Græculus eſuriens in cælum juſſeris ibit.*

Et alibi: *Creditur olim velificatus Athos; & quidquid Græcia mendax audet in Hiſtoria;* non homines ſolum, ſed ipſam Græciam de levitate mendaciorum arguens. Hic tuus Diſypatus prius ex Conſtantinopoli receſſerat, quam nominata Avinio foret; habuiſſe tamen in mandatis, audacia Græca mentiri non verebatur, ne in Avinionem conſentiret; homo præterea emtus pretio, qui in conventionibus cum Græcis habitis adfuerat, ſe illam Sabaudiam intellexiſſe ajebat, quæ in Gallia Padana eſt, Ducî Sabaudiæ ſubjecta; cum tamen & verba extra Italiam dicant, & nulla Italiæ provincia Sabaudia nuncupetur. NICOL. Meum Græcum nimis mordes. STEPH. Imo parum pro re. NICOL. At, quod dixiſti, apud majorem partem ſemper vim eſſe Univerſitatis & Collegii, id non reperio ſemper verum, niſi majorem partem ex meritis & auctoritate perſonarum facias. Scis in electionibus Prælatorum ſcrutinia fieri non ſolum numeri ad numerum, ſed zeli ad zelum, & meriti ad meritum, ſolere. In capitulis præterea, ſi major pars ſcienter indignum Prælatum elegit, poteſt minor dignum eligere. Rurſus quoque, præfixo ad eligendum termino, negligentibus aliis, poteſt eligere minor pars, quas res noſtro in caſu concurrere ſingulas video: vos enim & ſcienter locum ineptum, id eſt, jam refutatum elegiſtis, & in ſecundo termino eligere neglexiſtis, & quod maxime ponderandum eſt, viri & graviores & tam re quam fama meliores noſtræ partis fuere: quorum ſi zelum & merita penſes, longe plus ponderis fuiſſe in noſtris, quam in veſtris manifeſtum eſt. STEPH. Nimis mea ſententia erras, qui facta Capitulorum & Univerſitatum, Superiores habentium, Concilio, ubi nemo, niſi Deus ſuperior eſt, æquiparas; poteras enim tu ipſe rationem diverſitatis vidiſſe: in Capitulis Eccleſiarum, ſi major pars errat, ſupereſt Epiſcopus Metropolitanus, Papa, qui inter minorem & majorem partem dijudicet. In aliis Collegiis ſuperſunt Duces, Reges, Imperator. At in Concilio neceſſarium eſt, majori ſtari parti; cum nemo ſit, qui merita perſonarum & partium rationes, niſi Deus ipſe ſignum e cœlo dederit tamquam ſuperior, diſcutiat. Eſtque in omnibus liberis Civitatibus, ſicuti Romæ, Athe-

Athenis, Carthagine cuſtoditum, ut majoris partis ſententia vincat. Nec ulla unquam apud Romanos Catonis ſententia in ſenatu obtinuit, niſi quæ plurimos habuit aſſenſores; quamvis & ſanctus ille, & omnium judicio ſapientiſſimus haberetur. At tu, ſi perſonarum velis habere diſcretionem, ut meliores in cenſendo præferas, rem periculoſam & ambiguam introduces, & quæ magis gladii alitrix (1) quam pacis ſit. Quod vero tuam partem ex perſonis magnificas, fateor tibi, ex tribus Cardinalibus duos te ſecutum; at Patriarchæ, qui aderant duo, nobiſcum fuere: Archiepiſcoporum & Epiſcoporum & aliarum profecto dignitatum numerus longe major in noſtra parte fuit. De bonitate, ſcis, quam fallax judicium ſit; *pravum eſt cor hominis & inſcrutabile*, inquit Propheta, *quis cognoſcet illud*. Non qui fecerit, ſed quid factum ſit, a nobis ſpectandum eſt. Illi tamen ſi boni fuiſſent, ſicuti exiſtimas, nunquam ſic impudenter veritati reſtitiſſent; quos etiam veritatem foventes adverſus majorem partem, æquius erit ſilere. Jubet enim Plato, ut eſt in Ciceronis Epiſtolis, tantum contendere in republica, quantum probare tuis Civibus poſſis; quibus cum perſuadere diffidimus, vim tamen non debemus inferre. Id vero, quod ais, locum ineptum a nobis ſcienter electum, jam ſupra confutatum eſt; nec enim locus ineptus Sabaudia erat, in Decreto comprehenſa, & a Græcis oblata. De termino quoque ridiculum eſt, quod ais; terminum enim, quem aut nos ipſi nobis per ſchedulam ſtatueramus & prorogandi erat facultas, aut Græci nobis ex contractu (2) præfixerant, cui jam prima electione erat ſatisfactum; in qua perſeverare cautius videbatur: ſicque nulla ex parte argumentatio præſtat tua. NICOL. Nequeo non moleſte ferre, quod de ſenatu Romano adducis, quaſi æquum ſit de nobis & ſenatu illo judicium, ad quem nemo non graviſſimus vocabatur; in quo ſcripti qui erant, a ſenio *Senatores*, & a curæ ſimilitudine *Patres* appellabantur; quos non ſolum non recipiebant non graves, ſed admiſſos etiam ex minima culpa removebant. Idque negotium cenſoribus erat commiſſum; quos Lucium Sulpicium, ſingulari familia ſummoque ingenio virum, propter exiguam notam libidinoſæ ſuſpicionis, removendum ſenatu, multosque dies in vinculis habendum, conſtat percenſuiſſe. Vos autem, absque delectu, doctos & indoctos, & quod pejus eſt, bonos & malos, quaſi ad mercatum vinariamque tabernam admittitis; nec vili plebeculæ, aut ulli hominum fæci repulſa eſt. An quidquam ſtultius eſt, ut verbis Ciceronis utamur, quam quos ſingulos ſicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare eſſe univerſos; horum ego quidquam aut pendam, aut pendere decreta debeam? STEPH. Nimium eſt vero, quod ais, contrarium; regula eſt de admittendis, cujus auctorem tuum dicunt Julianum fuiſſe, illi usque in hanc diem ſtatur. Judicio XII. virorum admiſſiones fiunt. Si qui recepti inveniuntur, quibus nec pinguia beneficia,

(1) Cod. Can. *aſſertrix.*
(2) Cod. Can. *ex Conventu.*

ficia, nec ampliſſimæ dignitates ſunt; eos tamen Presbyteros eſſe, ſat eſt: ſæpeque ſapientia ſub pallio ſordido reperitur. NICOL. Acſi velis Presbyterorum quoque judicium eſſe in Concilio. STEPH. Volo utique, eſt juſtum, volo. NIC. Synodi tamen Chalcedonenſis verba ſunt: *Synodus Epiſcoporum & non Clericorum*; quomodo igitur, qui non Epiſcopi ſunt, Presbyteros miſces in communi, ut judicent cum Epiſcopis. STEPH. Inane eſt, quod jacis fundamentum. Scis apud Paulum idem eſſe Epiſcopum, quod Presbyter eſt; unde & in ea epiſtola, quæ ad Titum ſcribitur, Pauli, ſic inquit Hieronymus, antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis: ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Idem eſt Presbyter, quod & Epiſcopus; unde Epiſcopi cognoſcere debent, ſe magis conſuetudine, quam diſpenſatione Dominicæ veritatis, Presbyteris eſſe majores. Synodus ergo, appellatione Epiſcoporum, etiam Presbyteros voluit contineri; quod ex ſubjunctione clare oſtendit, ubi non Presbyteros tantum, ſed Clericos etiam excludit. An autem judiciariam poteſtatem Presbyteri habeant, ex Ariſtotele Theologorum Auguſtino lucide perdiſces, qui ſuper illis Mathæi verbis: *Tibi dabo claves regni cælorum*, nimirum ait, per illa verba judiciariam poteſtatem datam eſſe non ſolum Petro, ſed aliis etiam Apoſtolis & toti Eccleſiæ in Epiſcopis & Presbyteris. Quibus ſententiis obſervatio quoque & praxis tam primitivæ Eccleſiæ quam noſtræ conſonat. In Actis enim Apoſtolorum conveniſſe Apoſtolos & ſeniores legimus. Interdum vocaſſe XII. multitudinem, quod loco Concilii apud eos fuit, factisque concluſionibus, viſum eſt, ſubjungitur, Spiritui Sancto & nobis; quibus verbis non conſultatio, ſed deciſio continetur propoſitæ quæſtionis, & tam ad Diſcipulos quam ad Apoſtolos referuntur. In Concilio vero Nicæno Presbyterum adhuc Athanaſium conſtat fuiſſe. Cumque Paulus Antiochenus, qui fuit Epiſcopus Galieno imperante, Chriſtum communis naturæ hominem prædicaret, Concilium adverſus eum Antiochiæ convenit, ad quod venerunt Epiſcopi ex Cæſarea Cappadociæ, ex Ponto & Aſia, ex Hieroſolymis, & multi alii Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi: ſubdit Hiſtoria, & referens pluries propter hoc celebratum fuiſſe Concilium, ultimum in eodem loco, Aureliano imperante, habitum dicit, ubi Paulus damnatus eſt ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, eccleſiis Chriſti. Nec ullus magis eluſit confutavitque Paulum, quam Malchion, Presbyter Antiochenus, qui oratoriam artem in Antiochia docuerat. Sed quid antiqua commemoro, cum & tibi notiſſima illa ſint, & noſtri temporis exempla ſufficiant. Qui Piſis & Conſtantiæ audivimus Papiæ vero & Senis etiam vidimus, Epiſcopis conjudicaſſe Presbyteros. Conſtantiæ vero ad electionem Papæ, qua re nihil illic gravius eſt geſtum, qui non Epiſcopi ac ne quidem Presbyteri erant, receptos quosdam fuiſſe, compertum eſt. Sed longius forſitan, quam ratio diſputandi exigeret, ſum digreſ-

ſus. Revertamur ad inſtitutum. Eſtne aliud, cur translatum decretis veſtris Concilium putes? NICOL. Quaſi evictus ſim, ita loqueris; mihi non poteſt perſuaderi, Decretum noſtrum non fuiſſe validum, quod legati Apoſtolici & alii viri graves in Seſſione publica conſecrarunt. STEPH. De illo Decreto dicis, quod poſtea falſo bullatum reperimus? NIC. De illo ipſo: nec enim falſitati me alligo, quam minime probo, licet Decreto illo me juvem: bullatio enim nec dedit, nec abſtulit vim; non Decreto ſed perſonæ detraxit falſitas. STEPH. Immo etiam Decreto. NIC. Qui? STEPH. Contendebant Patres de Bulla, vosque veſtrum, & nos plumbare noſtrum volebamus: pacis media reperta ſunt, ut Cardinali ſancti Petri, Archiepiſcopo Panormitano, & Burgenſi Antiſtiti, bullandi facultas daretur ex ambobus quod mallent. Illi, re inter ſe diſcuſſa, noſtrum maluerunt plumbare, quorum arbitrium decreto veſtro quantum detraxerit, ipſe judica. NICOL. Scis, quod ſolum de plumbo, facultas in arbitrio fuit; illorum negotio principaliter cautum fuit, ne quod exinde præjudicium fieret. Itaque reputo ego decretum etiam non bullatum: non enim ex ſerico, plumbo & pergameno, ſed ex verbis & ſententiis conſtant Decreta. STEPH. Quid ſi fateor tibi, fuiſſe illud Decretum etiam majoris partis & rite ac canonice factum, an ex illo translatum Concilium reris? NIC. Quidni rear? STEPH. Haud ſic eſt; perlege Decretum. Eliguntur illic, quæ prædiximus loca, ut, venientibus Græcis, ad unum ex illis Concilium tranſeat: interea tamen usque ad illorum adventum permanere Concilium Baſileæ mandatur. Verumne ego prædico? NIC. Ut res eſt. STEPH. Audi ergo, quæ infero. Vos Concilium ante adventum Græcorum Ferrariæ inchoaſtis, illucque, ut ad legitimum Concilium accedentes, ſedentibus nobis Baſileæ, ſchiſma in Eccleſia introduxiſtis; cumque in ejus principio ſchismaticorum conventiculum illud fuerit, certum eſt, quia nec per Græcos hæreticos; nec per Eugenium, jam ſuſpenſum; nec per nos, qui illuc non venimus, fieri Concilium legitimum ex conciliabulo illo potuit: nec Principes ibi univerſalem ſynodum reputarunt. Quare, cum oportuit juxta Decretum veſtrum ſedere Concilium Baſileæ, donec Græci Latinum portum appuliſſent, vosque ante ex Baſilea receſſeritis: conſtat, vos non ſervaſſe Decretum veſtrum, remanſiſſeque nihilominus Concilium Baſileæ; cujus factam translationem nullam exinde reperio. At tuum Decretum quam inane ſit, quam ridiculum, quam nullum, ſatis tibi ex antedictis poteſt liquere; ſatis miror, te virum doctum, & in paucis peritum, talibus nugis involvi; cum & Decretum illud tuum, non ſolum a duabus partibus non factum, liqueat; ſed neque ab una ex tribus totius Concilii partibus: cum ſcias, in generalibus ſynodis, quæ de majore parte dicuntur, non eſſe his locum; cum ſolemnitates, in transferendo requiſitæ, omiſiſſe noſcantur; cum Decretum, neque in ambone, ut moris eſt, lectum, neque auditum, & per arbitros fuerit a bullatione rejectum; cum ſchedulam,

qua

qua te munis, legati veſtri reſpuerint, & major pars veſtræ partis ab ea reſilierit; cum nulla in ſchedula de partibus fiat mentio, ſed ſolum determinationem quandam Concilii fuiſſe conſtet, ad excitandum Avinionenſes; cum obligatio, illi contraria ſchedulæ, præceſiſſet, quæ Concilium adhuc latebat; cum jam Avinionenſes pecuniæ partem dediſſent; cum vos Decretum veſtrum minime ſervaveritis. Præterea ſi ſic agis, ut Concilium tuo Decreto translatum dicas, non ſolum Patribus, qui modo Concilium faciunt, injurius es; ſed omnibus fere Chriſtianæ religionis Principibus derogas, quorum nuncii usque ad tempus ſævientis peſtis in Concilio perſeverarunt, eſſeque illud Baſileæ verum & legitimum continuo recognoverant. Cave, ne iſtos arguas, dum nos increpas. Scriptum a Cicerone non neſcis, quia tutum non eſt in eos dicere, vel ſcribere, qui poſſunt proſcribere. NICOL. Nimium multis jaculis confoſſus ſum; aut nimis multa es eloquentia; aut verum non eſt, quod defendere inſtitueram. Nihil jam mihi reſtat, quo meæ partis Decretum tueri ſciam. Itaque do victam manum, niſi mihi campum in aliud certamen ſervas. Scis moris eſſe gladiatorum, ut victi lancea, gladio pugnent, aut ſecuri. STEPH. Non ſum adeo gloriabundus, ut victoriam me habere putem, antequam omnem devincam hoſtem. Cæſaris mihi animus eſt, cui nihil omnino videbatur factum, cum ſupereſſet ad agendum aliquid. Itaque faciam tibi, quamvis pugnandi copiam. Quod vero victum te primo congreſſu fateris, placitum mihi admodum eſt, verumque eſt, quod exiſtimas, non fuiſſe verum, quod defendendum aſſumſeras. In argumentis tamen meis, ſi quid eloquentiæ mixtum fuit, id non mihi, ſed loco, in quo conſedimus, prope Baſileam adſcribito; tecum namque dum loquor, neſcio, quo numine interim occulto incenſus ſum, ut verum putem, quod antiquitas dicebat, locis quibusque ſuum genium eſſe.

*Explicit Dialogus ſextus.*

*Incipit Dialogus ſeptimus.* (1)

MARTINUS. Magno metu liberavit me hodie Stephanus. Utinam audiſſent eum, qui Nurnbergæ futuri ſunt omnes. Magna hujus viri eloquentia eſt, ſed magna etiam ætatis noſtræ vitia ſunt. AENEAS. Quæ vitia? M. Rogas? Videsne oratoriam artem jacere contemtam, nullique prorſus honori eſſe? Quis hoc non damnet ſæculum? Quis mores ferat æquo animo præſentes? Oratores, ſi quando mittuntur, non qui orare ſciant, ſed qui arare, mittuntur; ideoque nec perſuadent aliquid, nec mentes eorum, ad quos pergunt, flectere ſciunt. Reverſi autem, quam ſtomachoſi ſint, quam etiam ambitioſi, tu vides. Sic, inquiunt, ſic dixi, ſic feci, ſic me habui. Dies receſſus, itineris incommoda, quotiens potarunt, quotiens pranſitarunt, quaſi ad focum anus, commemorant; vix quoque quotiens minctum, aut ructatum ab eis ſit, ne dicam, quod eſt ultimum, ſilent. At Venulus, quem Latinus ad Diomedem miſerat, pauca de his elocutus, totum orationis corpus in rela-

(1. Cod. Can. *Septimus Dialogus inter Martinum. & Aeneam.*

relatione reſponſi habiti conſumſit; ſicut in undecimo Virgilium ſcis referre : hi autem reſponſum datum aut tacent, aut corrumpunt. Sed non conſentit his dementiis Stephanus; ipſus verus elegans eſt, remque ut decet breviter & dilucide narrans, & (1) argumenta ſuis locis diſponens, officium non Jurisconſulti ſolum, ſed oratoris implevit; huncque ego mitti legatum vellem; non hos, qui ſibi ſolum ſciunt. Fieri enim poteſt, ſicut Cicero dicit, ut recte quis ſentiat, & id, quod ſentit, recte eloqui non poſſit: quos quidem (2) mitti in legationem præſtat, quam elingues & mutos. AEN. Certum eſt, quod dicis; Theologi enim, & hi, quos Doctores jurium vocant, quibus ignota ſunt Croacis & Thiſiæ inventa, tam apti legationibus ſunt obeundis, quam ſellis porci gerendis: hinc ego ſæpe ex congregationibus tædio affectus receſſi. Jamque non magis ad relationes audiendas lætus perſto, quam ſi in piſtrino molam. Sed regnat ubique ignorantia. Jam non ultima ſæcula ſunt, quæ vivimus; ſed ſæculorum fex: nulla modo in pretio ars eſt, niſi quæ captu facilis, & utilis quæſtu eſt. Rhetoricam autem, quoniam ad ejus perfectionem comprehendendam opus eſt rerum plurimarum ſcientia, ſine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda eſt, omnes (3) fere aſſequi deſperant; & id, quod neſciunt, aſtu contemnunt. Sed quam iſti a vero judicio procul abſunt, quam errant, quam deſipiunt; namque, ut ait præcipuus Orator, & illum ſecutus ad Hieronymum Damaſus, cum idcirco homines a beſtiis, differamus, quod loqui poſſumus; qua laude ille dignus eſt, qui in eo cæteros ſuperat, in quo homines beſtias antecellunt? Cæterum mitto hæc; quid obſecro eſt, quod de genio refert Stephanus? Nunc illud Virgilianum cupio noſſe: parentante namque ad buſtum Anchiſæ patris Aenea, lubricum anguem ex abditis exiſſe, libatisque dapibus, ſucceſſiſſe rurſus tumulo, conſtat. Exinde ſubjungitur:

*Incertus geniumne loci, famulumue parentis*
*Eſſe putet.*

quem hic Virgilio ſenſum vis dari? MART. Dignum eſt cognitu, quod expoſcis. Sed quid tu ibi Virgilium putas velle, cum ait:

*Quisque ſuos patimur manes.*

AEN. Nempe, quod omnes poſt obitum ſupplicia juſta, quæ ſunt apud manes, ſubire oportet; ut ſi quis dicat: judicium patimur; id eſt, ea, quæ continentur in judicio. MART. Non ſic videtur Servio. AEN. Qui ergo? Nos, inquit ipſe, cum naſcimur, duos genios ſortimur, unus eſt, qui hortatur ad bona; alius, qui hortatur ad mala: nec incongrue dicuntur genii. Quicunque enim hominum genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur, quibus aſſiſtentibus poſt mortem, aut aſſumimur in vitam meliorem, aut condemnamur in deteriorem. Manes ergo genios dicunt, quos cum vita ſortimur. AEN. At quomodo fieri poteſt, ut numinum voluntate prava cu-

(1) Cod. Can. omittit &
(2) Cod. Can. addit *tamen.*
(3) Cod. Can. *vere.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cupiamus, quibus nihil placere constat mali? Genii quidem, ut mihi videris sentire, numina sunt, quorum alteri officium das minime liberale. MART. Idem quoque apud nos est; qui Angelos lucis & tenebrarum dicimus. Genium præterea, Deum naturalem, qui omnium rerum (1) gubernationibus præest, quidam volunt: unde apud Terentium in Phormione, suum defraudare genium Getam, inquit Dauus, voluptati quoque cum damus operam, indulgere genio dicimur. Sed nec aliquem sine genio locum esse voluit, ut Stephanus dicit, antiquitas. Inde illud: *Incertus geniumne loci;* quod autem *famulumne parentis*, subjungitur, ab antiqua etiam consuetudine tractum est. Mos enim majoribus fuit, ut quotiens Reges morerentur, cum his dilecti (2) equi, vel servi, & una de uxoribus carior incenderetur: inter quas de hoc ipso magna erat contentio, quod poni in rogum cuilibet desiderium erat cum viro. Genium ergo, id est, famulum suum cum Anchise sepultum, accipere possumus. AEN. Ego vero altiorem his verbis inesse arbitror sensum. MART. Quam prægnantia sunt Virgilii dicta, pluresque habere sententias, clarum est. AEN. Effectum Deum post mortem Anchisam hæc verba ostendunt. Namque, ut singula numina superiora potestates inferiores habent ministras; sicuti Venus Adonem, Mater Deorum Achim, Minerva Triptolemum, Diana Virbium, Bacchus Marsiam; sic & Anchises aliquem, cujus nondum nomen sciret. MART. Mane! Etiam aliud sub his verbis secretum latet. Deprehendit Pythagoras ex spina hominis putrefacta, medullisque renum, anguem nasci, cui nomen Hibena est, quod in fine præclari operis scriptum ab Ovidio non te fugit: anguem illum Virgilius, sicuti existimo, effectum vult genium.

*Explicit Dialogus septimus.*
*Incipit Dialogus octavus.* (3)

NICOL. Marcum Marcellum, quo adversus Hanibalem Imperatore usi Romani sunt, sæpe victum primo certamine, instauraſſe prælio vires, viciſſeque secundo in luctamine, scribit Livius, eadem modo spes est. Non potui ostendere transtulisse legitime se Concilium: translatum tamen esse ab alio Canonice, probaturum me non despero. Nam etsi nostris Decretis id non est; Eugenii tamen litteris est factum. STEPH. Quænam sunt Eugenii litteræ? NIC. Quibus translatum in Ferrariam Basilienſe Concilium dicitur. STEPH. Robur illis ineſſe litteris putas? NIC. Maximum. STEPH. At Universitas tua fatetur, absque consensu suo non posse transferri Concilium: hic vero non consensisse Patres jam ostendimus. NIC. Nihil ad me quid universitas dicat. STEPH. Possene Papam suo ex arbitrio transferre Concilium existimas, vel dissolvere? NIC. Existimo. STEPH. Quomodo ad primam dissolutionem, sive illa translatio fuit, respondes, quam tuus Euge-

(1) Cod. Can. omittit *rerum.*
(2) Cod. Can. *delecti.*
(3) Cod. Can. *Octavus Dialogus.*

genius confeſſus eſt, non potuiſſe ſe facere, cui nec Principes, nec ipſum aſſentiri Concilium voluit? NIC. Non quid factum eſt, ſed quid fieri debuit, inſpicio. STEPH. Ad rationes igitur veniendum eſt: poteſtas Concilii generalis aut major, aut minor eſt, quam Papæ, aut illi æqualis; ſi æqualis, par in parem non habet imperium; ſi major, multo minus: inferiorem autem eſſe tu proba. NIC. Lubet id quidem, neque hic patrocinio mihi eſt cujusquam opus. Scis, quia per Petrum Romani Pontifices deſignantur; Petro autem dictum eſt: *Tu vocaberis Kephas*, quod caput ſignificat; &, *tibi dabo claves regni cælorum*: &, *quodcunque ligaveris ſuper terram, ligatum erit & in cælo*: &, *ego rogavi pro te, Petre, ut non dificiat fides tua*: &, *paſce oves meas*: &, *duc in altum rete*: &, *noli timere, jam ex hoc eris homines capiens*: &, *quia Petrus traxit ad terram rete plenum piſcibus magnis*. &, quod ſolus Petrus in tutelam Chriſti emiſit gladium: quibus in verbis ſummorum Pontificum ſupremam oſtendi auctoritatem quis non videt? STEPH. Scis, quid volo ex his colligi verbis. NIC. Niſi prius dixeris, neſcio. STEPH. Litteræ Martini exſtant, Conſtantienſi approbante Concilio, emiſſæ, quibus errores Johannis Wiklef condemnantur, inter quos ille unus eſt: non eſſe de neceſſitate ſalutis credere *Romanam Eccleſiam ſupremam inter alias*. Subjicit Martinus: error, ſi per Romanam eccleſiam intelligitur univerſalis Eccleſia, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. Fateor itaque tibi, Romanum Papam non conjunctim, ſed diviſim, cunctis præeſſe Chriſticolis. Præterea, quod dicis: *Tibi dabo claves regni cælorum*, ſcis, non Petro ſolum, ut ſupra diximus, ſed ad totam referri Eccleſiam. Sic & Auguſtino de Agone Chriſtiano videtur. Sic & Ambroſio in principio Paſtoralis, quorum alter: *huic etiam Eccleſiæ*, inquit, *claves regni cælorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt*. Alter, *quas oves*, ait, *& quem gregem, non ſolus tunc ſuſcepit beatus Apoſtolus Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & nos cum illo eas ſuſcepimus omnes*. Atque uno ut verbo omnibus tuis auctoritatibus ſatisfaciam, Auguſtinus in ſermone natalis Petri & Pauli: *Dominus Jeſus*, inquit, *diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam ſicut noſcis elegit, quos fratres appellavit; inter hos pene ubique Petrus ſolus totius Eccleſiæ geſtabat perſonam*. Quæ igitur de Petro dicis, ego ad Eccleſiam omnia refero, ad quam ipſum Petrum remiſſum eſſe, tamquam inferiorem, Evangelica lectio demonſtrat, cum in correptione fraterna commonetur, Eccleſiæ dicere, niſi proficiat. Transeo verba illa: *Ite docete omnes gentes: Ego vobiſcum ſum usque ad conſummationem ſæculi: qui vos audit me audit: Vobis eſt datum noſſe miſterium regni Dei*. Et, *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio ſum*: &, *omnia quæcumque dixerint vobis facite*: &, *venite poſt me faciam vos piſcatores hominum*: &, *Dei adjutores ſumus*: &, *qui nos fecit idoneos miniſtros novi teſtamenti*: &, *quæcumque ligaveritis ſuper terram erunt ligata & in cælis*: &, *vos eſtis ſal terræ*: &, cætera iſtiusmodi, qui-

quibus Ecclesiæ auctoritas exaltatur. NIC. De Concilio, non de Ecclesia disputamus. STEPH. Quod Ecclesia apud Græcos, idem est apud Romanos Concilium; utrumque ad multitudinem spectat. Hinc Nicænum Concilium, cum aliquos excommunicasset, *hos*, inquit, *anathematizat sancta Catholica & Apostolica Ecclesia*: Hinc & Literæ Martini, quas paulo ante retuli, interrogari volunt suspectos de hæresi, an credant, quodlibet generale Concilium universalem Ecclesiam repræsentare? ut, nisi id credat, hæreticus censeatur. NIC. At etiam Papa, sicuti fassum te audio, Ecclesiam repræsentat. STEPH. Non ego; Concilium tamen proprius; hinc Concilii Constantiensis decretum est, ubi declaratur, quod ipsa synodus, in spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem a Christo immediate habet; cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, ad exstirpationem schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite & in membris. Ex his habeo Papam subjectum esse Concilio generali, quod plus est, quam nostra disputatio exigat, cui sat erat, parem utriusque potestatem ostendisse, ut transferri, aut dissolvi Concilium ab Eugenio non potuerit. NICOL. Auctoritatem generalis Concilii ex Conciliorum exaltas testimoniis: repellitur tamen in omni causa, nisi adversus se dicat, testis familiaris. Si sic pergis, habeo etiam ego similia Romanorum Pontificum, qui

A suam causam non relinquunt indefensam; sunt, qui facta subditorum a Papa judicari; Papam vero non nisi a Deo, qui sedis Romanæ Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio, asserant. Anacleti sententia est, ejectionem summorum Pontificum sibi Dominum reservasse. *Alius nemo*, inquit, *judicat primam sedem:* &, *oves pastorem suum non accusent.* Atque, ut alia præteream, Bonifacii Papæ Martyris hæc verba sunt: *Si Papa suæ & fraternæ*

B *salutis oblitus, innumerabiles populos catervatim secum ducat primo mancipio Gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, hujus culpas istic redarguere præsumit mortalium nullus; quia cunctos ipse judicaturus a nemine est judicandus.* Ex cujus dictis aliqua referam, ne verbosiorem me esse putes, quam ratio exigat. His ex dictis liquet: Papam præter Deum non habere superiorem, & ipsum omnibus supereesse: timeo tamen ne testem in causa sua refutes. Sed si admittis Concilia pro Conciliis, Papas etiam pro Papis admittas, volo. STEPH. Non

C iniquum petis; quamvis mundius sit Concilii judicium. Itaque faciam, si tibi videtur, sic: auctoritatibus primum tuorum Pontificum respondebo; exinde alios, qui pro me loquuntur, Pontifices adducam; post Conciliorum antiquorum exempla & dicta; ultimo vero, rationibus agemus. NIC. Nihil volo aliud, ultimum tamen magis placebit, quod homine libero etiam dignius est: semper enim apud talem plus ratio quam actoritas valuit. STEPH. Dubium est id apud me quidem: illud tamen mihi ex Augustino cognitum est, ad

diſcendum homines dupliciter duci, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior eſt. Et quanquam bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur eſſe ſalubrior; ratio tamen aptior eruditis eſt. Verumque illud eſt, quod omnibus, bona magna & occulta diſcere cupientibus, nihil aperiat niſi auctoritas januam, quam quisque ingreſſus, ſine ulla dubitatione, vitæ optimæ præcepta ſectatur; per quæ, cum docilis factus fuerit, tum demum diſcet, & quanta ratione prædita ſunt ea ipſa, quæ ſequutus eſt ante rationem, & quæ ſit ipſa ratio, quam poſt auctoritatis cunabula firmius amplexus eſt. NIC. Si ita eſt, ut prædicis, cur dubium facit, an pluris ſit ratio? ejusdem Auguſtini in libro de vera religione hæc verba ſunt: *Auctoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit.* Et iterum: *rationi purgationis animæ, quæ ad perſpicuam veritatem pervenit, nullo modo auctoritas humana præponitur.* Sic ergo ratio vincit ſemper. STEPH. Chriſtianum hominem ante omnia humilem eſſe oportet; nihil ſibi arroget, nihil ſe efferat, nunquam ad illam ſe perfectionem evectum exiſtimet, ut judicium ſuum ſcripturæ ſacræ præferat. Si quid illic reperit, quod rationi non videatur conſentire, rationem potius ſuam, quam ſcripturam ſanctam accuſet. NIC. Intelligo, quo pergis; ad auctoritatem vis confugere, quia nihil habes in rationibus præſidii. STEPH. Nec ratio mihi, nec auctoritas deſiderabitur, ſed tibi, ut ſpero, utrumque deficiet. At ne fugias, inſtauro jam certamen. Ex omnibus Pontificibus tuis acrior Bonifacius, loquaciorque videtur; hunc ego ſi quieſcere faciam, & Anacletus ſilebit, & Symmachus, & alii. Scis, quod in Actis Apoſtolorum increpitus Petrus, cur introiſſet ad gentes, præputium habentes, redargutionem humiliter ferens, rationem facti ſui reddidit; memor, quia etiam Magiſter ejus Jeſus ſcribis & Phariſæis dixiſſet: *Quis veſtrum arguet me de peccato?* ut qui paratus erat innocentiam ſuam oſtendere. Scis etiam, Paulum reſtitiſſe Petro in faciem, quod ad veritatem Evangelii non ambularet, quo in tempore, quia confirmatus erat Petrus, ex ſolo veniali peccato redargutus ſuit. Nec tunc reſpondit: nemo judicat primam ſedem. Sixtus inſuper, accuſante Baſſo apud ſanctam Synodum, magna cum examinatione (1) ſe purgavit, nec ejectionem ſummorum Pontificum reſervatam Domino replicavit. Damaſus quoque de adulterio infamatus, duobus & quadraginta Epiſcopis ſe purgavit, nec oves paſtorem ſuum non accuſent dixit: poſſunt tamen tuorum Pontificum dicta intelligi, ſicuti & dictum Conſtantini in Nicæno Concilio, ubi ait: cauſſas ſacerdotum Deo eſſe reſervatas, quas tamen a Papa, qui Chriſti vicarius, & a Conciliis, in quibus ſpiritus ſanctus dijudicat, corrigi punirique conſtat. Cum igitur ajunt, Papam a nemine judicari, non tamen excluditur Concilii generalis judicium, ubi Deus magis judicat, quam homines. Ideoque in Actis Apoſtolorum dicitur: *viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis.* Sic-

(1) Sic in Mſ. legendum fortaſſe: *exinanitione.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sicque nihil eſt, quod ex Bonifacio tantopere habere te jactes. NIC. At quando Symmachi mentionem incidimus, hiſtoria ejus contraria eſt reſponſo tuo. Patres enim in Synodo, contra Symmachum congregatos, dixiſſe conſtat: *Symmachus, quantum ad homines reſpicit, ſit immunis, cujus cauſſam totam Dei judicio reſervamus.* STEPH. Plus habeo ex hac re, quam putes; primum namque non conſtat, Synodum illam fuiſſe univerſalem, & tamen de Papa judicabat. Quod autem judicaverit, clare ex eo liquet, quia loquitur per verbum imperativum, *ſit immunis.* Quod niſi feciſſet, Synodus non fuiſſet. Quod autem totam cauſſam Dei judicio reſervat, id eſt de occultis intelligendum criminibus, quæ probata non erant. NICOL. Sed cur de Marcellino, urbis Romæ Epiſcopo, qui delatus de hæreſi, quod idolis ſacrificaſſet, noluit Synodus judicare, dicens illi: *tuo ore judica cauſſam tuam; prima ſedes non judicatur a quoquam?* STEPH. Ut efficacior eſſet ſententia, ab eo in ſe lata, quam ab alio. NIC. Ratio tamen non convenit; *prima ſedes non judicatur a quoquam.* STEPH. Vis, quod eſt, dicam? NIC. Nihil poſtulo aliud. STEPH. Hæc quoque non fuit Synodus generalis; quod ſi fuiſſet, etiam ex ſententia tui Bonifacii oportebat judicare, qui errorem fidei poſſe in Papa corrigi, non diffitetur. Marcellinus autem de fide impetebatur ut idololatra, quo nihil gravius in Pontifice eſſe poterat. Sed viſne oſtendam Romanos Pontifices cauſſam noſtram agere? NIC. Et volo, & poſtulo; ea tamen lege, ut prius finias, quam ſuprema tempeſtas emergat.

*Dialogus nonus.* (1)

AENEAS. Gratum eſt, quod ad monet Nicolaus; jam enim in occiduum inclinat dies, magnaque noſtris Baſilienſibus occludendarum portarum cautela eſt: neque hic extra muros diverſoria ſunt ad morem Thuſcorum, MART. Nec terra, quamvis gramine veſtita, ſuaves exbibet ſomnos; Hünygen tamen revertar potius, quam diſputationis hujus exitum perdam. Interea vero, quod alter ramuſculum, neſcio quem, incidit, & alter ſubſilet, quid eſt, quod ille ait: *ſuprema tempeſtas.* AEN. Antiquum eſt, nec omnibus cognitum, quod expoſcis; dierum alterum naturalem, civilem alterum majores noſtri fecerunt: qui naturalis eſt, præſentia ſolis terminatur; civilem quatuor & viginti horarum eſſe voluerunt. Ille apud omnes oriente incipit, & occidente ſole finitur; hic apud alios aliter habetur. Athenienſes, ut Varro ſcripſit, a ſolis occaſu, ad ſolem iterum occidentem; Babylonii a ſole exorto, ad eundem rurſus exortum; umbri vero a meridie ad inſequentem meridiem, omne illud medium tempus unum diem dixere. Populus autem Romanus dies ſingulos a media nocte, ad mediam proximam annumerare conſuevit. MART. Exploratum, quod dicis, eſt; nam Tribuni plebis, ut inquit Macrobius, quos nullum diem integrum abeſſe Roma licebat, cum poſt mediam noctem proficiſcerentur, & poſt primam facem ante mediam noctem reverterentur,



(1) Cod. Can. *Nonus Dialogus inter Aeneam & Martinum.*

tur, non videbantur abfuiſſe diem; quoniam ante horam noctis ſextam regreſſi, partem aliquam illius in urbe conſumſerint: hoc tamen ab eo, quod quæſivi, longe abeſt. AENEAS. Diei partes explicaturum, quomodo intelligeretur dies, exponere me primitus oportebat. Suprema enim tempeſtas pars diei eſt, hoc eſt, noviſſimum lucis tempus; ſicut expreſſum eſſe in XII. tabulis, ſcribit Macrobius, quarum verba ſunt: *Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* MART. Quænam aliæ partes diei ſunt? AEN. Primum tempus diei dicitur mediæ noctis inclinatio; deinde gallicinium; inde conticinium, cum & galli conticeſcunt, & homines etiam quieſcunt: exinde diluculum, cum incipit dignoſci dies; inde mane cum dies clarus eſt: poſt de mane ad meridiem; inde, ut ſupra, vocatur tempus occiduum & mox ſuprema tempeſtas; deinde veſpera, mox prima fax, ſubſequenter concubia, & abinde intempeſta nox, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Hæc eſt diei civilis a Romanis obſervata diviſio. MART. Perpulchrum eſt iſta noſſe, quamvis pleraque ab uſu receſſerint: hæ tamen diei partes ſuis nominibus ſe inſinuant, præter mane & veſpera, quorum ſignificatum non plane intelligo, nec, unde veniant, ſcio. AENEAS. Mane, aut ex eo dictum eſt, quod ab inferioribus, id eſt, a manibus exordium lucis emergat; aut, quod Macrobio videtur, verius ab eo, cujus contrarium immane eſt, ut immanis bellua & immane facinus, ut ſit mane idem, quod bonum. Veſpera vero, a Græcis eſt tractum, qui ſtellam quandam occidentalem Heſperum dicunt. Unde non ſolum Hiſpania, quod occaſui ſit ſubjecta, ſed Italia quoque apud ipſos Heſperia nominatur. MART. Priusquam Stephanus incipiat, paucis te volo: quatuor poſuiſti principia dierum; cui tamen magis aſſentias non dixiſti, niſi quia Romanos tuos ſequi potius videris, quos ultimo nominaſti, tanquam in illorum opinione quieſcas. AEN. Non me hercule habes. Uſus namque ille Romanorum ab Italia diſceſſit, jamque in Germania & Galliis obſervatur, ubi dies bifariam diviſus, a medio noctis & diei medio initium XII. horarum habet. Athenienſium norma ad Italos convolavit, qui nunc XXIV. horarum, quibus civilis continetur dies, ab occaſu ſolis enumerare incipiunt primam, nec ſine ratione: nam cum diei duæ potiſſimæ partes ſint, lucis altera, tenebrarum altera; cur lucem, quæ dignior eſt, non prætulerunt? AEN. Secuti ſunt Athenienſes naturæ ordinem, quæ prius tenebras, quam lucem produxit; ſive ex nihilo creatum mundum, ſive ex illa rudi materia, quam dixere chaos, factum inſtes: hinc & fabulæ, quæ veritati ſæpe alludunt, prius Dianam, quæ nocti, quam Phœbum, qui diei præeſt, genitum dicunt. MART. Expedi hanc fabulam. AEN. Eeo giganti duæ fuerunt filiæ admodum pulchræ; quarum alteram cum vitiaſſet Jupiter, Latonam natu majorem, alteri quoque Aſteriæ vim inferre voluit, quæ verti in avem a diis optans, in coturnicem mutata, ac transfretare nixa, a Jove afflata & in lapidem verſa, tam diu ſub fluctibus latuit, quousque ſupplicante. Latona, levata

ta in altum ſuperferri aquis cœpit. Exin cum Pythonis a Junone miſſi, perſecutionem, omnibus terris, Latona pateretur, a ſorore excepta eſt, ibique geminam Jovi ſobolem peperit; habetque fabula, natam prius in lucem Dianam, parturienti Apollinem matri, obſtetricis officium præbuiſſe; hinc licet virgo Diana ſit, tamen a parturientibus invocatur, ut eſt illud Terentianum: *Juno Lucina fer opem.* Quid aliud tu ſignificari ex eo exiſtimas, quod natu grandior Diana, quam Apollo ſit, niſi, quod noctem conſtet primo fuiſſe, cujus inſtrumentum eſt Luna, quæ per Dianam intelligitur; poſt diem, quem Sol efficit, qui eſt Apollo. Ad ſacras præterea ſi confugis ſcripturas, lucem creatam invenies, tenebras autem ſuper faciem abyſſi ante lucis creationem fuiſſe. MART. Plurima hic ſciſcitari vellem, niſi Stephanum jam reſumere ſermonem cernerem, quem audire ſatius eſt.

*Dialogus decimus.* (1)

STEPHANUS. Audi jam Nicolae, ſatis diei eſt, & amicus mihi janitor, ſi verborum plus, quam opinio eſt, exciderit. Eugenius, ſi more majorum venerari Concilia voluiſſet, haud hoc diſcordiarum nunc eſſet; ſed neſcio cur Eccleſiæ regimen in tyrannidem ſit verſum, ut eo dementiæ nonnulli proceſſerint, ne vereantur, Romanum Pontificem idem eſſe in Eccleſia, dicere, quod Regem in regno: cum tamen Chriſti illa ſint verba: *Scitis, Principes gentium dominantur eorum, & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos; ſed quicunque voluerit inter vos major fieri, erit veſter miniſter.* Et Petrus Apoſtolus: *non tamquam dominantes in clero*, inquit, *ſed forma facti gregis.* At audiamus jam tandem veteres Romanæ urbis Pontifices: quid Zozimus, *contra ſtatuta Patrum*, inquit, *condere aliquid, vel mutare; nec hujus quidem ſedis poteſt auctoritas?* Statuta autem Patrum nulla alia eſſe poſſunt, quam Decreta Conciliorum. Lucidius id ipſum Gelaſius adſtruit: *Confidimus*, dicens, *quod nullus jam veraciter Chriſtianus ignoret uniuscujusque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, nullam magis exſequi ſedem præ cæteris oportere, quam primam.* NICOL. Non intelligis quod pace tua ſit dictum, Gelaſius quid velit; non enim cuncta, quæ Concilium facit, Decreta ſervanda eſſe a Romanis Pontificibus prædicat, ſed ea tantum, quæ recepta per Eccleſiam conſenſu omnium ſunt, cujusmodi nullum ex veſtris eſt. STEPH. Minus tu, qui per ſomnia & inania pergis phantasmata. Nempe Gelaſii illa eſt mens, uniuscujusque Synodi conſtitutum, ut puta unius Diœceſis, vel unius provinciæ, quod univerſalis Eccelſiæ, id eſt, Concilii generalis probavit aſſenſus, ut ex Toletanis, Bracarenſibus, Carthaginenſibus & aliis Africæ provincialibus Synodis quædam Decreta recepta ſunt a Conciliis univerſalibus, Lateranenſi, Lugdunenſi, Viennenſi, Conſtantienſi, & hoc Baſilienſi; quod ſi alibi, quam in generalibus Conciliis univerſalis Eccleſiæ conſenſum quæris, nec unquam, nec usquam in-

(1) Cod. Can. *Dialogus decimus inter Stephanum & Nicolaum.*

invenies. NIC. Qui alii ſunt Pontifices hujus ſectæ. STEPH. Papæ Damaſi ad Aurelium Archiepiſcopum hæc eſſe verba, in libro Conciliorum ſcribit Iſidorus: *Quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem ſanctos canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter, ut præfixum eſt, aliquid aut proterve agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſponte conſentiunt.* NIC. Non ſe ipſum Damaſus, ſed alios hac ſententia ligat. STEPH. Audi, quæ ſubjungit: *Idcirco norma ſanctorum canonum, qui ſunt ſpiritu Dei & totius mundi reverentia conſecrati, fideliter eſt a nobis ſcienda & diligenter tractanda; ne quando ſanctorum ſtatuta, absque inevitabili neceſſitate, quod abſit, transgrediamur.* NIC. Videndum eſt, quomodo Decreta Concilii ſpiritu Dei & totius mundi reverentia conſecrentur. STEPH. Dictum eſt, Concilium generale univerſalem Eccleſiam repræſentare. Quod univerſalis Eccleſia facit, ſcio, non negas, id mundum facere univerſum: quod autem ſpiritu Dei Decreta Conciliorum fiant, tam Leo, quam etiam Cæleſtinus oſtendit ad Anatolium Conſtantinopolitanum. Illa Nicænorum, ſcribit Leo, canonum per ſpiritum ſanctum ordinata conditio nulla eſt usquam ex parte ſolubilis. Cæleſtini quoque ad Synodum Epheſinam hæc ſunt verba: Spiritus ſancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia non poteſt veritas noſtra mentiri, cujus in Evangelio iſta ſententia eſt: *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Quod cum ita ſit, nam nec huic tam brevi numero Spiritus ſanctus deeſt, quanto magis eum nunc intereſſe credamus, quando in unum convenit turba Sanctorum: ſanctum namque eſt pro debita veneratione collegium. NIC. Niſi quod omnes uno refellere hos verbo inſtitui, interrogarem te, an idem Cæleſtinus fuerit, quem ob dedecus reſignati Pontificatus, Dantes apud inferos inglorium damnatumque reperit; ſed tranſi ad alios. STEPH. Ad Gregorium venio, cujus an vita ſanctior fuerit, an auctoritas major, incertum putes. Hic in regiſtro ſic ait: *Sicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor.* Et infra, *hæc tota devotione amplector, & integerrima approbatione cuſtodio; quia in his, velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis communis norma exiſtit.* Et poſtea: *cunctas vero, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector: quia, dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe, non illa deſtruit, quisquis præſumſerit abſolvere, quos ligant; aut ligare, quos abſolvunt.* Quid vis amplius? Clarusne tibi videtur Gregorius? NIC. De quatuor tantum locutus, de aliis aliter videtur ſentire. STEPH. Conciliorum, quæ rite congregantur, & in libertate celebrantur, eadem ratio eſt omnium. Gregorius, quæ ante ſe fuerunt, de futuris loqui, ſuum non erat: Sciebat tamen & futura eandem habitura eſſe poteſtatem. Ea de re cum ſæpius Conſtantinopolitanum Epiſcopum admonuiſſet, ne ſe univerſalem dice-

diceret, quod Romani eſt; nec proficeret, ſic in regiſtro inquit: *Si in mea correptione deſpicior, reſtat, ut Eccleſiam debeam adhibere.* Sicque pluris Eccleſiæ, quam ſuam auctoritatem facit? nec ibi per Eccleſiam aliud poteſt intelligi, quam Concilium generale. Huic & Nicolaus Papa concordat, qui Lotharium Regem admonens, ut concubinæ ſuæ excommunicatæ, & ab eo repudiatæ, communionem declinet, *quodſi id non egeris*, inquit, *præcave ne hoc ſanctæ Eccleſiæ dicamus.* Quid tibi plus exigis? Satisne Romanorum Pontificum in te armavi? Zozimus, Gelaſius, Damaſus, Leo, Cœleſtinus, Gregorius, Nicolaus, hi omnes adverſus te clamant; tuis te teſtibus retundo. Quid amplius dices?

*Explicit Dialogus decimus.*
*Incipit Dialogus undecimus.* (1)

ÆNEAS. Ante Nicolai reſponſum, non enim in promtu eſt, cupio ſcire, quis ille fuit Lotharius, & quam Stephanus hiſtoriam texit. MART. Merito te amo. ÆNEAS. Quorſum tu iſta? MART. Quia Secretariorum quod eſt proprium facis, & maxime illorum, qui, ut nos ſumus, Apoſtolici eſſe volunt. Etenim cum oporteat Sanctorum oratoris implere vicem, quis illi hiſtoriam eſſe non neceſſariam arbitretur? Quæ, ut Cicero in Oratore inquit, *teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, & nuncia vetuſtatis exiſtit;* in qua, qui deſudant, non, ut quidam apud Juvenalem ajunt, exiſtimandi ſunt *genus ignavum, quod tecto gaudet & umbra*, ſed viri ex paucis commendandi. Et licet officium Secretarii contemtui hodie ſit, laudo te tamen, quod ejus dignitatem obſervas, & artibus, quæ Secretariis conveniunt, ſtudeas. Magnum eſt Secretarii nomen, & magis, quam noſtræ picæ cenſeant, venerandum; isque mea ſententia vere Secretarius eſt, & hoc tam gravi nomine dignus, qui verba eligere, & apte conſtruere ſciat; qui & ſedandarum paſſionum, & excitandarum artem calleat; in cujus ſcriptis lepos, facetiæ, & eruditio, libero digna homine, perluceant; qui omnem antiquitatem, exemplorumque vim teneat; qui legum & Juris Civilis terminos non ignoret; qui denique omnia, quæcunque inciderint, quæ ſint litteris explicanda, compoſite, ornate, memoriter, & prudenter præſto ſit ſcribere. AENEAS. Nihil hic litis habebo tecum; & quidem, ut mihi videtur, nec ullum difficilius cognitu, nec utilius uſu, quam Secretarii officium eſt. Ipſum enim ſolum eſt, quod, ut Turpilium dicere Hieronymus refert de viciſſitudine litterarum, abſentes homines facit præſentes; cujus rei tanta neceſſitas fuit, ut rudes illos Italiæ homines, qui, ut Cicero in Rhetoricis ait, victu ferino vitam agebant, ante cartæ & membranarum uſum, aut in dolatis ex ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutua epiſtolarum alloquia inter ſe miſſitare coegerit: unde & portitores earum, tabellarios; & ſcriptores a libris arborum, librarios vocabant: atque ut uno verbo commoda hujus officii oſtendam, quantum inter præſentes Orator, tantum inter abſentes, Secretarius Reipublicæ prodeſt. Hinc illa Joh. Galeacii, Inſubrum Ducis, laudatiſſima vox, qui, cum



(1) Cod. Can. *Undecimus Dialogus inter Æneam & Martinum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum epiſtolis Colluccii, Secretarii Florentinorum, ſubtrahi ſibi ſocios, ſubditosque videret: *Colluccium ſibi*, fertur dixiſſe, *mille militibus eſſe infeſtiorem:* neque abs re; præſtitit enim Florentinus Colluccii ſtylus, quod Athenienſibus lingua Demoſthenis. Nec Secretarius, uti Juriſta & Medicus, neque ut Theologus, eſt factu facilis. Scis, quid volo. Aſcendit Cathedram legis doctor, nec ipſe eſt, qui loquitur, ſed Azo, Cinnus, Bartholus, Baldus; pro Medico, Avicenna, Gentilis, Forlivias, Hugo: pro Theologo, Thomas, Albertus, Scotus, Lyra. O ſola omnium ſcientiarum illibata Rhetorica, quæ nec hebetibus pates, nec ullum diu honoras immeritum! Tu homines examinas; tu ingenia trutinas; tu vires cujusque expendis: nemo ex te quæſtum habet indoctus. Vah! quid dixi, etiam nos hodie degeneramus. Equidem, ut de me loquar, quantum ab eo ego diſto, ut dici Secretarius debeam! In hac tamen re, niſi moleſte feres, Gabrielis judicium laudabo, apud quem, ſcis, quales Secretarii ſunt: Luſcus, Poggius, Cincius, Laurispa; an illis æquiparandi erimus nos? mihi ego, neque tantum arrogo, neque poſtulo. Vos autem Gallici, ut pace tua ſit dictum, neque hujus officii dignitatem, nec uſum cognoſcitis, quo in vitio cum Germanis eſtis, qui tanquam unum ſit, de jure reſpondere, epiſtolasque dictare, non ſcientiam, ſed gradum, & plerumque magnas beſtias huic muneri alligatis: in qua re, quanto plus ſapiant Itali, ipſæ epiſtolæ indicio ſunt. Quid tibi, ut cætera omittam, viſus eſt ille Gabrielis *Moyſes*, quomodo exorditur, quomodo narrat, quomodo ſuadet, quomodo confutat; quod ſi illa cauſſa fuiſſet juſta, quis noſtrum illi potuiſſet ire contrarius? Sed cur ſic digredimur? quin tu de Lothario, quod poſtulatum eſt, abſolvis. MART. Hora eſt, nec mihi tædio erit pauca de noſtris Francis recenſere, qui homini tibi Italico forſitan, ut remoti, ſic etiam ignoti exiſtunt. AEN. Scio eandem eſſe Francis, quæ eſt Romanis, originem; idque rumore non certo: tibi notior, ut puto, res eſt, libenterque abs te diſcam, incipe. MART. Longa eſt narratio, longæ ambages, ſed ſumma ſequar veſtigia rerum. Troja everſa, incenſoque Ilio, ſicuti certi auctores ſunt, ex his, qui flamma ſuperfuerunt, quidam, in Scythia ſedibus poſitis, Sicambri appellati ſunt; ubi creſcente Romano imperio, & orbe ſub jugo Cæſarum poſito, diu Romanis parentes legibus inglorii permanſerunt: donec a Valentiniano Cæſare, ob teſtimonium virtutis propriæ, libertati donati Francorum nomen adepti ſunt. AENEAS. Quisnam hic Valentinianus fuit, vel quas ob virtutes Franci libertatem meruerunt? MART. Audies, ſi potis es tacere. Valentinianus is fuit, qui Ambroſium miſit Mediolanum, & cum Theodoſio ſocero, & cum Marciano poſtea imperavit. Cujus tempore magna Chalcedonenſis Synodus triginta & ſexcentorum Sacerdotum adverſus Eutychen & Dioſcorum celebrata fuit. Franci vero idcirco libertate donati ſunt, quod in bello illo memorabili, quod cum Atila, Hunnorum Rege, Valentinianus Imperator, & Theodoricus Gothorum Princeps geſſere, ubi centum & ſexaginta quinque

que (1) millia hominum cum ipso Theodorico cæsa dicuntur ab Aetio patricio Romano, in auxilium accersiti, magnum momentum victoriæ præstiterunt. AENEAS. Quid postea? MART. Quid? finito tempore libertatis, quod in decennium fuerat, Franci, ut assolent, libertate effrenes, repetentibus Romanis tributum resistere audentes, victi armis, plurimisque cum Rege Priamo desideratis, cum Antenore, qui cæteris dignitate præstabat, in partibus Germaniæ lapsi, circa Thuringiam consederunt. Illic Marcomedem (2) & Simonem, Priami & Antenoris filios, Duces habuere; quibus defunctis Marchomedis filium, nomine Pharamundum, Regem sibi creaverunt; cui Clodius crinitus succedens, Francosque trans Rhenum ducens, Agrippinam, Treverim, Suessonam, Tornacum, Cameracum, Aurelianum, Remos, ac pene totam Galliam in deditionem recipiens, Romanos provincia expulit; sibique ab Aquitania in Baioariam usque propagavit imperium. Huic Merovæus filius successit; Merovæo Hildericus: cui libidinose ac flagitiose regnanti & a suis pulso, Ægydium Romanum substituerunt. Sed cum Hilderico plus virtutis ignominiosa ejectio, quam Ægydio glorioſa sublimatio præstaret, post annum octavum rediens Hildericus, Agrippinam recepit, ejectisque inde Romanis, ab incolatu Francorum, urbem Coloniam dici voluit. Post Ægydium filius ejus Sagrius in Suessona regnavit. Hilderico Clodovæus succedens, primus Francorum omnium Christianus a beato Remigio baptizatus Sagrium occidit; Romanos Gallia excedere coegit; Alaricum interfecit; Alemannos & Gothos subegit. Huic defuncto Lotharius cum tribus fratribus superstes, regnum quadrifariam divisit. AEN. Male ergo successit regno; Regibus namque primogenitis tantum, aut est, aut esse debet jus succedendi. MART. Immo pessime. Post Lotharium namque usque ad Dagobertum, quem Arnulfus *Major Domus Regiæ* educavit, diviso inter filios filiorumque filios imperio, confuse regnatum est. Exin vero summa rerum ad Dagobertum pervenit, qui, nulla re glorioſe gesta, nisi quod pacificum regnum possedit, mortuus, Clodovæo secundo, cum jam Francorum fines ab Hispania in Pannoniam protenderentur, reliquit imperium. Hujus tempore *Majores Domus*, quod apud illos præclari & ampli officii nomen fuit, administrare regnum cœpere; Regibus nomen dumtaxat & diadema ferentibus: primusque ex *Majoribus Domus*, qui regnum gubernaverit, Pipinus Angisi filius fuit. Interea Clodovæo mortuo, Dagobertus succedit; Pipino filius ejus Carolus primus, qui septem & viginti annos regnum feliciter gubernans, Regifridum regno insultantem multis ac gravibus bellis compressit; Boioariam rebellantem perdomuit; Sueviam cum Duce sub jugum misit; Gasconiam & Aquitaniam revicit, in Saxonia & Frisia fortia bella gessit. Saracenorum, qui cum liberis & uxoribus Aquitaniæ fines ingressi erant, LXXXV. millia (3) fudit; Eudonem, in Gasconia novos motus cientem, occidit. Saracenos

(1) Cod. Can. *omittit quinque.*
(2) Cod. Can. *Marchomedis.*
(3) Cod. Can. *CCCLXXXV. millia.*

cenos, denuo Galliam (1) infeſtantes, delevit. Nec, ſi noſtros evolvis Annales, Francorum quempiam reperies, huic rerum geſtarum gloria comparandum. Is diem functus tres liberos reliquit: Carolomannum, Pipinum, Griphonem; ſed hic cum infeſtus fratribus eſſet, bello victus privatusque dominatu eſt, factaque inter Carolomannum & Pipinum diviſione, illi Alamania, iſti Gallia obvenit. Carolomanno vero Monachorum in Italia vitam & habitum ſortito, Gripho Baioariam occupavit, quo mortuo Pipinus ſecundus, qui univerſo regno præerat, Hilderico Dagoberti filio, tantum Regis nomen habente, ex auctoritate Zachariæ Romani Pontificis, melius eſſe dicentis, Regem vocari, qui regeret, nomen ſibi Regium uſurpavit. Exinde autem jurejurando, quo Hilderico & cæteris Francorum Regibus tenebatur, per Stephanum, qui Zachariæ ſucceſſerat, abſolutus, in Regem unctus eſt, annis poſt incarnationem ſeptingentis quinquaginta duobus. AEN. Quid de Hilderico eſt factum? MART. Detonſus in monaſterium detruſus eſt. AEN. Hic ergo regnum Francorum finivit? MART. Ita ajo; ſed eo finito Carolingorum cœpit. AEN. Factumne jure id exiſtimas? MART. Cur non? quod ſummi Pontificis auctoritate eſt geſtum; immo etiam Imperatores deponi poſſunt per Papam: ſiquidem vicem Dei in terris habere Romanum Pontificem conſtat. AEN. Si ſic eſt, nullius magis intereſt, quam Regum & Principum, ſubeſſe Concilio Papam; ut ſit, ad quod refugiant injuſte depoſiti. Sed perfice hiſtoriam. MART. Pipinus æmulo regni ſemoto, in Italiam pergit; Aſtulphum, Regem Longobardorum, Romanæ Eccleſiæ inſultantem, Ticini obſidens, receptis obſidibus, ceſſare a moleſtatione Eccleſiæ coegit, eumque parvo poſt tempore rebellantem compeſcuit. Saxones gravi bello confractos tributarios fecit. Vafarum, Aquitaniæ Ducem, Chriſti Eccleſias ſtimulantem, primo repreſſit, poſtea occidit. Huic Carolus & Carolomannus filii ſucceſſere. Juniore mortuo, conjunx cum liberis Carolum timens, ad Regem Longobardorum, qui tunc Deſiderius erat, confugit. AEN. Longobardorum nomen, etſi magnum ubique habetur, mihi tamen non plane cognitum eſt; nec, unde illorum origo ſit, ſcio; libenterque abs te edocear. MART. Res Italicas noſſe te melius arbitror, nec hora patitur, multis ut immoremur. Illud tamen non tacebo, Longobardos eos eſſe populos, qui Padanam provinciam habitant inter Apenninum & Alpes. Hi Valentiniano regnante, ab inſula Gotantia, (2) unde & Gothi egreſſi fuerant, venientes, in Pannoniam, quæ hodie ab Ungaris, Scythiæ populis illic immorantibus, Ungaria dicitur, conſederunt; nec longo poſt tempore Italiam ingreſſi, Gallos expulere. Galli autem Thuſcos prius abegerant, ac Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tridentum, & Vincentiam condiderant. Sed pergo ad inſtitutum. AEN. Laudo. MART. Carolus evictis Saxonibus, rerumque Galliæ ſolus potitus, rogatu Adriani Papæ in

(1) Cod. Can. *Gallos.*
(2) Cod. Can. *Scanchia.*

in Italiam trajecto exercitu, Desiderium Papiæ claudit, ipse parva manu Romam pergit; unde reversus fatigatam longa obsidione urbem in deditionem recipit; Regem captivum abducit; Saxones novas res molientes domat, Christianosque facit; in Italiam rursus pergens, ex duobus gnatis Pipino & Ludovico alterum Italiæ, alterum Aquitaniæ Regem præficit, ipse Patricius Romanus, quod per id temporis illustris dignitatis nomen habebatur, acclamante populo, appellatur. Exinde Galliæ motibus revocatus domum, cum Aquitanis, Britannis, Normannis, Saxonibus, Bajoariis ac Pannoniis gravia bella gerit; quibus conflictis, ulturus Papam Leonem, quem Romani *lacerum crudeliter ora* dimiserant, tertio Romam petiit: ubi restituto pristinæ dignitati Leone, ex consensu populi, Augusti nomen accepit, nonusque ab *Octaviano* & septuagesimus imperavit. AEN. Quo pacto id fieri potuit? Num tunc Constantinus Leonis filius imperavit? MART. Non, sed mater Irene, quæ filio, ut fama est, perdendi luminis caussa fuit; digna profecto mulier, cujus tempore orbis imperium transferretur ad Francos. AEN. Quamdiu Romanum imperium a Græcis possessum est? MART. A Constantino usque ad Carolum, annis, ut numerant, nonaginta & quadringentis. Exinde usque in hos dies scissum imperium est, alio Græcis, alio Latinis imperante, nec apud Latinos post hoc, nec apud Græcos imperium floruit. AEN. At Carolus quam longum imperium habuit? MART. Post annos quatuordecim imperii mortuus est Aquisgrani, eque Ludovicus Aquitaniæ Rex successit. Huic tres filii fuerunt: Lotharius, quem sibi imperii socium legit; Carolus, quem Aquitaniæ præfecit, & Ludovicus, cui Baioariam submisit. Lotharius ex Italia rediens, patrique Ludovico mortuo succedere tentans, fraterno bello excipitur, victoria penes Carolum & Ludovicum fuit, divisumque trifariam imperium est; Carolo occidentalia regna a mari Baltico usque ad Mosam cessere, Ludovico orientalia ex Pannonia usque ad Rhenum; Lothario Gallia Belgica, quæ postea ex ejus nomine Lotharingia dicta est, cum Romano imperio obvenit. Is privatam eligens vitam, regnum suum tribus filiis divisit, Ludovico Italiam & Imperatoris nomen; Carolo Provinciam; Lothario Lotharingiam tradens: sicque, ut est rerum mundanarum mutabilis & infirmus status, Romanum imperium tertia pars fuit tertiæ partis. AEN. En quando ad propositam venies quæstionem? MART. Jam veni; Lotharius iste Lotharii filius est, quem quærimus. Huic uxor tam moribus quam genere insignis Thieburga fuit, ab eo tamen nequaquam dilecta; qui Valdradam ardens concubinam, repudiandique uxorem occasionem quærens, Gunthario, qui tunc Colonienſi præerat Ecclesiæ, negotium dat, cujus neptem in eventu divortii ducturum se dicit. Ille adscito, (non dicam ut nostri asselli bipedes *accito*) Treverensi Antistite, Concilium congregat, convictamque falsis testibus Reginam adulterii damnat. Fit divortio locus; Rex habens Aquis conventum Principum, dicit se continere non posse, consiliumque requirit,

rit; ſuaſu Guntharii clamant omnes, melius eſſe nubere, quam uri. Tunc Valdrada Regio cultu producitur, Reginæque accepit nomen. Hæc audiens Nicolaus Papa, Colonienſem & Treverenſem Epiſcopos condignæ pœnitentiæ ſubjicit, Lothariumque juramento adſtrictum relinquere Valdradam cogit; cujus conſuetudine cum abſtinere non vellet Lotharius, comminatur illi Nicolaus Eccleſiæ ſe dicturum. Hoc eſt, quod tuus Stephanus retulit. Nunquid vis aliud? AEN. Volo, quis obſecro finis Lotharii fuit? MART. Pœnas quippe delicti dedit; vocatus enim in Italiam fratri ut auxilio eſſet, tam ex inſueto calore, quam ex aranearum morſibus magnam exercitus ſui partem amiſit: ipſe Romam ex Calabria rediens, cum diceret, quæ Nicolaus præcepiſſet, a ſe obſervata omnia, honorifice ab Adriano Papa receptus, ad menſam Domini impolluta conſcientia perrexit. Unde cum redire in Gallias vellet, repentino morbo correptus, Placentiæ interiit. Sed eccum (1) Nicolaum; ipſi aures præſtemus.

*Dialogus duodecimus.* (2)

NICOLAUS. Poſtquam Pontifices Romani utramque partem tuentur, eorum auctoritatibus minime cenſeo ſtandum. Quærenda eſt ratio, quæ tuos, & quæ meos movit; illosque ſequi fas eſt, qui melius invenientur ſenſiſſe. Jamque compertum mihi eſt, unde meorum ſententiam tuear, &, ſi vacat, dicam. STEPH. Ego, ſi plane intellexi, poſſe tuos & meos invicem Pontifices reconciliari, oſtendi; nec ex eorum pace auctoritas generalis Concilii deperit; quia tamen rationibus vis agere, non detrecto, certamen illud poſtulo, quia nondum ad concilia veni, pauca, ut me audias, de conciliis referentem: NICOL. Non impedio, dic. STEPH. De Concilio Nicæno habendus mihi primum ſermo videtur. NICOL. Non immerito. Ibi namque XVIII. & trecenti Epiſcopi fuiſſe dicuntur, ac Conſtantinus Imperator, & plurimi viri ſanctitate illuſtres; Apocriſarii quoque Julii Romani Vitus & Vincentius interfuere. Quid tamen illic adverſus Papam excerpis? STEPH. Sancitum illic eſt, quos Synodus excommunicaret, ne Romanus Pontifex ad ſe venientes reciperet. NIC. Quis tibi hoc revelavit inauditum prius arcanum? STEPH. Epiſtola Concilii Africani ad Cœleſtinum. Verba hujusmodi ſunt: *Deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures* (3) *hinc venientes, non facile admittatis, nec a nobis excommunicatos ultra velitis recipere, quia hoc eſt etiam in Nicæno Concilio definitum, facile advertit venerabilitas veſtra.* NIC. Non ſine cauſſa poſitum eſt adverbium *facile*, quod non audientia, ſed audiendi prohibetur modus. STEPH. Vis ergo planiorem textum? Audi Chalcedonenſe Concilium, ſic ibi ſcriptum eſt: *Non licet illum, qui damnatus eſt ab omni Synodo, Epiſcopum nominare.* (4) Et iterum: *Regula eſt, ut ab electa Synodo non liceat appellare; hæc eſt fides Patrum, qui præter iſta ſapit hæreticus eſt:* Quid plura? Satisne hoc reris? cur non jam annuis?

(1) Cod. Can. *Ecce.*
(2) Cod. Can. addit. *inter Nicolaum & Stephanum.*
(3) Sic in utroque m. ſ. legendum for. *oras.*
(4) Cod. Can. addit: Diffinitio omnibus placet, qui præter iſta ſapit, hæreticus eſt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nuis? NIC. Deliras; ab electa Synodo non appellant, qui Papa minores sunt; Papam vero ex Synodo nihil prohibet appellari. Sic intelligenda verba Concilii sunt. STEPH. Divinationibus & somniis agis mecum, ego verbis hæreo; præterea, si de Papa Concilium judicat, quomodo vis eum ex Concilio appellari, & reum, quam judicem ostendis majorem? NIC. Ubinam legis judicari a Concilio Papam? STEPH. Nempe, ut omittam Johannem & Benedictum Constantiæ depositos, & alios per Synodum (1) solius Italiæ pontificatu remotos, Concilii Constantinopolitani octavi sic scripta sententia est: *Porro, si Synodus universalis exstiterit congregata, & facta fuerit de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas & controversia, oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisscitari & solutionem accipere.* Moxque subjicitur: *Non tamen audacter sententiam dicere contra seniores Romæ summos Pontifices.* Ubi & illud advertendum est, quod de quavis ambiguitate & controversia ferri sententiam vult, quæ res illorum opinioni, qui propter hæresin tantum judicari Romanum Pontificem volunt, quantum repugnet, vides. Et quidem, ut mihi videtur, nihil est in Constantiensi Concilio de auctoritate Synodorum declaratum, quod hoc Constantinopolitanum non præviderit prædixeritque: quo fit, ut vana illorum & ridenda evasio demonstretur, qui decreto de auctoritate Conciliorum, Constantiæ edito, non totum Concilium, sed unam ex tribus consensisse obedientiam dictitant, quasi non ante Benedictinorum & Gregorianorum adventum Concilium fuerit. NIC. Equidem, qui Gregorio & Benedicto favebant, Concilium esse Constantiæ non rebantur. STEPH. At nec Benedictus unquam, nec Græci, nec Ægyptii, immo nec Bohemi. Cæterum, ut nihil tibi refugii superfit, responde mihi, si potes: hic Decretum illud de auctoritate Conciliorum sub nomine Synodi factum est, si id rectum non erat, cur non revocatum est ante Concilii finem? cur inter decreta dimissum est? cur non postea vel Papiæ vel Senis, vel hic Basileæ, (2) cum omnes essetis præsentes, qui nunc illud damnatis, impugnatum fuit? exinde quid hic objici potest, quando id ipsum ex veteribus habetur Conciliis; atque, ut aperte loquar, quod sentio, omnes mihi videmini esse insani & cœci, decreto hujusmodi repugnantes; quod si verum non est, clarum est, nec Johannem, nec Compapas juste fuisse depositos, nec Martinum postea, nec Eugenium jus in Papatu habuisse, & usque in hoc tempus errasse Ecclesiam; quod non solum dicere, sed audire est absurdum. NICOL. Mitte has consequentiolas, de quibus discutere, ut longum, sic tædiosum esset; viros doctos, ut videri nos volumus, non decet auctoritatibus disputare. Juvenum est hic mos, & eorum, qui popularem captant favorem: ac maxime nostri temporis legistarum, quibus non dico textuum, sed glossarum dicta, pro cortina & tripodibus sunt Apollinis. Clara ingenia rationibus certant, nec propterea dignum imitatione aliquod facinus censent, quod finis illius fuerit laudabilis, ut de Concilio Constantiensi,

(1) Cod. Can. *Concilium.*
(2) Cod. Can omittit: *vel hic Basileæ.*

tienſi, quod pacem Eccleſiæ peperit. Namque, ut plerumque fortuna, ſic & Concilia mala vicerunt. Sed non eſt ſemper felix temeritas, ideoque ſpectemus nos rerum (1) cauſſas, Conciliumque non auctoritate, ſed invincibili ratione formemus. STEPH. Auctoritatibus fractus rationes vis experiri? Sed neque hic campum tibi relinquam; effluat, ſi quid habes. NIC. Nihil moror. Eccleſias noſtri temporis majores duas eſſe dixerunt, alteram triumphantem, alteram militantem. Et hanc quidem inſtar illius eſſe, cujus regimine cognito, quomodo & regi etiam hæc debeat, manifeſtum erit. Illic igitur ordinata omnia ſunt, ſuisque gradibus tam Sancti, quam Angeli, diſtincti habentur. Deus ibi & princeps & rector & caput eſt omnium. Illi omnia parent, omnia ſubſunt, omnia intendunt: nemo illi, cur ita facit, dicere audet; nec, ſi omnes Sancti Angelique conſpirent, quamquam eſt hoc impoſſibile, reſiſtere illi, qui univerſum mundum gubernat, maximo DEO poſſunt. Ut igitur cœleſtis Eccleſiæ caput nulli ſubeſt, ſic & terrenæ principem, qui eſt Papa, oportet eſſe. Quid tu hic? STEPH. Omnia tibi concedo & victum me fateor, unum mihi ſi dederis. NIC. Quid illud eſt? STEPH. Papam mihi, ut Deus eſt, impeccabilem. NIC. Non poſſum. Ex Romanis Pontificibus peſſimos fuiſſe homines, conſtat, & apud inferos puniri, & omnem Pontificem infirmitate circumdatum, dicit Paulus. Sed da tu mihi Eccleſiam. STEPH. Dabo: articulus fidei eſt, unam ſanctam, id eſt, incorruptibilem Eccleſiam eſſe credendam. Hinc illud Evangelii eſt: *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quæ verba manifeſte oſtendunt, Eccleſiam fore impeccabilem, cum & fundata ſit ſupra petram, quae, ut Paulo placet, Chriſtus eſt; & portæ inferi, quæ, ut inquit, Hieronymus, peccata ſignificant, non prævalere adverſus eam, dicantur. Apud Matthæum, quod ait Dominus: *Ego vobiſcum ſum usque ad Conſummationem ſæculi:* quod non ſolum Apoſtolis; ipſi enim usque ad ſæculi finem non permanſerunt, ſed etiam ſucceſſoribus dixit. Nec tunc voluit Chriſtus ſignificare, ſe DEUM per omnia fuſum, quomodo etiam in peccatoribus & beſtiis deprehenditur, ut eſt illud Virgilianum: *Deum namque ire per omnes terras tractusque maris, cœlumque profundum, hinc pecudes armenta vires genus omne ferarum, quemque ſibi tenuis naſcentem arceſſere vitas*; ſed ſpeciale quoddam gratiæ donum oſtendere, ac per aſſiſtentiam ſuam ſanctam Eccleſiam in Apoſtolis & Diſcipulis eorumque ſucceſſoribus conſiſtentem permanere immaculatam. Alibi quoque: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Exin, cum dicatur Chriſtus ſponſus Eccleſiæ & ſponſus & ſponſa, ut inquit Apoſtolus, duo ſunt in carne una, nemoque carnem ſuam, ut idem ſubjicit, odio habeat: quis non intelligat Eccleſiam ſtare absque peccato; cum aliter placere Deo, & diligi ab eo, qui peccatores odio habet, non poſſit. Unde ad Timotheum ſcribens Apoſtolus, Eccleſiam ipſam columnam & firmamentum veritatis fore

(1) Cod. Can. eorum.

fore adſeverat. Et in Canticis ſponſus: *Tota pulcra es amica mea, & macula non eſt in te.* NICOL. Si ad auctoritates redeo, poſſum & ego impeccabilem Petrum dicere. Scis, quia dictum ei a Chriſto erat: *Oravi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Quo dicto nihil eſt lucidius. Nam ſi oravit, exauditus eſt, cum & ipſe dicat Patri: Scio, quia me audis. STEPH. Meum eſt, mane. In expoſitione Pſalmorum Auguſtini ſententia eſt: plurima in Evangelio dici, quæ, etſi proprie ad Apoſtolum Petrum pertinere videantur, non tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cujus ipſe cognoſcitur in figura geſtaſſe perſonam. Ideoque in quæſtionibus novi & veteris teſtamenti, hoc ipſum, quod ais, ad Eccleſiam refert, non ad ſolum Petrum; cum paulo poſt Petri fides, Chriſtum negantis, ad tempus defecerit. NICOL. Omnes, ut mihi videtur, qui nomine Chriſtiano cenſentur, ac in communi articulorum fidei Sacramentorumque participatione conveniunt, in Eccleſia continentur. STEPH. Recte videtur. NIC. Si ita eſt, & Eccleſia impeccabilis eſt, hi omnes impeccabiles ſunt. STEPH. Hæc ſequela tantum a vero abeſt, ut ejus contrarium, verum putem; exiſtimo enim nullum hujusmodi eſſe intra Eccleſiam mortali carne veſtitum, nec iſta inter ſe pugnant: habet enim hoc præcipuum Eccleſia, ut licet ſingula ejus membra peccare poſſint, totum tamen corpus non poſſit; ſemper namque in Eccleſia viri ſunt aliqui boni, qui quamquam humanæ ſubſint fragilitati, virtutis tamen perfectæ perfecto fungun-

(1) Cod. Can. *Chryſoſtomi.*

A tur munere, domitisque carnalibus deſideriis, hoſtiam ſe Deo placentem exhibent. NIC. At ſi Eccleſia bonos & malos complectitur, ut ſimilis ſit ſagenæ miſſæ in mari ex omni genere piſcium congreganti, quomodo caput ejus & ſponſus eſt Chriſtus ex omni parte optimus? STEPH. Chriſtus apud nos agens etiam corporeis paſſionibus ſuberat, ut famem, & ſitim, & ſomnum, & dolores ſentiret, quos nonniſi in cruce exuit omnes; ipſe tamen impeccabilis erat. Similiter Eccleſia numquam absque pec-B catoribus erit, niſi poſt diem judicii, ipſa interim impeccabilis manet: hæc enim eſt illa domus, quam Dominus laudat ſupra firmam petram ædificatam, de qua Propheta: *Domine dilexi decorem domus tuæ;* hinc illa Johannis oris aurei (1) aurea ſententia: *Non ceſſat impugnari Eccleſia, non ceſſat inſidias pati; ſed in nomine Chriſti ſemper ſuperat, ſemper vincit: & quamvis alii inſidientur, quamvis repercutiant eam fluctus,* C *fundamentum tamen, quod ſupra petram eſt, non quaſſatur.* Hilarius vero: *proprium eſſe ſolet Eccleſiæ*, inquit: *ut tunc vincat, cum læditur; tunc intelligat, cum arguitur; tunc ſecura ſit, cum deſeritur; tunc obtineat, cum ſuperata videtur.* NICOL. Adhuc non potis es rationibus agere; neceſſarium mihi quidem videtur, ad rempublicam gubernandam, unum eſſe in terris principem, qui omnibus præſit, ad quem omnia referantur; tu, ſi ad multitudinem ſummum imperium traducis, rem nec diu manſuram, nec utilem inducis. Sponte ſua natura id efficit, ut ſemper multitudini unum præficiat. Romani exem-

plo ſunt. Illis, ut noſti, ſeptem Reges fuere, quorum ultimo, qui fuit Tarquinius, expulſo, res ad communitatem reducta gubernari legibus & Conſulibus cœpit: non tamen ſic durare potuit diu; ſed ut ab uno cœperat, ad unum etiam rediens, in uno finivit. Quid quod etiam illi unitatis inimici Senatores Romani, cum grave aliquid & Reipublicæ diſpendioſum immineret, rem ſponte ad unum redigebant, quem Dictatorem appellabant, cui etiam jus in capita civium Romanorum erat; nec provocationi dabatur locus. Scisque, quod Æquis obſidentibus caſtra Romanorum, in quibus Conſul erat Minucius, cum tota civitas trepidaret, Lucius Quintus Cincinnatus conſenſu omnium Dictator creatus eſt. Antea quoque, cum plebs a Patribus eſſet diviſa, Volſcique cum Sabinis & Æquis in armis eſſent, M. Valerius, Voloſii filius, dictaturam accepit, nec ab re; quo enim pacto res magnæ per ora plurium tranſeant, ubi prius ſcita conſilia ſint, quam cogitata. Bene utique in proverbio eſt: *Ad bellum multos, ad conſilium paucos accerſiri oportere.* Multitudo præterea res ſurda & inexorabilis eſt, apud quam nec laxamenti nec veniæ locus eſt, ubi modum exceſſeris. Rex homo eſt, apud quem & gratiæ & beneficio locum invenies; ſcit iraſci & ignoſcere; inter amicum & inimicum diſcrimen habet; huic ego poteſtatem dari ſupremam arbitror expedire; huic & homines parere volo & leges, neque popularibus in hunc jus ullum attribuo. Sed qualis Rex eſt in regno, talem eſſe in Eccleſia Papam oportet. STEPH. Sunt, ut multa bene, ſic etiam male abs te aſ-

A

B

C

ſerta plurima. NIC. Quæ male? STEPH. Regi ſupremam poteſtatem das, & Regi Papam & regno Eccleſiam æquiparas. NIC. Cur non? STEPH. Jam paulo ante admonitum te feci, aliud eſſe Eccleſiæ, aliud regni regimen; idque Chriſtum præcepiſſe. Atque, ut fatear, moris Romanorum fuiſſe in rebus diſcrimine plenis ad paucos recurrere, nihil in ea re momenti pono. Ad gubernationem namque Eccleſiæ non Romanorum, ſed Chriſti exemplis & Apoſtolorum eſt utendum. NIC. At Chriſtus ſolus princeps nullius ſupra ſe imperium habuit. STEPH. Nec oportebat habere. NIC. Solus ipſe grandia adminiſtrabat & parva. STEPH. Immo etiam ipſe ſæpe cum XII. conſilia committebat: ſed ne, obſecro, Chriſtum imitere, ubi non potes. Ipſi, qui creaverat ſapientiam, deeſſe ſapientia non valebat; illi omnia viſa, omnia ante oculos erant; nulla in re falli, nullo in negotio capi poterat. At inde Apoſtoli poſtea, quem ritum tenuerint, qui licet XII. eſſent, tamen habere etiam plures volebant, nec rem ullam gravem ſine vocatione multitudinis inchoabant. Sic & poſtmodum; aucta fide, ſervatum vides, in rebus arduis Concilia eſſe habita; hos imitari, non Romanos oportet. Verum quia exempla non ſequeris, addo & rationem diverſitatis inter regnum & Eccleſiam. In regno cura Regibus eſt, ne potentiores opprimant debiliores, ut corpus cuique ſuum & facultates ſint ſalvæ. In Eccleſia de animabus cautio eſt, quibus nihil pretioſius eſſe debet, huic, ſi unus præſit, cui nemo: *cur ita facis?* dicat, facile fieri poterit, ut per unum hæ-

reticum

reticum tota Eccleſia peſſumdetur, fidesque Chriſti ſepeliatur. Neque illic ſum tecum, ubi tantopere Reges exaltas; namque ubi liberi homines ſunt, ingenio & virtute pollentes, longe præſtantior Ariſtocratia, quam regnum eſt: illud enim melius eſſe regnum conſtat, quo juſtum & æquum cognitius eſt; ubi judicium a timore, odio, amore, invidia eſt remotius; ubi & precibus & muneribus minus eſt locus: quibus rebus Ariſtocratiam, quam regnum extolli cernis. NIC. Metue quid dicas, Ariſtocratia eſt regimen plurium ſapientum; id Concilio non eſt æquiparandum. Et quippe plurimos ſapientes non facilius, quam plures phœnices invenies. STEPH. Rei, quam agimus, accommodatum exemplum adduxi, nec ſapientiam ego tibi ad unum reſeco, ut homines magis cogitatos, quam viſos requiram. Sat mihi eſt, quod rectius plurimorum, quam paucorum judicium ſit. Unde & in Nicæno Concilio ſcriptum eſt: *Vincat plurimorum ſententia Sacerdotum.* Nec ego iſta dico, ut velim Eccleſiæ adminiſtrationem ſemper apud multitudinem eſſe, ſed tunc ſolum, cum aliquid grande emergit, atque, ut videatur, quomodo ſe Papa habuerit; ut, ſi bene fecerit, laudetur; ſi male, deponatur, idque in communi expedit, ne licentia male agendi ſit; quia, ut eſt apud Macrobium Publii Siri quamvis Mimi ſententia: *cui plus licet, quam par eſt, plus vult, quam licet.* NIC. Placet mihi, quod dixiſti, Concilia ob res arduas congregari, idque adverſum te eſt, qui Concilium, de ſupplicationibus & privatarum perſonarum cauſis agens tueri vis. Collata in Concilio beneficia ſunt; diſpenſationes innumerabiles conceſſæ; cauſſæ paſſim admiſſæ; nihil intactum dimiſſum eſt: omnia, quæ Apoſtolica ſedes adminiſtrare conſuevit, acta a vobis ſunt. STEPH. Tace, ſic neceſſarium erat; quo enim pacto reſiſtere Eugenio Concilium potuiſſet, niſi Patres, qui aderant, defendiſſet. Scis morem humani generis. Omnes illuc currunt, ubi ſe tutos eſſe, lucrumque poſſe facere ſperant. Concilium, ſi neque ſuos tueri potuiſſet, neque alios ſpe præmiorum allicere, vacuum e veſtigio fuiſſet. Jamque mores Eugenii erant viſi, & artes cognitæ, qui & auferre noſtris & dare ſuis beneficia ſtudebat. Itaque facta ſunt hæc, non tamquam proprie ad Concilium pertineant, ſed quia ſine illis munus Concilii de corrigendo Papa compleri non poterat. NIC. Age obſecro, quid tu de Regibus dicis. Visne eos per populum deponi? STEPH. Cujusmodi eſſe vis Regem, circumſcribe. NICOL. Ah! ita ignarus es, ut Rex, qui ſit, ignores. STEPH. Regem ego illum exiſtimo, qui eſt ſpeculator & curator publici commodi; cui eſt cordi utilitas ſubditorum; qui, quæcumque agit, refert ad eorum, quibus præeſt, commoditatem. Quod ſi ſecus fecerit, non Rex ſed tyrannus dicendus eſt, cujus proprium eſt vacare proprio emolumento. NICOL. Rem tenes; hoc enim differt Rex a tyranno, quod alter eorum, quos regit, commodis invigilat, alter ſuis intentus eſt. STEPH. Habeo; namque, ut Cicero in officiis tradit, certum eſt, aliquod fuiſſe tempus, quo ſine Regibus vivebatur; at poſt-

quam jure gentium poſſeſſiones cœperunt dividi, non alia de cauſſa Reges ſunt inſtituti, niſi juſtitiæ fruendæ, ne premeretur multitudo ab his, qui majores opes haberent. Sentio igitur, Regem, qui ad eorum, quibus præeſt, utilitatem creatur, niſi munus ſuum efficiat, privari per populum poſſe; quo tempore tamen non Rex, ſed tyrannus dicendus eſt, adverſus quem, non ſolum populo, ſed filiis permiſſum eſt, arma capeſſere. NIC. Damnatum errorem prædicas, in Regem namque, ſicuti Conſtantiæ declaratum ſcis, nullum jus competit popularibus. STEPH. Id intelligendum eſt de his Principibus, qui ſuperiorem habent; adverſus quos, ſi quid populus habet querelæ, Imperator, vel Papa eſt, qui jus dicat: ubi vero nihil eſt horum, quis populum prohibeat ſalutem ſuam ſuis manibus vendicare. Aut quis unquam Romanos de Neronis & aliorum ſceleratorum Cæſarum punitione reprehendit? hodie vero ſemper, vel Papa eſt, vel Concilium, ad quod tamquam ad patrocinium orbis terræ pro juſtitia recurſus poteſt haberi. Atque ut pro malo Rege adiri vel Imperator, vel Papa poteſt; ſic pro malo Papa accedi Concilium debet, ibique haberi de Papa judicium. NIC. Unum mihi ſupereſt argumentum, quod ſi ſolvis, nihil eſt, quod amplius in translatione, per Eugenium facta, momenti ponam. STEPH. Expone, quid ſit. NIC. Cum poſt Conſtantinum usque ad hæc tempora plurima fuiſſe Concilia conſtet, ex quibus tamen per pauca recepta ſunt, ut octo illa antiqua, & nova hæc, Viennenſe, Lugdunenſe, Lateranenſe, & Conſtantienſe, reliqua omnia pro damnatis habentur; quæro abs te, an & hoc Concilium Baſilienſe erraſſe potuerit? STEPH. Non potuit. NIC. Unde hoc privilegium? STEPH. Quia legitime congregatum, & in libertate continuatum a Spiritu ſancto directum eſt. NIC. Id ipſum ſi in dubium veniat, de libertate judicem habere oportet: & quis alius, quam Papa, judicem recipiet? STEPH. Abſit, judicem ut reus judicet. NIC. Ergo aliud Concilium vis congregare in judicem? STEPH. Minime gentium; en quam ridiculum eſſet, ſedente Concilio, ubi ſupremum eſt tribunal, Concilium aliud convocare; ſi ſic fieret, quis rerum umquam eſſet finis? Ubinam umquam firmari ſtatus Eccleſiæ poſſet? NIC. Quod ergo remedium dabis? STEPH. Id quod vos in Romanis Pontificibus, quibus errantibus, Eccleſiamque in perditionem ducentibus, exorandam eſſe divinam dicitis pietatem, ut opem ferat. Numquid hoc dignius poſt Concilii, quam poſt Papæ judicium faciemus? Sed eſt hic & aliud remedium, dum Concilium ſedet in loco libero & ſecuro, ad quem patet acceſſus omnibus, concurrunt prælati omnes, & in communi conſultant. Cur enim, ſi quid objicitur Concilio, id Baſileæ non poteſt, ſicut & aliis in locis emendari? Numquid cœlum aut ſolum patriæ, aut ipſi urbis muri impedimento ſunt, ut res geri illic bene non poſſit? Numquid plus vis? quid jam tibi admodum reſtat objiciendum? NIC. Paululum quiddam. STEPH. Visne adhuc negare Concilium apud nos eſſe? NIC. Non; ſed una in re videtur mihi apud vos non fuiſſe Concilium. STEPH. Quam rem dicis? NIC. Eugenii depoſitionem. STEPH.

Quo-

Quonam id pacto reprehendis? NIC. Certum eſt, fuiſſe in Concilio eo tempore, quo de hujusmodi agebatur depoſitione, Oratores Imperatoris, Regis Franciæ, Regis Caſtellæ, Regis Aragonum & Ducis Mediolani, qui tuus eſt Dominus. Hi omnes cenſebant a depoſitione tunc eſſe abſtinendum, ſimulque & Prælatis, qui dictis principibus ſuberant, idem conſulebant. Vos tunc non Prælatis, ſed vocibus ſuperaſtis, plebeios namque quam plurimos vobiscum habebatis. Quis hoc defendat? quis bene factum dicat? nempe plus Chriſtianitatis repræſentabant, qui contradixerunt, quique, cum procedere omnino velletis, a vobis receſſerunt. Ego non exiſtimo in re tam grandi, paucos illos, qui Baſileæ remanſerant, invitis Principibus Eccleſiam repræſentaſſe univerſalem; & hac in ſententia totam Galliam mecum habeo. STEPH. Vis plura? NIC. Sat dixi, ſi intelexiſti. STEPH. Rem non parvam adgreſſus es, ſolubilem tamen; jamque hic contra inſtitutum non rationibus, ſed auctoritatibus agis. Sed mitto hæc; ſcire te volo, Oratores, quos refers, invitos depoſitioni ſe oppoſuiſſe; audivique ego Panormitanum, virum ante omnes ſcientia juris eminentiſſimum, ſæpe Franciſco Bavariæ, (1) conterraneo meo, imprecari, qui mendacibus litteris Mediolanenſem Principem avertiſſet, ſcireque ſe, & honorem & animam ire perditum, ſui Principis juſſa ſequentem. Lubecenſis vero Epiſcopus, qui locum Imperatoris tenebat, in publico obſtabat quidem, in occulto, ut proceſſus fieret, ſuadebat. Alii autem Prælati, timentes Principum iras, veniam ex quolibet petebant, quod depoſitioni, ut juſtitia exigeret, non conſentirent; inferioresque hortabantur, ut nullo ad ſe habito reſpectu, (2) quod juſtum eſſet, pronunciarent. Erat propterea ridiculum audire Oratores illos Eugenii cauſſam defendentes, quam ipſi antea impugnaſſent, quorum quilibet ſuis anterioribus dictis facile convincebatur. Stabat inſuper Decreti recens memoria, in quo Oratores ipſi & totum Concilium aſſenſum præſtiterunt, immo &, quod ipſe etiam Eugenius acceptaverat, ut ſi Papa Concilium Baſileenſe præter ejus conſenſum diſſolveret, vel transferret, nec poſt quatuor menſes reſiperet, ad ſuſpenſionem; rurſusque, ſi ſuſpenſionem duobus poſt menſibus animo indurato ſuſtineret, ad depoſitionem ejus procederetur. Inciderat in Decretum Eugenius, faventibus ei Oratoribus Principum, nobis viſum eſt, Decreti ſervandum eſſe tenorem; nec faciem extimuimus potentum, nec ſcandalum in agilitate noſtra poſuimus. NIC. Nihil plus cauſſæ in depoſitione habuiſtis? STEPH. Sed parumne hoc cenſes? transferre Concilium invitum velle, ſtare in ſententia, pertinaciam opponere monitis, contemnere Eccleſiam, extollere ſe ſupra Synodum & perſequi Patres, nullamque vocem Eccl. audire? Numquid tu ſcis, hominem hujusmodi expræcepto Dominico ut ethnicum habendum eſſe & publicanum? NIC. Num hic homo auctoritatem Concilii pertinaciter oppugnans hæreticus erat? STEPH. Vis ſcire quantum hæreticus? nempe ut magis eſſe non poſſit; non



(1) Cod. Can. *Burbavale.*
(2) Cod. Can. intuitu.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

enim ad ramos arboris, ſed ad truncum admovebat ſecurim. NICOL. Quo pacto? STEPH. Ad reſtringendas hæreſes, nullum majores noſtri remedium accommodatius cenſuerunt, quam tenere Concilia generalia, quorum judiciis hæretici conquieſcerent, idque multis in Conciliis factum eſſe, non te latet. At quomodo Eugenii hæreſis per Concilium poteſt tolli, qui de ipſis Conciliis male ſentit? NIC. Ergo hæreticum Eugenium pronunciaſtis? STEPH. Factum; qui enim declarationes Concilii generalis, de fide factas, non recipit, & qui appellari ab electa Synodo inſtat poſſe, hæreticus eſt. NIC. At declaratio de auctoritate Conciliorum Conſtantiæ habita nequaquam de fide eſt. STEPH. Immo eſt, quæ Chriſtus dixit, omnia fidei ſunt. Cumque auctoritas hujusmodi ex verbis illis Chriſti, *dic Eccleſiæ*, per Concilium Conſtantienſe declarata ſit, quis non videt declarationem hujusmodi fidei eſſe? Quod etiam ex Hieronymo, ut eſt in Decretis, licet intueri. Is enim ſic ait: *Quicunque Scripturam aliter intelligit, quam ſenſus Spiritus ſancti flagitat, a quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non receſſerit, hæreticus tamen appellari poteſt.* Hujusmodi Eugenius eſt, qui verba ſacræ Scripturæ *dic Eccleſiæ*, aliter intelligit, quam Spiritus ſanctus, id eſt Generale Conſtantienſe Concilium, per quod Spiritus ſanctus eſt locutus, ut in ſententia adverſus Benedictum lata percipitur. NIC. Sed numquid aliud Eugenium condemnat? STEPH. Quid rogas; Decretum ſententiæ habes; illic omnia conſcripta ſunt crimina ejus. Illa tamen præcipue ſibi objecta ſunt, quod Simoniæ & perjurii reus fuerit; quodque Italiam provinciam, ut tu antea dixiſti, nobiliſſimam dimiſſionibus, rapinis, tumultibus, homicidiis & incendiis compleverit, ipſamque univerſalem Eccleſiam, cujus ſe illaudatus Eugenius caput eſſe volebat, ſcandalizaverit, perturbaverit, laceraverit, vexaverit. NIC. Veſter vero quis homo eſt, quem ſummo Pontificio præfeciſtis? Num alius erat? Quid vos hominem laicum, uxoris ſcium, liberos habentem, & rerum Eccleſiæ ignarum, ex eremo ut evocaretis, compulit? STEPH. Juſtitiæ & æquitatis nomen, ac ſingularis prudentiæ fama; qui cum annis plus 40. Ducatum, regno æqualem, in pace rexiſſet, ac tandem ſpretis opibus & mundialibus pompis, in ſervitium Dei ſe relegaſſet, neceſſarius profecto præſenti Eccleſiæ ſtatui videbatur, ut illam nitori reddere poſſet priſtino, & dignus, qui Chriſtianum populum regeret, judicaretur, cui & honeſtum, & turpe, & juſtum, & injuſtum cognitum eſſe liqueret; qui nec in proſperis fortunæ ſucceſſibus lætitia effunderetur, nec in adverſis caſibus deprimeretur triſtitia; jamque non laicus, ſed clericus factus eſſet. De liberis autem, quod ais, & uxore, quam habuit unicam, virginem e Burgundiorum domo, melius erat filuiſſe: ſiquidem olim conjugem nec habere, nec habuiſſe, indecorum Sacerdotibus fuit; hodie vero ſolum habere interdicitur, quæ prohibitio, ut ego exiſtimo, utilius quoque hodie prohiberetur. Liberi autem, præſertim potentes, quam patri utiles eſſe poſſint, ad patrimonium Eccleſiæ retinendum, non te fugit; nec illud veritatem habet, quod hunc patrem ritus & res Eccleſiæ adſtruis

igno-

ignorare, quem, ſi vel celebrantem divina officia, vel ſignandis ſupplicationibus intendentem ſemel vidiſſes, hominem hunc ab ineunte ætate in hujuscemodi rebus & ritibus enutritum judicaſſes. NIC. Sed quorſum jam abis, libellum aperiens, laudarene in veſperis vis Dominum? STEPH. Volo, & jam fugit tempus.

*Dialogus tredecimus.* (1)

MARTINUS. O ſi, ut & ego & tu Aenea, Felicem, cui ſervimus, Dominum cognoſcimus, ita & hi ambo noſſent; quales nunc laudes, quæ præconia de ipſius virtutibus audiviſ- B ſemus! utinam ſciret Nicolaus, quam humanus, quam comis, quam memor beneficiorum ſuſceptorum, quam injuriarum oblivioſus, quam bonorum operum amator, quam inimicus malorum, quam clemens, quam pius! vix me comprimo, quin ultro irrumpam iſta expoſiturus. Nicolaus, ſi noſtri Pontificis ſapientiam & virtutem noſſet, haud dubium, quin odium poneret noſtrarum partium. AEN. Mane, ut quid concludant, audiamus. Interim quid eſt, quod ſapientiam & virtutem ſeparas; numquid omnis ſa- C piens virtuoſus, & virtuoſus eſt ſapiens; MART. Sic ajunt? nec juſtus quisquam eſt, niſi & temperatus ſit. Ut tamen in definitionibus rerum juſtitiam ſeorſum a temperantia ponimus, ſic & ſapientiam a virtute ſejungimus. AEN. Quid igitur ſapientiam dicis? MART. Sapientiam eſſe rerum divinarum & humanarum ſcientiam, & quæ cujusque rei cauſſa ſit, cognitionem, Cicero definit. Lactantius vero, *virtus cum ſcientia conjuncta*, inquit, *Sapientia eſt.* Idque, ut planius capias, definio tibi ſcientiam & virtutem, quarum altera bonum noſcit, altera operatur: hinc illud Lactantii: *Scientia eſt Deum noſſe, virtus colere.* Horatius dicit, virtutem eſſe, vitium fugere. Alii, cupiditatem eſſe, recta & honeſta faciendi, ſentiunt. Alii, iram cohibere, cupiditatem compeſcere, libidinem refrenare, quod brevius ab Horatio eſt dictum. Sed visne deſcriptionem virtutis a Lucilio traditam tibi exponam? AENEAS. Expoſtulo. MART. Hanc & Lactantius refert:

*Virtus Albine eſt*, inquit Lucilius,
*pretium perſolvere rerum,*
*Queis in verſamur, queis vivimus rebus, poteſſe:*
*Virtus eſt homini, ſcire id, quod quæque habeat res.*
*Virtus ſcire homini rectum, utile, quid ſit honeſtum;*
*Quæ bona, quæ mala item, quid inutile turpe inhoneſtum:*
*Virtus, quærendæ rei finem ſcire modumque:*
*Virtus, divitiis pretium perſolvere poſſe:*
*Virtus, id dare, quod re ipſa debetur honori:*
*Hoſtem eſſe atque inimicum hominum morumque malorum,*
*Contra, defenſorem hominum morumque bonorum,*
*Magnificare hos, his bene velle, his vivere amicum:*
*Commoda præterea patriæ ſibi prima putare,*
*Deinde parentum, tertia jam poſtremaque noſtra.*

Hæc eſt virtutis facies; ſed a Poeta magis, quam a Philoſopho circumſcripta. Hæc omnia noſtrum habere

re

(1) Cod. Can. *Dialogus Decimus tertius inter Martinum & Æneam.*

re Pontificem, ficut nos ſcimus, utinam ita & omnes ſcirent. Verum tamen in Stephano demiratus ſum, qui interrogatus, quænam ſcelera Eugenio imputentur, ſic parcus in reſpondendo & in re copioſiſſima fuit. Eugeniani autem quam maledici ſunt, quam loquaces, quam mendaces, quot libellos adverſus nos plenos blaſphemiis & maledictis ediderunt, quas famoſas epiſtolas adverſus hanc Synodum conſcripſerunt! Quid, *Deus novit;* Quid, *Moyſes;* Quid, *Rem peſtiferam;* Quid, *Diſſimulare non poſſumus.* Omnia hæc facinoroſorum (1) libellorum principia ſunt. Cur his parcimus? numquid materia deeſt? cur nobis vera major, quam illis falſa, rubor eſt dicere? en quot Philippicas, quot Verrinas Eugenii ſcelera poſſent complere. Sed habeo quoque adverſus te iraſcendi cauſſam, qui in ea epiſtola, cui *Chriſtus* eſt caput, Eugenio, ut par erat, non laviſti caput. Stephani vero tam laudantis, quam vituperantis ſobrietas, mihi permoleſta fuit. AEN. Recte; ultra quam reris, concilio ſemper modeſtus ſermo collibuit; nec, ſi Eugenius obloquendo deſipiebat, delirare propterea vel Concilium, vel Felicem decebat. Scis, quod apud Euripidem ſcriptum eſt: *duobus obloquentibus, cum alter fuerit, qui verba frenat, is longe eſt ſapientior.* Nec ego propterea Stephani ſobrietatem in laudando vitupero; Philoſophorum namque ſententia eſt, ut inquit Hieronymus, *moderatas eſſe virtutes; & excedentes modum atque menſuram, inter vitia reputari.* Unde (2) & unus de ſeptem ſapientibus, *ne quid*, ait, *nimis;* quod tam celebre factum eſt, ut comico quoque verſu expreſſum ſit. Unde & Ariſtidem ob eam cauſſam expulſum patria, refert Cicero, quod præter modum juſtus eſſet. MART. At Grammaticam Stephani, non ut mores tueberis. AEN. Quid eſt, quod Grammaticam ejus accuſes? MART. Verbum *vexaverit* levis ac parvi incommodi, poſt *laceraverit*, quod maximi detrimenti eſt, poſuit; errareque Stephanum cum Virgilio arbitror voluiſſe, qui atrocem Ulyſſis caſum, quo homines a bellua immaniſſima rapti & laniati fuerunt, eodem verbo minime convenienti expreſſit: *Dulichias*, inquiens, *vexaſſe rates.* AEN. Nec Stephanum, nec Virgilium juſte arguis. Vexare namque, ut Servius dicit, grave verbum eſt, traductumque ab eo videtur, quod eſt vehere, in quo eſt jam vis quædam alieni arbitrii: non enim ſui eſt potens, qui vehitur. Vexare autem, quod ex eo inclinatum eſt, motus procul dubio vaſtioris eſt. Nam qui fertur & rapitur, atque huc & illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur: ſicut *taxare* preſſius crebriusque eſt, quam *tangere;* unde id procul dubio eſt inclinatum: & *jactare* multo fuſius largiusque eſt, quam *jacere*, & *quaſſare*; quam *quatere* gravius & violentius eſt. MART. At nos hodie ex quovis parvo nocumento *vexationem* recipimus. Scis, quia ut moribus præteritis vivendum, ſic præſentibus verbis loquendum eſt. AEN. Aliud eſt novis verbis uti, aliud veteribus novum ſenſum dare. Nec enim, ut inquit Macrobius (3), qui vulgo dicitur

(1) Cod. Can. *Famoſorum.*
(2) Cod. Can. *hinc.*
(3) *verbis videlicet* A. Gellii *non ſecus atque aliis fere in locis, quibus ex eadem Macrobio Æneas his in Dialogis utitur.*

dicitur vexatum esse, quem fumo, aut vento, aut pulvere, propterea debet vis vera atque natura verbi deperire, quæ a veteribus, qui proprie ac signate locuti sunt, ita, ut decuit, conservata est. MART. Si sic est, uno in verbo satis aceti posuit Stephanus. AEN. Ita est; mala enim infinita verbum ipsum complectitur; cujus rei gravissimi testes sunt, Marcus Cato in oratione, quam de Achæis scripsit: *cumque Hannibal*, dicens, *terram Italiam laceraret atque vexaret.* Vexatam, inquit Macrobius, tunc Italiam ab Hanibale dixit Cato, quando nullum calamitatis, aut sævitiæ, aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non sit perpessa. Sic etiam Stephanus vexatam ab Eugenio Ecclesiam dicit. Descendit in hunc sensum Cicero quoque, cujus in Verrem de Sicilia hæc sunt verba: *Quæ ab isto sic spoliata atque direpta est, non ut ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionem & consuetudinis jura retinet, sed ut a barbaris prædonibus vexata esse videatur.* MART. Verum quod ait: *illaudatus Eugenius*, verbum hoc idoneum ad exprimendam vim vexationis elegit; Eugenius enim eo modo, ut dicis, vexator Ecclesiæ non solum laude indignus, sed detestatione & execratione totius generis humani dignus procul dubio est. AENEAS. Virgilium quoque in hoc verbo imitari Stephano placuit, qui Busiridem, homines omnium gentium immolare solitum, *illaudatum* dixit, ut est illud:

*Aut illaudati nescit Busiridis aras.*

Ubi sic ait Servius: *Nemo quisquam tam effluxis* (1) *est moribus, quin faciat, aut dicat nonnunquam aliquid, quod laudari queat; at qui omni tempore & omni in re laude omni vacat, is illaudatus est; isque omnium pessimus deterrimusque est: ac sicuti omnis culpæ privatio inculpatum facit, inculpatusque instar est absolutæ virtutis, ita illaudatus finis est extremæ malitiæ.* Potest & alio modo, ut Macrobius (2) censet, *illaudatus* defendi: *Laudare* significat prisca lingua *nominare, appellareque.* Sic in actionibus civilibus auctor *laudari* dicitur, quod est *nominari.* Illaudatus ergo est, quasi illaudabilis, id est, nunquam nominandus: sicuti quondam a communi Concilio Asiæ decretum est, uti nomen ejus, qui templum Dianæ Ephesiæ incenderat, ne quis ullo in tempore nominaret. MART. Beasti me, satis pro suis meritis commendatum Eugenium refers, qui & homo illaudatus & vexator Ecclesiæ nuncupetur, utiliusque, ut mihi videtur, hujusmodi disputationi vacavimus, quam illi horis canonicis, qui linguam & labia parantes Deo, cor sibi suisque cupiditatibus retinent. Et sane, ut ego reor, hæc Psalmorum & hymnorum decantatio monachos magis, quam nos deceat, (3) quibus in claustro reclusis levamen tædii atque otii, viris autem doctis eandem cantilenam dietim canere fastidium est. Et quidem, nisi auctoritas Ecclesiæ me compelleret, libentius mihi Biblia in singulos dies fuissem partitus, quibus per anni circulum lectis, & rem mihi utiliorem, & obsequium Deo acceptius præstitisse me arbitrarer. AENEAS. Eadem & ego opinor; sæpeque cum gravibus viris de hac ora-



(1) A. Gellius *effictis.*
(2) Ex Gellio, ut alias fere semper.
(3) Cod. Can. *decet.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

orationum verbositate quæstus, nunquam rationem accepi, quæ mihi satisfecerit: nisi quod jubenti Ecclesiæ est parendum: nec majores nostri hanc orandi prolixitatem habuerunt; siquidem ab Apostolis usque in hoc tempus, officio, quo adstringimur, cum multum pro devotione Pontificum sit additum, nunquam tamen detractum est, quo fit, ut jugum, quod suave Dominus dixit, nobis jam grave & onerosum esse incipiat. At, nec multiplicare præcepta, aliud esse video, quam constituere transgressores; ideoque non minus circa officium, quam in matrimoniis contrahendis, pro studiis hominum, honestisque exercitiis dispensandum censerem, ut aliis longius, aliis brevius orare permissum esset. Interim tamen, quod Ecclesia mandat, pronis animis est ferendum. Sed jam illi *Vesperas* finierunt.

*Dialogus quartus decimus.*

NICOLAUS. Oranti mihi, sive divina inspiratio fuit, sive aliud quicquam, Stephane, mutata mens mutatusque animus est, nec jam ille sum, qui paulo ante loquebar tecum. Nescio unde hoc est; jam omnia, quæ disputata abs te sunt, vera, & quæ contra objeci, falsa videntur. Et quippe, si qua spes veniæ esset, ad vos e vestigio deficerem. MARTINUS. Aha! optima verba audio, vicimus. AEN. Jam jam prorumpendum est; quid stas? STEPH. Ne dubita, Nicolae, non ita avide ad nos venies, quam recipieris, libenter ego me tibi vadem præbeo. Pontificem nostrum, ut semel videris, nunquam ab eo voles abire, quo ut prudentior, sic & humanior & clementior nemo est, facile te illi insinuabis, nec virtuti virtus poterit non placere. AEN. Salvete ambo omnium. STEPH. Oh vos hic estis, unde vobis est via? MART. Diu hic post spineta latuimus, nec dictum a vobis est, nec factum aliquid, quod non viderimus audiverimusque. NIC. O mi Ænea salvum te videre gaudeo! hunc, quem adduxisti alterum, non cognosco. STEPH. Ambo Secretarii Apostolici sunt, Martinus tamen (sic enim alteri nomen est) ut Gallicus & notior, Pontifici intrinsecior est; eloquentia latiali redolet, nec oratoris solum, sed Poetæ quoque nomen haud indigne implet. MART. Hominem in præsentia laudat Stephanus, nescio si absum, ut tecum jocer, an me facias tanti: quantulus tamen Nicolae sum, tuus sum. Virtutes tuas multis antehac relatibus perspectas habui (1), nunc meis auribus hausi sermonem, testisque mihi de tua præstantia ipsus sum. Et quidem, cum te adversus Stephanum disputantem paulo ante audirem, ad eorum mihi vitam, qui beati a sapientibus dicuntur, accedere videbar. Ex omnibus tamen, quæ dixisti, nihil lætius audivi, quam quod te nostrarum jam partium factum accepi. NIC. Adficior tibi Martine, & quippe, ut ais, jam vestra sum fide imbutus; illud tamen molestiæ mihi supereſt, quod Principes Christianos siniſtrorsum tendentes video, temporalibusque illectos commodis nihil Ecclesiæ auscultare; quo fit, ut accedentem me ad vestram sententiam fortunas meas ire perditum, animam vero lucrifactum sciam: sed opum, quam animæ ferre jacturam malo, nec perpetuis

(1) Cod. Can. *habebam.*

petuis bonis præferam tranſitoria. AEN. Dignus amore es; ponendus tamen eſt metus: juſta eſt nobis cauſſa coram judice juſto. Advocata eſt, cui negare nihil ſcit filius; tum, qui cauſſam dicit, Felix ſapientiſſimus. Veritatis præterea, quam tuemur, ea vis eſt, ut contra omnium ingenia, quamvis calliditatem & aſtutiam, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facile per ſemetipſam ſe defendat. STEPH. Mittamus ſermones, jam tertio clamitat (1) janitor; Nicolaus mecum hac nocte in cœna erit; non tamen ut Metellus Pius a Quæſtoribus in Hiſpania ulteriore epulis quæſitiſſimis, ſed ut Hercules ab Evandro, familiaribus excipietur. MART. Immo & Nicolaus & vos ambo apud me cœnabitis; ſemeſus lepus & altilia adhuc integra ex farina involuta domi ex prandio ſuperſunt; expoſitori quoque mandavi, ut porcum Trojanum in noctem paret; ſatis loquendo & ambulando obſonavimus famem. AEN. Nicolaum ſive Martinus, ſive Stephanus habeat, me quoque ut habeat neceſſum eſt. Mihi, qui ſola paupertate ſum dives, nihil parati eſt domi; & quippe, ſi Philoſophum facit inopia; ut inhabitatio, teſte Diogene, nec me Platoni, nec poſtponetis Ariſtoteli: frui tamen ad vitam neceſſariis, & valido, mihi det Olympi rector; at, precor, integra cum mente: nec turpem ſenectam degere, nec muſa carentem. Sed præcurro ad portam, ne poſtquam clauſa fuerit, pecunia coëmamus ingreſſum.

*Explicit Dialogus Venerabilis & Egregii Viri Domini Æneæ Sylvii Senenſis, Sanctiſſimi Domini noſtri Felicis divina providentia Papæ Quinti Secretarii de rebus conciliaribus.* (2)

## VII.

Epiſtola ÆNEÆ SILVII ad HARTUNGUM de Conciliorum & Pontificum Romanorum auctoritate.

## MONITUM.

*De epiſtola, quam hic in lucem profero, egi jam pluribus* in Admonitione *mea, libello Dialogorum* Silvii, *quem modo evolviſti, præfixa; reſtat, ut de illo, ad quem exarata eſt, pauca adnotem, ab ipſo* Ænea *memoriæ prodita. Quippe in Hiſtoria ſua Auſtriaca, quam nunc demum integre vulgavi, ſemel atque iterum ejus commeminit, nunc* Hartungum *probe, nunc Italo more* Artongum *adpellans. Teſtis hujus mihi eſt pag. 125. B. ubi inter Oratores Francofordiam ab Imp.* Friderico *miſſos fuiſſe ait:* Gaſparem Slik Cancellarium, Æneam Secretarium, & Artongum Secretarium. *Item pag. 147. A. ubi ad Mediolanenſes ablegatos fuiſſe ſcribit:* Artongum de Cappel & Johannem Hinderbach Juris Interpretes. *Denique pag. 220. C. dum hæc addit:* Interea, *inquit*, gens Vngarica, ad quam miſſus fuerat Hartungus de Kappel, legalis ſapientiæ conſultiſſimus. *Eſt ergo, niſi fallor, idem ipſe,*



(1) Cod. Can. *clamat.*
(2) Cod. Can. *iſta clauſula caret.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*quem* Gerardus de Roo *Hiſtor. Auſtr. pag. 274. ab Imp.* Friderico *ad Tulnenſia Comitia miſſum fuiſſe adſerit*, & Hartungum Cappellam *adpellat. Juris interpretem; Imp.* Friderico *a Secretis*, & Silvii *Conlegam fuiſſe ex his ſatis patet; plura de illo hic ſcribere neque opus eſt, neque etiam vacat. Exſtat in Cod. Jur. Canon. LXII. fol. 109.*

VIRO INSIGNI
ET SINGULARI VIRTUTE PRAEDITO,
DOMINO ARTONGO,
JURISQUE DOCTORI,
AENEAS POETA
S. D.

In aula Cæſaris cum nuper otioſi eſſemus, ſermonem ita, ut fit, de rebus diverſis conſeruimus; erasque tu mihi jucundus, & ego tibi, ut puto, non eram gravis. Sed advenit tertius, cujus nomen taceo, ne homini parum utili aut honorem aut dedecus meis adferam ſcriptis. Ille, ut primum adfuit, quietam & lætam confabulationem in garrulam & mœſtam, quamvis de rebus ſeriis diſputationem, convertit: nunc neutralitatem, ſeu animorum ſuſpenſionem, qua Germania utitur, hæreticam dictitans; nunc Romani Pontificis auctoritatem ſuper generale Concilium quibusvis in rebus extollens. Ego, qui una in parte damnari, cui ſervio, & cujus panem comedo, Regem audiebam; & in alia rem mihi dubiam proponi videbam de auctoritate Papæ ſupra Concilium: ad primum dicebam neutralitatem poſſe defendi, ſi eum in finem fieret, ut paci Eccleſiæ commodius conſuleretur; eamque eſſe mentem Regis interpretabar: ad ſecundum vero, concluſionem emiſi omnino contrariam, dicens, in omni re, de qua Papa Conciliumque contenderent, præponendam fore ſententiam Concilii; exiſtimans te atque illum modeſte reſponſurum, & amicum inter nos diſputationis oriri certamen: hæc eſt enim, ut in Tuſculanis Cicero ait, vetus & Socratica ratio contra alterius opinionem differendi; nam ita facillime, quid veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe, Socrates arbitrabatur. At tertius ille mox ad injurias prorupit, tantumque verborum cecidit ab ejus ore, ut conſultum putaverim ad modum Ulyſſis, Sirenarum cantus formidantis, aures incerare; quod quidem feciſſem, niſi & te cum eo perdere timuiſſem, cujus ſermonem dulcius audiebam, quam illius fugiebam. Sed evenit, neſcio quomodo, ut & tu etiam modeſtiæ terminos excederes; nam & hæreticam propoſitionem meam dicebas, & audire me nolebas; ſi quando teſtibus Juris Canonici non eſſe ſtandum contra ſacram Scripturam aſſeveraſſem: &, cum fidei meæ principia Evangelica debuiſſes exiſtimare, Decretales epiſtolas videbaris præferre; qua ex re factum eſt, ut absque concluſione ſecederemus ab invicem: & cum ego ſperaſſem, aliquid diſcere & fieri tua prudentia doctior, incertior, quam prius eram inde receſſi. Reverſus autem domum multa mecum de tuis dictis contuli, & hinc quidem rationes meam

ſen-

tentiam firmabant, inde tua auctoritas, quam non parvi facio, elidebat. Hæsi ergo pluribus diebus incertus, quid agerem, tene iterum alloquerer, an tacerem penitus; quorum alterum te fugere videbam, alterum putabam inutile. Nam cum de fide agitur, non debemus esse negligentes, immo & juxta Apostolum parati esse debemus, unicuique poscenti rationem reddere de ea, quæ nobis est, fide. Erat autem mihi molestum, quod me tenere sententiam hæreticam dixisses; nam etsi ita esset, mutare illam volebam: *tutissimus enim*, ut Cicero ait, *portus est periclitantibus mutatio consilii:* at variare sine ratione stultissimum est. Sed inveni tandem aliam viam, qua ex te possem verum excerpere, si modo tu velis absque contentione; scribereque tibi statui rationes meas, quibus motus sum, ut conclusionem superiorem emitterem, sperans te mihi rescripturum, aut confutaturum, aut approbaturum, quæ perscripserim; eamque ob caussam hanc ad te nunc epistolam do; ut videas, *tune an ego insaniam*, ut Terentii verbis utamur; quod si dignus fueris responde (1) & meas rationes eliseris, acquiescam tuis doctrinis, teque non solum sequar, sed utrisque amplectar brachiis: si vero tacueris, & calami laborem refugeris, scribam Universitati Viennensi, in qua plurimi litteratissimi viri sunt, quorum judicium sciscitabor; minime enim in hoc dubio esse volo, cum dubius in fide infidelis dicatur, & res ista fidem concernat, qua nihil nobis majori curæ esse debet: *justus enim*, ut scriptum est, *ex fide vivit.* Unum tamen, antequam scribam, protestationis loco esse volo, ut nihil me dicere vel tu putes, vel alius quisquam credat, ea intentione, ut ad præsens schisma respiciam; neque enim eo loco sum, ut loqui me de contentionibus modo vigentibus deceat: sed quæstio nostra omni tempore oriri potest, etiam cum unita esset Ecclesia, ideo cognoscenda est. *Nam &*, ut Cicero in officiis ait, *propria hominis est veri inquisitio.* Sed audi jam tandem, quod volo, & vide, an leviter motus fuerim, cum dixi: Papam in omni re inferiorem esse Concilio. Scribo tibi nunc rationes meas, ut quas noluisti audire, nunc legas, earumque primam hanc suscipe.

Illius sententia in rebus omnibus est præferenda, qui omnibus melius discernit, & auctoritate potitur majori; quæ duo in Conciliis generalibus invenies, in Romanis Pontificibus non invenies, quod mox probo: Papa unus est, Conciliũ multorum est peritorũ congregatio; unde plus vident oculi quam oculus; & omnes omnia sciunt, nemo omnia, nimiumque arrogans est, qui se melius discernere putat omnibus aliis, & tunc maxime fatuus est, cum se putat sapientissimum: quod adeo verum est, ut non solum unius, sed nec plurium sententia adversus plures valeat; cum semper in senatibus atque conventibus & in omni Republica majoris partis judicium obtinuerit. Unde & in Concilio Carthaginensi vigesimo definitum legimus, plurimorum sententiam sacerdotũ obtinere debere, nec iis congruere id, quod de Paphnucio dicitur, qui volenti Nicæ-



(a) Fortassis: *quod si dignatus fueris responso:*

no Concilio legem de auferendis sacerdotum nuptiis promulgare, contradixit, legemque impedivit; nam ea non facit sententia Paphnucii, sed totius Concilii rationibus Paphnucii acquiescentis. nec Concilium præsens absolute deliberaverat, sed inter deliberandum erat, & hoc moris in Conciliis est, ut quod ab uno dictum sit, tamquam ab omnibus dictum recipiatur: sicut in Chalcedonensis Synodi gestis invenimus: sed non est in re clara amplius immorandum. Illud fortassis videtur magis dubium, quod de auctoritate præmissum est; sed neque illi contra deest probatio: nemo negat, in certis causis Pontificem ita subesse Concilio, ut deponi possit; Concilium vero posse per Papam damnari, nulla lex permittit. In Concilio præterea Constantiensi Martinus Papa, approbante Synodo, errores Johannis Wiclef condemnavit, inter quos ille unus erat: *Non est de necessitate salutis Romanam Ecclesiam supremam inter alias credere;* quem errorem litteræ Martini sic limitant: *Error, si per Romanam Ecclesiam universalis intelligatur, aut Concilium generale, aut pro quanto negaretur primatus summi Pontificis supra alias Ecclesias particulares.* Quæ verba, mihi quidem, nescio an itidem aliis, majorem potestatem esse Conciliorum, quam summorum Pontificum ostendunt: siquidem universalis Ecclesia & Concilium æquiparantur; Papæ vero primatus super particulares tantummodo videtur Ecclesias, esse dimissus. Cum ergo & providentia major, & potestas amplior in Conciliis, quam in summis Pontificibus inveniatur, quis non videt, in omni negotio præferendam esse Conciliorum sententiam? cum nulla lex adferatur, quæ istum vel illum casum Papæ reservet invito Concilio, cur non illud potius beati Leonis edictum amplectitur? *ut, qui se scit aliquibus esse præpositum, non moleste ferat, aliquem sibi esse prælatum:* quod non ideo dico, ut hominem sibi aliquem præferat singularem, sed ut synodorum universalium judiciis se subjiciat, ut obedientiam, quam exigit ipse, dependat: nec enim sine causa Simon, Petrus dictus est, qui, ut Rabano placet, obediens interpretatur. Unde & ipse Petrus in epistola, *non tamquam dominans in clero*, inquit, *sed forma factus gregis.* Utinam omnes ad commune bonum tenderemus! & quod in Remp. vergeret, id tantum amplecteremur; nec aut blandiri aliis studeremus, aut blandientibus aures præstaremus! Sed sunt quidam, qui, ut se summis Pontificibus insinuent, ei omnia subesse dicant, ipsamque universalem Ecclesiam & dispersam per orbem & synodaliter congregatam judicare debere; induuntque hujusmodi homines, ut Basilius dicit, polypi faciem, qui ad speciem subjecti soli colorem mutat. Quo fit, ut ipsi gravissime peccent mendacia confingendo; &, sicut Terentius ait, homines sibi auscultantes ex stultis insanos faciant; quod vitium maxime principibus inest, laudes suas & potestatis suæ amplitudinem percupide audientibus, facileque credentibus, si Juvenali credimus, quid est enim ait ille, *quod credere de se non possit, cum laudatur Dis æqua potestas.* Sed digressus sum, nescio quomodo, in hos sermones, qui etsi fratres sint disputationis nostræ, nimis tamen in lon-

longum nos ducunt; redeo rurſus ad inſtitutum.

In Conſtantinopolitano Concilio ſcriptum eſt: *Porro, ſi ſynodus univerſalis fuerit congregata & facta fuerit de ſancta Romana Eccleſia quævis ambiguitas & controverſia; oportet venerabiliter & cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem accipere.* Moxque ſubjicitur: *non autem audacter ſententiam dicere contra ſenioris Romæ ſummos Pontifices.* Quæ Concilii auctoritas dilucide manifeſtat, non in iſta, vel illa, ſed in qualibet controverſia univerſalem ſynodum, dum id reverenter & non audacter faciat, poſſe de ſummis Pontificibus judicare: quod ad meam propoſitionem quam pertineat, tu ipſe inferas. Ad hoc etiam Evangelicus textus quam maxime facit, cum Chriſti verbis beatus Petrus ad Eccleſiam remiſſus fuerit, tamquam ad ſuperiorem atque ultimum tribunal; quodſi fuiſſet Petrus ſupra Eccleſiam, nequaquam fas erat majorem recurrere ad minorem. Sed visne digitis tangere veritatem meæ propoſitionis? Audi argumentationem hanc: omnis poteſtas inter Eccleſiam, ſicut Apoſtolus aſſerit, non in deſtructionem ſed in ædificationem tantummodo ſe extendit; Papa autem intra Eccleſiam poteſtatem habet, & ædificatio idem eſt, quod reformatio: at in reformatione Eccleſiæ, tam in capite, quam in membris obedire Concilio Papa tenetur, ut Conſtantiæ definitum eſt: ergo in omni re, ubi poteſtas Papæ vendicat locum, ſuperius eſt Concilium. Quod ſi neque hoc te movet, ſubjungo & aliud argumentum, mea quidem opinione nervoſius cæteris. Petrus Apoſtolus, cum claves regni cœlorum accepit, in perſona recepit Eccleſiæ; ſicut Auguſtino de Agone Chriſtiano videtur, dum ait: *Huic enim Eccleſiæ claves Regni cœlorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt.* Qua ex re Vicarium illum Eccleſiæ conſtat fuiſſe; Vicarius vero, ſicut notiſſimum eſt, ſemper Domino cedit, nec Vicariis contra Dominos ulla jurisdictio ſuffragatur. Quod ergo de Petro ad Eccleſiam, idem de ſuis ſucceſſoribus erga generalia Concilia, dici poteſt. Papa enim Petrum repræſentat; Concilium vero Eccleſiam. Quod ſi ita eſt, probatum jam eſt, quod diximus; in omni re, de qua Concilium Papaque diſſentiret, ſuperius eſſe ſynodale judicium.

Sed reſpondendum in præſentiarum ſupereſt, quæ in adverſum rationibus adducuntur; parum eſt enim ſua probare, niſi, quæ videntur contraria, deſtruantur; quod facientes a mendacio cavebimus, quod, ut Ariſtoteles ait, per ſe improbum eſt ac vituperatione dignum: verum autem probum ac laudabile, quod inquirere totis debemus affectibus. Recipiam ea, quæ videntur robuſtiora firmioraque argumenta, hisque pro mei parvitate ingenioli ſolutiones præbebo; quæ ſi validæ erunt, non tibi, ut arbitror erunt moleſtæ; cum nihil hic quam ad animæ referamus utilitatem, cujus curam, ſi ſuperemus, & dignitati & amplitudini majorum & corporis viribus & formæ & magnitudini & honoribus univerſis, &

ipſi

ipſi Imperio totum, quod eſt in hac vita excellens, præponeremus. Quodſi ridiculum fuerit, quod dixero, tuum erit officium errores oſtendere & erranti comiti viam monſtrare, *quod qui facit*, ut Ennius inquit, *quaſi de ſuo lumine lumen accendit:* id quod, teſte Lactantio, non ſolum erga volentes, ſed etiam circa invitos fieri debet; quando id, quod bonum eſt, neſciunt. Sed jam alterius partis objecta diſcutiamus.

Dicere ſolitus tu es, tuique ſimiles multi id faciunt: Concilium Conſtantienſe tria dumtaxat expreſſit, in quibus vellet Papam ſubeſſe Concilio; ergo in aliis non id voluit; nam incluſio unius excluſio eſt alterius; & qui tria petiit, plura non voluit. Hæc argumentatio valida videtur plerisque, mihi vero non ſic; nam etſi aliquando valet apud Legiſtas, apud Theologos non valet ſemper. Evangeliſtarum unus gallum, quo Petrus admonitus eſt negationis, bis cantaſſe commemorat; quodſi idcirco ulterior cantus excludatur, quia de duabus vicibus ille ſolum expreſſit, falſus erit alius Evangeliſta, qui tertium cantum ſubjunxit: quod pias aures nimis offenderet. Cum ergo Conſtantienſe Concilium tria illa, quæ ſcimus, expreſſerit, nec clauſulam ullam reſtringentem adjunxerit, quæ eſſet *tantummodo* vel *dumtaxat*, aut cætera iſtiusmodi; nequaquam reſtringere auctoritatem debemus Conciliorum, & interpretationem abſonam recipere, quæ aliis auctoritatibus obviet, & per quam ridiculum illud emergat, ut nunc ſuperius nunc inferius ſit Concilium. Verum quid nos de tribus obſecro diſputamus, an non ex his unum tantum ſatis fuiſſet exprimere, reformationem videlicet Eccleſiæ, extra quam, ut paulo ante dixi, nulla poteſtas Romani Pontificis, aut etiam Conciliorum extenditur. Scio autem, quid tu tacite cogites, eoque venio: ſi adeo late reformationem interpretemur, dicit, fruſtra de aliis duobus ſubjungitur; nam & illa intra reformationem continebantur. At videte, obſecro, textum legis; particularia primo ſcribuntur, poſt generale ſubjungitur: nam cum dixiſſet Synodus, Papam, & quemlibet alium obedire teneri decretis cujuslibet Concilii generalis in iis, quæ pertinent ad fidem exſtirpationemque ſchismatis, vidensque longum eſſe ſingula numerare, mox generale verbum *reformationis* adjecit, ut omnia complecteretur; quod oratorium eſt & ſecundum artem, præmiſſis particularibus ſubnectere generalia; vitium autem fuiſſet, ſi contrarius ordo fuiſſet ſervatus; ſicut de illo Cicero in Rhetoricis dicit, qui ſic partitus fuit: *Omnimodam populi cupiditatem, & audaciam, & avaritiam, & adverſariorum omnia incommoda ad Remp. perveniſſe.* Nam is non intellexit in partitione, expoſito generali, partem ſe generis admiſcuiſſe, cum genus omnium libidinum ſit *cupiditas:* cujus generis ſine dubio pars eſt avaritia. Synodus vero & recte & pulchre generaliſſimum nomen particularibus poſtpoſuit. At tu hanc interpretationem non eſſe ſumendam putas, quæ canonibus jam ſcriptis adverſetur; adducisque verba Symachi, Anacleti, & Bonifacii, ex quibus conſtat, ejectionem ſummorum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rum Pontificum ſibi Dominum reſervaſſe, & neminem poſſe judicare primam ſedem, & nulli mortalium illius culpas licere reprehendere. Ad quam rem poſſem reſpondere, quod hi textus nullatenus intelligendi ſint præjudicium facere Conciliis generalibus, aut Scripturæ ſacræ; ſed ſufficit mihi, quod gloſſator veſter ſuper verbis Bonifacii dicit: qui non ſolum de fidei errore poſſe puniri Papam affirmat, ſed etiam de omni alio crimine, per quod univerſalem ſcandalizaret Eccleſiam; quod dictum ſententiam meam firmat, cum in re qualibet, ſi nolit Papa Concilio obedire, per inobedientiæ crimen univerſalem ſcandalizet & conturbet Eccleſiam. Nam, ſicut infra dicetur, generale Concilium univerſalem repræſentat Eccleſiam; nec vereor dicere, ipſum eſſe Eccleſiam. Quæris fortaſſe, an in collationibus beneficiorum minutisque rebus Concilium Papæ præſit? Ego quidem dixi in omni re; Concilium tamen univerſale ad hæc minime non intendet, niſi cauſſa urgeat: quod ſi intenderit, prævention locus erit; quod ſi concurrant factum Concilii prævalebit, tamquam ſuperioris, ut probatum eſt. Sunt tamen nonnulli, qui vetuſtas legentes hiſtorias, reperientesque Papam Leonem Epheſinam quandam Synodum condemnaſſe, & ejus geſta reprobaſſe, Romanos Pontifices ſupra generalia Concilia extollunt; unde illud Macrobii impletur: *cui plus licet quam par eſt, plus velit quam liceat.* Papæ namque id verum exiſtimantes eſſe, plurima voluerunt illicita. Sed nihil eſt, quod de ſynodo dicitur Epheſina; minime enim generale Concilium fuit: cum & absque Apoſtolicæ Sedis auctoritate convenerit, & per violentiam urgentibus armatis exſtiterit celebrata; ſicut in geſtis legimus Synodi Calcedonenſis, de qua etiam illud animadvertendum eſt, quod cum Leo Papa Synodum illam damnaſſet, expectatum tamen eſt univerſalis Concilii judicium, ſive Calcedonenſis Synodi; nequaquam igitur valet, quod de Epheſina opponitur Synodo: nos enim de veris atque legitimis univerſalibus ſynodis loquimur, quas poſſe per Romanos Pontifices reprehendi nulla ſcriptura decantat: licet diſſolutis Conciliis poſſint Romani Papæ decreta Patrum interpretari, & juxta temporis conditiones mutare; dummodo id ſervent, quod Damaſus Papa de ſe atque aliis dixit in hunc modum: *Idcirco norma Sanctorum Canonum, qui ſunt Spiritu DEI & totius mundi reverentia conſecrati, fideliter eſt a nobis ſervanda & diligenter tractanda, ne quo modo Sanctorum ſtatuta absque inevitabili neceſſitate, quod abſit, transgrediamur.*

Ad refugium aliud, quod ſolet adferri, nunc deſcendo, ut & id, ſi poſſum, tibi adimam; non ſolum enim, ut Ariſtoteli placet, verum dicere oportet, ſed etiam cauſſam falſi; nam id ad fidem faciendam pertinet, & quando ratio conſpicitur, propter quam videbatur verum, quod non eſt verum; facit ut vero magis credatur. Eſt igitur tua ſententia, ut id demum dici Concilium debeat generale, ubi ſummi Pontificis interveniat auctoritas; illudque ex verbis Iſidori Hiſpalenſis, per Gratianum in Decretorum libro receptis, affirmas, quæ hujusmodi ſunt: *Synodorum vero congregandarum auctoritas Apoſtolicæ Se-*

*di privata commiſſa eſt poteſtate, nec ullam ſynodum ratam eſſe legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata, vel fulta; hoc Canonica teſtatur auctoritas, hoc hiſtoria Eccleſiaſtica; hoc ſancti Patres confirmant.* Sit hoc ita, nolo hic pugnare; quamvis & regula iſta exceptionem patiatur. Ego, quorſum tendat hæc tua ſententia, non plane intelligo; niſi idcirco talia dicas, ut venire illud in uſum nequeat, quod Papa a Concilio diſcrepet. Nam cum ipſe in Concilio ſit, a ſe ipſo diſcreparet, quod fieri non poteſt. At ego non ſolum diſcrepare a Concilio Papam cenſeo poſſe, ſed hominem a ſe ipſo ſæpius diſſentire. *Eſt autem in homine*, ut Ariſtoteles ait, *ratio atque cupiditas*; & cupiditas quidem rationi obedire debet: at id non ſemper fit; pravi namque, ſecundum eundem Philoſophum, ſecum ipſi diſſident & alia cupiunt, alia nolunt: cumque nihil habeant, quod amari mereatur, nullo amore erga ſe ipſos afficiuntur. Cum ergo a ſe ipſo malus diſcrepet, cur id fieri tu poſſe negabis, ut a Concilio Papa diſſentiat, ſi fuerit malus? Sed dices fortaſſe de bono te diſputare Pontifice non de malo: ego vero de malo loquor, minimum quippe de bono: *Juſto enim*, ut Apoſtolus ait, *non ponitur lex.* namque ſi juſtus fuerit Papa, numquam id committet, ut Concilium ſibi reddat infeſtum: ſed Beatum Gregorium imitabitur, qui *cunctas ſe*, inquit, *perſonas reſpuere, quas ſacra Concilia reſpuerent.* Nec Conſtantienſe Concilium, cum declarationem illam, quam præmiſimus, fecit, ligare juſtos voluit, ſed injuſtos; exiſtimavitque ſynodus illa futurum aliquem Papam, qui a Concilio diſſentiret, quæ in conſtitutione hujusmodi quam habens quibusdam tenendum putavit (1). Quodſi caſus nullus, ut tu reris, emergere poſſit, per quem Papa a Concilio diſſideat; nequaquam opus fuerat conſtitutionem promulgaſſe, futurum. Sed vidit plus illa ſynodus, quam nos videmus, ideoque illi acquieſcamus, ſciamusque evenire poſſe, ut a Concilio Papa diſſentiat, quod non ſolum contingere poteſt, ubi malus eſt Papa, ſed etiam ubi bonus: *incidunt enim*, ut Cicero de amicitia dicit, *nonnunquam contentiones de Rep. in quibus amicus ab amico honeſte poteſt diſſentire*, id eſt, in rebus admodum dubiis. Quod ſi quando inter Papam Conciliumque evenerit, cum nolint entia male diſponi, Judicio Concilii ſtabitur; peccabitque tandem Papa, ſi poſtquam ſuam dixerit opinionem, ſynodali ſententiæ contumaciter reſtiterit. Rurſus inſtat quidam, unum eſſe debere in Eccleſia Principem, qui ad exemplum Imperatoris omnia judicet, omnia regat, omnia diſponat, dominusque ſuper omnes ſit. Sed iis Evangelium adverſatur, cum ſcriptum ſit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic, ſed qui major eſt veſtrum ſit tanquam miniſter.* Quod vero de capite dicitur, id videtur nonnullis inextricabilis nodus; dicunt enim, qui Papæ tuentur partes: Papa Eccleſiæ atque Concilii & verus JESU Chriſti Vicarius eſt, in tantumque progredi audent, ut eum ſponſum Eccleſiæ adſtruant, quod mihi valde abſurdum videtur; cum Paulus dicat, Chriſtum Eccleſiæ caput eſſe & ſponſum: quod ſi verum ſit, quod illi ajunt, mon-

(1) Locus, ut videtur, a librario corruptus.

monſtruoſa erit Eccleſia duo capita duosque habens ſponſos: rectius itaque diceretur, Romanum Papam Eccleſiæ capitis atque ſponſi vicarium eſſe: nullus enim vicarius ſponſi Domini dicitur ſponſus. Cum de Eccleſia loquor, univerſalem intelligo; nec enim me fugit Romanæ Eccleſiæ ſponſum eſſe ſummum Pontificem, ſicut & Pontifices cæteri ſuarum Eccleſiarum ſponſi dicuntur. Nec video, quomodo ſponſus Eccleſiæ Catholicæ Papa eſſe poſſit, cujus ipſe eſt filius, dicente Papa Clemente: *Pater noſter ſine dubio Deus eſt, qui nos creavit; mater Romana Eccleſia, quæ nos in baptismo ſpiritualiter regeneravit.*

Jam vero de Concilii capite diſputemus; Concilium quippe univerſalem Eccleſiam repræſentat; de generali, inquam, quod, qui non credit, hæreticus debet cenſeri; ſicut ex bulla Martini Papæ, ſacro approbante Concilio edita, conſtat, ubi mandatur interrogari ſuſpectos de hæreſi: an credent quodlibet generale Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentare? ut ſi id negent hæretici reputentur. Quod ſi dixerim Concilium generale univerſalem fore Eccleſiam, forſitan non errarem; cum vetera Concilia, maximeque Nicænum, quos excommunicabant, per Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam fuiſſe illos excommunicatos dicerent; rurſus quoque nomen Eccleſiæ tunc videtur impletum, cum Concilium univerſale habet Eccleſia; namque convocationem ſignificat, Apoſtoli etiam atque diſcipuli cum conveniſſent, ab univerſa Eccleſia factum prædicabant, quod ipſi congregati ſtatuiſſent; ſicut ex Actis conſtat Apoſtolorum. Cum igitur Concilium congregatum eſt, Papa intereſſe per ſe aut ſuos debet, primumque locum tenere, tamquam organum Synodi loqui, proponere, reſpondere, eoque modo caput eſſe Concilii, non violentiam aliquam ingerendo, nec absque aliis Patribus, aut majori parte Synodi definiendo. Quodſi plus velit, atque a Concilio ſuos Apocriſarios retrahat, ſeſeque ſeparet; non tamen propterea definit eſſe Concilium, ſicut per receſſum Johannis Conſtantiæ declaratum exſtit. Concilium enim Eccleſia eſt, vel Eccleſiam repræſentat, Papa vero unus eſt filiorum Eccleſiæ: propter receſſum vero unius filii mater Eccleſia eſſe non definit. Verum ſi tibi durum videtur, quoque reſpondere poſſum, Papam a Concilio, quod eſt corpus, recedentem, ſimiliter exſpirare; quia nec ſine corpore caput reſpirat: ſed argumenta hæc aliena ſunt a noſtro inſtituto; non enim de eo capite loquimur, quod humores quoslibet & vitales ſpiritus corpori ſubminiſtrat, ſed de quodam miniſteriali capite, quod & amoveri poteſt & mutari; ſicut & tuus Bonifacius propter errorem fidei profitetur: Eccleſiæ vero atque Concilii verum caput Chriſtus eſt, qui, recedente Papa cum Eccleſia manet, ipſo dicente: *ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Nec illud huic rei obſtat, quod vos dicitis ex adverſo, Romanum Pontificem veri Dei vicarium eſſe; nam & alii omnes Epiſcopi veri DEI vicarii ſunt, ficut Hieronymus beatiſſimus de gradibus teſtatur Eccleſiam &c. Et

tamen deponi poſſunt. Quod autem Papa per univerſum orbem & ſuper omnes Epiſcopos jurisdictionem habeat, neſcio an dicam unde id ſit, ne forſitan nimis male interpreteris; dicam tamen, quod apud alios reperio non vulgares auctores; habent Epiſcopi limitatas Diœceſes, Papa nullis anguſtiis reſtringitur. Unde hoc? tu forſitan a Deo dices, quod ei ſit dictum, *quodcunque ligaveris* &c. id quoque Bernardus ad Eugenium ſentire videtur, quo ſit, ut magis dubitem hic loqui, ne fortaſſe errem; ſed ego hujus rei periculum ad me non recipio, nec aſſerere, ſed referre volo, quod invenio. Anacleti verba hæc ſunt in libris Iſidori de Conciliis poſita: *Cæteri vero Apoſtoli cum eodem, ſcilicet Petro, pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem eorum eſſe voluerunt.* Ex quibus dictis apparet, ſuperioritatem Petri ab hominibus proceſſiſſe; cum alii pares antea ſibi forent Apoſtoli, eisque etiam dictum fuiſſet: *quæcunque ligaveritis* &c. Sed nolo hic pedem figere; nam & ipſe Chriſtus dixit: *Tu vocaberis Cephas*, id eſt caput. (1) Utcumque eſt illud, non videtur abſonum, quod per Eccleſiam Papa corrigi poſſit, ſicut Epiſcopi per Papam corriguntur; nam id non eſt validum argumentum: Vicarius Chriſti eſt, ergo non poteſt corripi; quoniam ſicut dixi, Epiſcopi etiam Chriſti vicarii ſunt & ſponſi Eccleſiarum ſuarum, ipſius autem univerſalis Chriſtus eſt ſponſus. Unde & in Evariſti Papæ Decretis legitur, ut refert Iſidorus: *Scimus namque, ſicut a Patribus accepimus, Chriſtum eſſe caput, cujus nos membra ſimus; ipſe enim eſt ſponſus, Eccleſia ſponſa, cujus filii nos ſumus; ſacerdotes vero vice Chriſti legatione funguntur; & ſicut ei ſua eſt conjuncta ſponſa, id eſt, Eccleſia, ſic Epiſcopi junguntur Eccleſiæ unicuique proportione ſua.* Quæ auctoritas & hæc, quæ modo dixi, &, quæ ſupra tetigi, pluribus in locis confirmat.

Supereſt jam ultimum, quod adverſus Conciliorum defenſores nonnulli: graviter vos, inquiunt illi, duas plenarias penitus poteſtates (2), quod eſt abſurdum: nam & poſſe omnia Romanum Pontificem & Concilium adſeveratis. Nos tamen nequaquam hoc dicimus, ſed noſtra ſententia eſt, ut ſedente Concilio plenitudo illic poteſtatis exiſtat, ut quicquid agat, id teneat, Papa vero invito Concilio nihil efficere poſſit: quodſi Concilium diſſolutum ſit, plenitudo poteſtatis & exercitium ad Papam revertatur, cum nemo jam ſupra eum ſit, niſi Eccleſia univerſalis, quæ nihil ſtatuit, niſi conveniat, Conciliumque faciat. At, ſi ridere de aliqua opinione poſſumus, illa eſt procul dubio derdenda, quæ certis in caſibus Concilium Papæ, & rurſus in aliis Papam Concilio præfert; ac ſi Deus duas in terris poteſtates creaſſet, & unam in hoc, aliam in illo voluiſſet præferri; cum tamen ſolummodo ſemel inveniatur Chriſtus dediſſe poteſtatem Eccleſiæ; cum ait: *Accipite ſpiritum ſanctum* & quæ ſequuntur. Nam quod Petro dixit: *Tibi dabo claves regni cælorum*

(1) Non hoc Syris & Chaldæis, quorum ſermone Divinus Servator uſus eſt, notat; ſed *Lapidem, Saxum, Petram*: unde etiam Principi Apoſtolorum *Petrus* eſt nomen.
(2) Deſiderari quidpiam videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*rum*, de futuro fuit, quod tunc adimpletum eſt, cum dedit ſpiritum ſanctum Dominus.

Sed faciamus jam finem, & cum certitudinem habeamus nonnullis in caſibus Papam ſubeſſe Concilio, nec legem æquam habeamus, quæ aperte aliquem caſum reſervet, in quo debeat Papæ Concilium obedire, minime illos damnemus, qui rebus in omnibus Concilii generalis præferunt auctoritatem. Dixi, quod mihi viſum eſt, non doctrinæ tradendæ cauſſa, ſed ſuſcipiendæ; ut a te atque ab aliis doctioribus edocerer, maximeque a Theologis, quorum hæc eſt diſputatio familiaris. Ego nihil pertinaciter aſſero, ſed cupio verum ſcire fierique ab unoquoque prudente doctior: & quippe inter mediocres homines eſſe volo; cum tria ſint hominum genera, ſicut Heſiodus Poëta dicit, namque optimum illum eſſe ait, qui per ſe ipſum, quæ agenda ſunt, conſpicit; ſequenti autem gradu, qui aliorum conſilia ſequitur; qui vero ad neutrum horum aptus eſt, eum penitus eſſe inutilem. Quæ verba adeo veteribus placuerunt, ut Ariſtoteles in Ethicis; Livius de ſecundo Punico bello; Baſilius in libro, quem ad diſcipulos ſcripſit, eadem referant: quo fit, ut mihi ſi deſit perſpicacia illa videndi, quod rectum eſt, illud etiam velim deeſſe, ut aliorum monitis non adquieſcam, Vale!

## VIII

Antonii Bonfinii Præfatio, Philoſtrati Senioris operibus, in Latinum ſermonem ab eodem converſis, præfixa, ad Matthiam Corvinum Hungariæ Regem.

### MONITUM.

*De Cæſareo Codice, qui* Philostrati *Heroica, Iconas, Sophiſtarum vitas, cum Epiſtolis, a* Bonfinio *Latine factis, habet, egit pluribus Cl.* Lambecius *Comment. Lib. II. pag. 995. ubi etiam præfationem, cujus modo memini, luce publica dignam eſſe cenſuit. Vitæ Sophiſtarum ſolæ, teſte* Fabricio (1), *ex ejus verſione editæ ſunt ex ædibus Schurerianis A. 1516. 4. cum præfatione* Nicolai Gerbelii: *tum Baſileæ A. 1563. Hinc cum eadem interpretatione, ſed ſexcentis a ſe, ut ait, mendis purgata has vitas exhibet* Federicus Morellus *in Græcolatina ſua* Philostrati *editione. Nihilominus tamen ſat multa reliquiſſe caſtiganda, conſtat eruditis. Falſa interpunctione lapſum creberrime in* Philostrato *vertendo* Bonfinium *notavit* Gatakerus *Adverſar. Miſcell. cap. 16. Laboris hujus ſui meminit ipſe* Bonfinius *Rer. Vngar. Decad. IV. Lib. VII. pag. 636. edit. A. 1581. ubi de adventu ad Regem ſuo, deque ſcriptis ab ſe eidem oblatis agit.* Poſtulanti, *inquit*, miſſionem *(Bonfinio,)* abnegavit *(Rex:)* nec parvo quidem



(1) *Biblioth. Gr. Vol. IV. p. 50.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Picentem rhetorem ſalario conduxit, fauſtæque Beatrici legere, & pro arbitratu ſuo ſcribere multa juſſit: nec non caſtra ſequi præceperat, ſcriptoribus & philoſophantibus inimica. Quod cum ille invitus facere cogeretur, ne ingrato in caſtrenſi tumultu, moleſtoque ocio uteretur; oblatum ſibi Philoſtratum tribus menſibus in Latinum tranſtulit: in primis vero Neapolitanas Iconas, deinde vitas Sophiſtarum, & epiſtolas: *Hæc ille; quam ob rem etiam aberrationum ſuarum ab æquis lectoribus veniam facilius impetret. Codex, qui verſionem continet, is idem eſt, quem* MATTHIÆ *Regis juſſu & impenſa ſcriptum Corvinianæ Bibliothecæ ipſe* BONFINIUS *intulit. Teſtatur adſertum meum cum ſplendor operis regius, tum inſcriptio, quæ eſt hujusmodi:* Divo Matthiæ Corvino, Principi invictiſſimo, Ungariæ, Bohemiæque Regi, Philoſtrati Heroica, icones, vitæ Sophiſtarum & epiſtolæ ab Antonio Bonfine traductæ, & in Corvinianam Bibliothecam Regia impenſa relatæ. *Deinde ipſa codicis facies & fata, a Cl.* GENTILOTTO *noſtro hunc in modum memoriæ prodita.* Eſt codex membraneus, foliorum 171. ſæculi decimi quinti, qui primum pertinuit ad Matthiam Corvinum Ungariæ Regem, cujus impenſis profecto regie cum auro tum picturis illitus & exornatus eſt, adeo ut ei ſimilem nec viderim nec exſtare putem. Deinde vero domino plus vice ſimplici mutato, in Cæſaream Bibliothecam pervenit, ut ex inſcriptionibus, quæ partim in principio, partim in fine codicis jacent, cognoſcimus, hoc exemplo: *Mihi* (Joanni Gremperio, ut ex iis, quæ infra dicam, fit veriſimile) *hunc librum dari juſſit ſereniſſima Regia Majeſtas Hungariæ & Bohemiæ Wladislaus in præſentia D. Wolfgangi Pülſperger Camerarii intimi & Generoſi Stephani de Zinzendorff Anno XIII. penultima Decembris.* Et mox: *Poſt hoc jure teſtamenti a Gremperio ad me Cuſpinianum hic liber venit.* In fine exſtant ſolitæ formulæ donationis Collegio S. Nicolai a Joanne Fabro, Epiſcopo Vindobonenſi factæ, die X. Januarii A. CIↃIↃXL. Continentur eo Philoſtrati Senioris opera quædam, ex Græco in Latinum ſermonem translata, Regique Ungariæ Matthiæ Corvino dicata, ab Antonio Bonfine, ut ex inſcriptione litteris aureis confecta, & in primo folio elegantiſſimis emblematis & parergis ornato poſita claret. (1) Præmittit interpres præfationem bene longam ad memoratum Regem Matthiam, quam, cum tota fere ſit hiſtorica, licet aſſentationis calamiſtris inuſta mihi videatur, publica luce dignam judicavit Cl. Lambecius Lib. II. pag. 995. ego vero ejus auctoritatem ſecutus, integram infra ſcripſi. *Hæc* GENTILOTTUS. *At vero ad laudatam præfationem quod attinet, ea neutri viro docto probe cognita fuit; nam hiſtorica quidem tota fere eſt, & ad illuſtrandas a* MATTHIA *res geſtas idonea, haudquaquam tamen prorſus inedita. Quippe bellum anni* CIↃCCCCLXXXVI. & VII. *adverſus Imp.* FRID. III. *geſtum iisdem plane ſententiis ac verbis idem* BONFINIUS *iterum ſcripſit Rer. Ungar. Decad. quartæ libro octavo pag. 640. præcipue vero pap. 644. ubi deditionem Neapoleos Auſtriæ, ſive Neoſtadii, militisque Corviniani armorum incredibilem uſum, diſciplinamque prope Spartanam enarrat. At ſunt tamen in præfatione iſta plurima, quæ laudatæ modo*

De-

(1) *Vide Lamb. Lib. II. p. 995.*

*Decadis IV. libro lucem fœnerentur, adfundantque non modicam. Sic nempe clare hic & perſpicue* BONFINIUS *loquitur: Neoſtadium a* MATTHIA CORVINO *deditione fuiſſe captum.* Idibus, *inquit,* circiter Auguſtis Auguſta civitas, vero Auguſto deditionem facere coacta eſt. *Unde merito mirere ſcriptorum nonnullos, qui rem, ſine his etiam certiſſimam, in controverſiam vocare voluerint.* Certant hoc loco, *inquit Timon,* & anno (CIↃCCCCLXXXVII.) hiſtorici calamis pro Neapoli Auſtriæ tantum fere, quantum Matthias machinis bellicis. Hungari, inter quos ipſe Iſtuanfius, ajunt, eam in poteſtatem Corvini redactam; inficiantur Auſtriaci, quibus vexillum fortaſſe præfert Cromerus. Bonfinius refert, ad Idus Auguſti decretum fuiſſe, ut urbs dederetur, Matthiamque idcirco in caſtra ad exercitum rediiſſe, tum Heroes, qui oppugnationi aderant, enumerat. *Hæc ille; at miror ego diligentiſſimum alias* TIMONEM, *addubitaſſe de capta Neapoli, cujus non ſolum deditionem, ſed de dedita etiam triumphum* BONFINIUS *litteris prodidit Decad. IV. Lib. VIII. pag. 643.* FUGGERUS *deinde, Scriptorum Auſtriacorum anteſignanus, idem minime reticuit ad eundem* CIↃCCCCLXXXVII. *pag. 971. Sed hæc, & hoc genus alia Scriptorum παρεράματα Annalium noſtrorum eruditis conditoribus caſtiganda relinquo.*

## AD DIVUM MATTHIAM, UNGARIÆ, BOHEMIÆ, AUSTRIÆQUE REGEM, PRINCIPEM INVICTISSIMUM, ANTONII BONFINIS TRADUCTIO IN PHILOSTRATUM LEMNIUM, SOPHISTAM PRÆSTANTISSIMUM, ET IN PRIMIS PRÆFATIO FELICITER INCIPIT.

Non erubeſcat amplius ipſa poſteritas beneficio tuo, Dive Mathia, poſtquam opere & virtute tua factum eſt, ut cum glorioſa vetuſtate certare jam audeat: quod, cæteris prætermiſſis, ex bello tantum Alamannico, ne in caput excreſcere videamur, planius oſtendetur. Nam cum profuſo ſerenitatis tuæ nomine ſuccenſi in Pannoniam trajeciſſemus, compluraque volumina Majeſtati tuæ, ac Divæ Beatrici, Filioque Joanni, fauſtæ indolis adoleſcenti, dedicaſſemus; dum trans Iſtrum tua caſtra ſequimur, ea victoriæ tuæ ſigna & perpetua quidem monumenta vidimus quæ potius Julii Cæſaris, & Auguſti, veterumque Principum, quam ætatis noſtræ gloriam decuiſſent. Ibi namque expugnatas paſſim urbes & opida ſpectavimus; quæ non ſolum arte, ſed loci natura, munitiſſima videbantur: quibus neque impoſita a Friderico Imperatore præſidia; neque munitiones, & propugnacula; neque auxiliares copiæ; neque Noricorum Suevorumque exercitus; neque Auguſtales legiones ſubvenire & prodeſſe potuerunt. Miſerari potius, quam ab oppugnatione vindicare licebat. Si qua auxilia, ſubſidii neceſſitate coacta, in certamen deſcendiſſent; uno eodemque tempore & ſe proteri, & ſua oppida acerrime oppugnari, expugnarive conſpicabantur. Quare ita Alamannorum animi conſterna-

ti

ti, ut non modo patentem Pannoniis Auſtriam tueri deſperaverint; ſed ſat ſibi fuerit, intra Noricorum montium clauſtra ſe ſuosque fines tueri poſſe. Immo ſi quid obſtinatius audere perrexerint, profecto verendum, ne ita aliena defendere contendant, ut pro ſuis demum dimicare cogantur. Hamburgum captum vidimus, in Danubii ripa ſitum; expugnatam quoque ejus arcem ſuſpeximus, monti impoſitam editiſſimo; quam non ſolum humana, ſed ne gigantea quidem audacia occupare potuiſſet. Confractam Lavam, Retiam, Engeburgamque ſpectavimus; quæ non tam pertinaciæ pœnis, quam erubeſcentiæ ſtimulis angebantur. Pleræque ſe ſe victoris gloria & clementia conſolabantur; quandoquidem cum his, quæ facilem deditionem feciſſent, benigne actum eſſet, & in pertinaces haud ſevere animadverſum. Ulteriorem Auſtriam, felicia caſtra ſecuti, luſtravimus; ubi pagos, & opida, quæ plus æquo reſtiterant, omnia ferro ignique vaſtata paſſim cernere erat. Sed quid hæc? ecce Viennam venimus, Flaviam olim appellatam, & concinna ædium, templorumque ſtructura usque adeo mirabilem, ut cum ornatiſſima quaque Italiæ urbe ſe conferre non pudeat: ita aggere, foſſa, muro quoque duplici munitam, ut vix arcta triennii obſidione, erectis undique turribus, quæ commeatus inhiberent, & eam inedia afficerent, capi potuerit: cujus quam glorioſa fuerit expugnatio, & quam glorioſus ſubinde triumphus, hinc conjectari poteſt; ut, cum honori & utilitati ſimul conſuluiſſe videatur, non minus urbs univerſa tanto victore, quam victor victoria tanta congaudeat. Paucis poſt diebus ad Civitatis Novæ, acerrime reſiſtentis, expugnationem ſerenitas veſtra properavit. Hanc annum obſeſſam arctius ad deditionem adurgere ſtuduit; caſtra continuo inſtauravit; copias undique concivit; turres urbi propius admovit: atque ne quid inferri, efferrive poſſet, foſſa valloque perpetuo circumſepſit. Nihil hac obſidione tempeſtate noſtra præclarius usquam viſum eſt. Urbs eſt in profuſa patentique planitie ſita, uliginoſo paluſtrique loco, & aquis undique emergentibus circumfuſa: præterea, duplici foſſa, ſcaturiente aqua completa, in vaſti gurgitis ſpeciem. Duplici quoque muro amneque, & frequentibus undique turribus, propugnaculis, aggereque munitiſſima: arce denique prædita, qua nihil in orbe terrarum mirabilius: quando tota penſilis, & ſupra culmina penſiles quoque hortos habet: altiſſima circum munita foſſa, quadrato lapide conſtructa, & aquis circumventa in inſulæ ſimilitudinem. Augebant hæc impoſita præſidia; munitiones innumeræ; obſtinati opidanorum animi. Nemo ad ſecundum lapidem tuto appropinquare poterat. Tria quoque ſuburbia munitiſſima urbem protegebant: quare partim paluſtri ſolo, partim amnium propugnaculorumque difficultate, urbs hoſti adiri non poterat, neque diverti flumina, neque cuniculis mœnia ſubiri. Ubicunque effodiebatur, latices emergebant: proinde nihil arte, naturaque munitius poterat excogitari. Accedebant Noricorum munimenta montium, qui urbem in theatri ſpeciem circumſtabant; unde ab imminentibus undique caſtellis ſubveniri poterat, & circumſpectu obſeſſorum animi confirmari.

Tua

Tua autem ſerenitas, quia videbat nihil in Auſtria eſſe geſtum, niſi hæc civitas, Auſtriæ caput, Imperatoris Regia, Patria Auguſtorum & ſepulchrum, atque munitiſſima denique ſpes & tutela regionis, in ditionem tuam perveniſſet : tam vehementi animo oppugnationem adorta eſt, ut nunquam ſit die noctuque ceſſatum. Primarium nocte ſuburbium vi captum; ubi tui milites, humerotenus aqua cænoque trajecto, tam præclarum auſi facinus non mediocrem ſibi laudem compararunt. Expugnato ſuburbio, varia tormentorum genera urbi propius admota ; inprimis ſex inſanæ belli machinæ, ex ære conflatæ, profligatis olim Turcis ereptæ ; quæ urbem ita quatere cœperunt, & ea potiſſimum parte, quæ ſpectat ad Viennam, ut omnes illinc turres, murosque protriverint. Mox tormenta undique mœnibus adacta, & ita proxime circumerectæ turres caſtellorum inſtar, ut cominus cum oppidanis, niſi interjecta foſſa prohibuiſſet, manus conferere potuiſſent. Quare nimium oppidanorum attritæ vires, & conſternati animi, ſuperba ubique faſtigia machinis deturbata : contra illi nullum defenſionis genus prætermittere; diruta mœnia aggere reparare ; quaſſa & nutantia ſuccidere, ne foras devoluta foſſam ample complerent. Ita infeſtis aliquamdiu pugnatum animis, ut multi vario inſidiarum genere utrinque occiderint. Ad trajiciendos gurgites, qui muros circumfuderant, & ad urbem expugnandam, varia inſtrumentorum excogitata genera, quæ nulli bellicæ artis autores tradiderunt. Sed Majeſtatis Tuæ clementia, cum oppidanos, ob impoſiti præſidii vim, deditionem facere non poſſe, neque urbem ſine magna cæde capi, intelligeret; quamvis expugnare poſſet, ſi voluiſſet; tamen maluit ſeptimo menſe per inediam ad deditionem cogere, quam cum magna ſuorum, hoſtiumque cæde urbem capere : quam quidem captam a militari deinde incendio, & fævitia eripere nequiviſſet: immo uno eodemque tempore civitatem & cives, opes & ornamenta, ac denique oleum, ut ajunt, & impenſas perdidiſſet. Ut militum opidanorumque ſaluti conſuleret, ſex menſibus obſidionem non ſine magno impendio prorogare, quam utrosque ſimul perdere maluit. Idibus circiter Auguſtis, Auguſta civitas, vero Auguſto deditionem facere coacta eſt : ut qui Auguſtis auſpiciis natus erat, ſuperato toties Auguſto, de Auguſta civitate Auguſtis quoque idibus triumpharet. O Clariſſimum, digniſſimumque triumphum, legitimo bello comparatum, & tantarum vindicem injuriarum ! o divum honorem, divo Matthiæ bene merenti jure traditum, & ab urbe Roma, unde oriundus eſt, merito uſurpatum ! tribus ante diebus ſanctiſſimam Beatricem tuam cum univerſis legionibus præmiſiſti, quæ Cæſareæ urbis imperium iniret, & te triumphantem exciperet. Spectavimus, inquam, ſpectavimus de triumphali Sacerdotum, civiumque pompa ; in qua non ſigna, non tabulæ, non ſpolia hoſtium, cum quibus præ victoris indulgentia clementer actum, ſed victricia tantum vexilla ferebantur : præcedentibus innumeris equitum turmis, & acclamantibus undique fauſta militibus, ſub umbella aurea in urbem candido equo invectum : ubi variæ nationes, ſuis quæque ſignis, Te Cæſarem, te

jure Auguſtum, te verum Imperatorem exclamabant; quando de duobus primariis ætatis noſtræ Imperatoribus claram victoriam ſæpe retulisti. Ingeminabant omnes Io triumphe! Io Corvine! & apud omnes aras pro tua paſſim victoria ſupplicatum. Succedebat Hippolytus Aragonius, divæ Beatricis ex Sorore, immo trium quoque Regum nepos; beneficio veſtro, & pontificia auctoritate, pro fauſtiſſima ſua indole, decimo ætatis anno Strigonienſis Metropolita deſignatus. Stephanus Bathor, Dacorum præfectus; religione ſumma, incredibili continentia, & ingenti rei bellicæ diſciplina, gloriaque præditus; quem veneris penitus expertem affirmant omnes, te cum ingenti, & cataphracto equitatu ſequebatur. Cæteri legionum legati, equitumque præfecti, ut Petrus Gerebus, Stephanus Comes Regius, Tetaurus, & Jacobus proxime anteibant. Item Bertoldus Comes Regius, & Ladislaus, Getarum accolæ, ingenti mole corporis, ac mira fortitudine ſpectatiſſimi. Sed illud profecto ne minus quidem mirabile viſum eſt; nullam vim, nullam inſolentiam, ne minimam quidem contumeliam & convitium, neque publice, neque privatim victis illatum. Item ubique honeſte ſancteque verſatum. Ille melior eſſe videbatur, qui pallentis longa fame hoſpitis ora citius refocillaret. Quin & ex oppidanis aliqui inconſiderata colluvie diſtenti expirarunt. Venere congratulatum ex univerſo fere regno optimates; inprimis Urbanus, Pater ille optimus, Pontifex Agrienſis; vir probitate, magnificentia, pietate, fideque præſtantiſſimus; tolerantiſſimus laborum; tuorum conſiliorum miniſter fideliſſimus; exactiſſimum, & generale artificii tui, ut ajunt, inſtrumentum; nullius otii particeps: ut in regia gratia conquieſcat, ex Ungaria gratulabundus occurrit. Item paucis poſt menſibus e Gallia rediens Joannes Varadienſis antiſtes, magnanimitate, ac fortitudine ſumma præditus; ubique referens, quanti principis fuerit alumnus, non minus armis, quam toga clarus: cui nulla unquam demandata legatio, quam non fide, magnificeque geſſerit. Id ipſum urbes cæteræ factitarunt. Quis igitur hæc omnia cum antiquitate conferri poſſe denegarit? Quis hæc geſta Romanæ propaginis eſſe inficiabitur? quis Matthiam Corvinum, Principem invictiſſimum, Romanam gloriam æquiparare non dixerit? Proinde reſumat animos ipſa poſteritas; neque religioſæ tantum tribuat vetuſtati, ut ſibi omnia detrahat. Habemus namque Matthiam, quem, ut paullo infra differemus, non minus modeſte, quam vere cum univerſa antiquitate conferre poſſumus. Perquam mirabilis fuit novæ Civitatis obſidio; ne Trojana quidem Numantinaque ignobilior. Mirabilis quoque triumphus, cum Æmiliano ædepol conferendus. Sed ne inferior quidem fuit eo die acierum inſtructio; quo, compoſitis rebus novæ Civitatis, ad Scæam Viennam caſtra moviſti, quæ in faucibus montium Noricorum ſita eſt: & uno die adita, viſa eſt, & capta. Ante urbem obſeſſam in patentiſſimo campo legiones omnes explicuiſti; redegiſti in aciem: ubi, quæcunque apud veteres legeram de diſciplina militari, recognoſcere licuit. Ibi te non modo

do Regem ſapientiſſimum, potentiſſimumque Principem, ſed Imperatorem quoque conſum (1) eſſe intellexi. In quatuor agmina diſtribuens equitatum, velites ac equites levis armaturæ in duas tantum alas; ut brevi diſtributione copiarum multitudo facilius tegeretur, & confuſio evitaretur omnis. Exercitus, qui e caſtris prodiit in campum, ut inſtituto agmine ad occupandas Noricorum furcas, faucesque contenderet, ex octo millibus peditum & XX. millibus equitum, ſine pueris, calonibus, & lixis, item ex carris circiter novem millibus ſane conſtabat. Tua autem Serenitas ſuis manibus agmina cuncta inſtituere voluit, & Caſtrenſia munia pro meritis ipſa diſtribuit. Cuique agmini vexilla ſua eſſe: ubi inprimis Chriſtianæ fidei; mox veſtræ domus; deinde invictæ gentis Ungaricæ; poſtremo Dalmatici, Bohemicique Regni, & Auſtralium inſignia ſpectari. Neque præfectorum, equitum, militumque deeſſe vexillationes; immo viritim quisque equitum præfixa haſtis vela ferre; quod ad militare ornamentum maxime faciebat. In primis ubi inter turmas illa prodiit, ſilentium indictum; non ſolum viris, verum etiam equis religioſe ſervatum. Allata primi agminis ſigna in medium; ea manu veſtra præſtantiſſimo veterano non ſine diligenti præcepto commiſſa. Ille calcaribus carere; quod mihi non ſine admiratione ſpectatum: id factum rebar, ne in maximo conflictu, concitato equo fugeret, ſuaque fuga ſuperſtitum animos conſternaret. Mox duodecim enſes; totidem ſecures, & clavæ benemerentibus datæ; ſecuriferi, enſiferi, claviferique vexilliferum circumſtare. Deinde turmarum ordines ante vexilla conſtituti: horum ſinguli ex quinque & XX. equitibus plane conſtare: ut numerus equitum cum turmis conſentiret. Proinde turmæ, circiter octoginta equitum, ante ſigna miro ordine præcedere; ſubſequi totidem. Ibi anteſignani, & poſtſignani rite conſpici; reliqua demum agmina eodem modo inſtitui: ita quisque ordinem ſervare, ut ſi digito plus alius alio proceſſiſſet, Imperatoris, quam maxime circumſpecti, ſævitiam reformidare cogeretur. Tantum ubique obſequium, timor, & reverentia eſſe cum Imperatoris amore conjuncta, ut dicto citius imperata quisque præſtaret, vitam, dum imperio ſatisfaceret, pro nihilo duceret. Tantum ubique ſilentium, ut non modo præter veſtram nulla hominum vox, ſed ne ullus quidem equorum inhitus usquam ſit auditus. O admirabilem Imperatoris obſervantiam, Potentiſſimumque numen! quando equi etiam tuæ ſerenitatis imperia & edicta religioſius obſervarent. Inſtitutum quodque agmen, ubi aliquanto proceſſerat, dato ſigno, ante Principis ora belli ſimulacrum agere; & modo in cuneum, modo in orbem, modo in trigona, tetragonave, modo in forficem, & ſerram, mutata acie, verti. At ubi ſatis ſuperque, nemine ſuum locum deſerente, ſumma peritia & dexteritate luſum; ut ſereniſſimæ Beatrici oſtenderet evidentius, quomodo inſtructa acie pugnaretur, repente agmina cuncta diſpoſuit. In utroque cornu duo validiſſima cataphractorum equitum agmina collocavit, turmatim conſtituta; duo quo-

(1) *Sic, f. pro* conſummatum, *vel* ſummum.

quoque in medio ſtatuit : his etiam militum agmina interjecit. In primo horum ordine gravis armaturæ pedites; deinde haſtatos; ſagittarios, ferentarios, cæterosque levis armaturæ milites rite diſpoſuit. In tertia acie triarii præſidebant, & extrema ſigna tuebantur. Item ante utrumque cornu duas velitum alas extendit; qui quidem quini ordinem ſervabant; tanta pernicitate præpollentes, ut aves curſu adhibere poſſe viderentur. Ego autem Beatricem, dominam deamque meam ſecutus, dum me ad exercitum ſpectandum converto, tanquam manum jamjam cum hoſte conſerturum, maxima ſum continuo admiratione percitus; nam veri ſcorpionis imaginem præferebat. Poſt ubi ſatis ſuperque a Diva conjuge ſpectatum, ordinatum agmen quodque iter facere cœpit. Carri pariter a latere agi; quibus pro foſſa valloque ex inſtituto tuo Vngari non modo caſtra munire, ſed falcatis in prælio uti, hoſtesque iis circumvenire ſæpe ſolent. Miranda ſunt profecto, quæ diximus; quando nunquam in Italia videre licuit. Sed cum diſciplinam militarem, moresque ſanctiſſimos, quibus Vngaros educaſti, mecum ipſe conſidero, aliquamdiu in caſtris diverſatus; ne minore quidem admiratione conficior. Nusquam mihi milites ſpectare licuit caloris, & frigoris, item laboris, & inediæ tolerantiores; qui ſtudioſius imperata faciant; qui libentius, dato ſigno, pugnam ineant; qui ſe morti promptius exponant; qui militarem ſeditionem magis deteſtentur; qui in caſtris quietius, honeſtiusque vivant; qui ſeſe religioſius agant; qui tumultus ac rixas magis abominentur; qui temperantiam & caſtitatem magis colant, ab omni blaſphemia, perjurio, illegitimaque venere penitus alieni. Maxima pars equitum, quibus uxores ſint & liberi, triennium quandoque aſſiduo militare coacta, nunquam conjugii fidem violaſſe creditur. Si quis cum militari ſcorto deprehenſus eſt, perpetua ſugillatur infamia. Fortitudinis & patientiæ ſunt plus quam Lacedæmoniæ. Hyeme æque ac æſtate caſtra frequentant; & quod meis hiſce oculis ſæpe vidi, ſub nivibus ac terra, ne obſidionem deſerant, toleranter hibernant, unde murum ſæpe more prodeunt. Stationibus totam noctem teſſerariorum juſſu equites adſunt; neque loco moventur, neque rigenti algore queruntur: & quamvis plerisque membra vel ſæviente frigore obſtupeſcant, invicto tamen animo cuncta patiuntur. Liberos in caſtris alunt, ibique militaribus ſtudiis informant: ex quo fit, ut gens Vngarica bello aſpera, ita inſtitutis, ductu, auſpiciisque tuis creverit; ut quæ non modo paternam glebam in Pannonia poſſideret, ſed vix intra hoſtile pomœrium ſe ſine ſanguine tueretur, tantum fecerit acceſſionis: ut a Sarmatis ad mare usque Adriaticum, & a Myſiis, atque Macedonibus ad Noricos usque ac Germanos ſub ditione tua imperium propagarit. Erubeſco equidem, ne quid patriæ gentis gloriæ detraham, ea dicere, quæ veritas meis e faucibus exerit; haud parum veritus, crimen impietatis, aſſentationisve calumniam. Sed numine veritatis adactus, neque Matthiam, Dominum, Deumque meum; neque benemeritos Vngaros vera

lau-

laude defraudabo. Exiſtimabam nuperrime ex Italia in Pannoniam profectus, veluti in quoque ſcientiarum genere, cæterisque artibus, ita & in re militari, morumque præſtantia, a cæteris ei nationibus eſſe cedendum: ſed ubi tua caſtra luſtravi, aliquamdiu inter ſtationes & contubernia verſatus, ea profecto ibi ſpectare & admirari contigit, quæ me invitum ſententiam mutare cogebant. Utinam tam validos, & munitos equitatus, tam probos, fidosque animos, tantam rei militaris peritiam, ea corporum robora, eam denique fortitudinem, continentiam, & religionem apud Italos hac tempeſtate, quam in veſtris caſtris vidimus, invenire liceret! In veſtro namque exercitu, quod non ſine pudore dici poteſt, multos Curios, Camillos, Fabricios, Fabios, Scipiones &, Æmilios cernere erit. Quis Paulum Geniſium, ducem hercle fortiſſimum? quis Stephanum Bathor ſanctiſſimum? quis Stephanum Scepuſienſem tanta fortitudine, ac regia charitate preditum, ut in Alamannico bello inter confertiſſimos hoſtes captus, cæſis, qui latera clauderent, ſe incolumem receperit ad ſuos. Quis Petrum & Matthiam Gerebos, accerimos belli duces, miro robore præſtantiſſimos? qui cum conſobrini Majeſtatis veſtræ ſint, alterum vere clypeum, enſem alterum poſſumus appellare. Quis Franciſcum Ariſtum, indomitæ fortitudinis equitem? cæterosque innumeros, quos recenſere otii foret longe majoris, negare auſit, de priſca Romanorum gloria non modo geſta, ſed vultuum quoque referre Majeſtatem? O fæcundiſſimam bellatorum gentem, ubi multos intueri licet militari imperio dignos! O effætam exhauſtamque Italiam, tot Imperatorum olim officinam! Quæ præter illuſtriſſimum Alphonſum Aragonium, neminem hoc tempore apud ſe invenire poterit, cui tuto exercitus committi queat. Deploremus igitur Heſperiæ orbitatem, & divæ huic Corvinæ Serenitati congratulemur: quippe quæ jacturam noſtri temporis, geſtarum rerum gloria ita reſarſit, ut hæc ætas habeat, quod univerſæ ita poſſit objicere vetuſtati, ut illa ſæpius obmuteſcat. (1) Hoc ex Philoſtrati lectione cognoſces, Princeps invictiſſime, quem Poëtarum interpretationi maxime neceſſarium, in Novæ Civitatis obſidione, dum cum Diva Regina Beatrice, omnium noſtri ſæculi mulierum



(1) *Nobiliſſimum hoc priſcæ Hungarorum militaris virtutis ac diſciplinæ teſtimonium iisdem ſententiis ac verbis, ut in prævio monito dixi, repetiit* Bonfinius Decad. IV. Lib. VIII. pag. 643. *unde excerptum* Cl. Belius, *eruditæ Hungariæ inſigne ornamentum, vulgavit* in Apparatu ad Hiſtoriam Hungariæ pag. 316. *hac ſub epigraphe;* Speculum priſcæ Hungarorum militaris Diſciplinæ. *Et o utinam in eo mores ſuos, & officia erga Regem & patriam quotidie examinent populares noſtri! utinam ad priſtinam virtutem, amoremque patriæ redeant! nam nobilem eſſe, & patriæ deeſſe; cummoda libertatis arrogare ſibi, & ejus incommoda atque onera defugere: id profecto ignaviſſimus quisque non difficulter patraverit. Porro jam dixi, magnam partem præfationis hujus ab ipſo* Bonfinio *Decadis IV. lib. VIII. eſſe intextam; ignoravit hoc. Ill. ac Rev. Vir.* Antonius de Bajtaj, *ex ſcholis Piis Epiſcopus nunc Tranſilvanienſis, qui ex odore ſtyli perſuadere mihi conatus eſt*, eam Bonfinii *non eſſe. Perſimilis itidem probitatis eſt ejusdem viri docti judicium de Silveſtrinis litteris, ad* D. Stephanum *miſſis; cujus inter nos controverſiæ obſcuram mentionem feci* Hiſtoriæ *meæ* Diplomaticæ Juris Patronatus *pag. 50.*

rum ſapientiſſima, noſtris ſtudiis pro fauſta benignitate ſua admodum delectata, haud procul a caſtris hibernaremus, inter tumultus hoſtium, machinarumque fragores, tribus fere menſibus e Græco in Latinum ſane traduximus. Nam cum Tideus noſter, arguti compos ingenii, & vir apprime eruditus, me otio ſuo offendiſſet, hunc librum obtulit; quo ingratum meum otium conſolarer. Acceſſit Julius Æmilius, veſter Medicus, de valetudine veſtra ſemper optime meritus, & Poëta ſane non contemnendus. Item Stephanus Criſpus, Protonotarius Pontificius, & non ſolum probitate ingenita, ſed Latinæ linguæ elegantia præſtans; qui me in traducendo ſæpe usque adeo adurgebat, ut quandoque admodum timerem, ne e feſtinata hac fœtura quicquam ederem inmaturum. Proinde Trojani belli Veſtra Majeſtas imprimis Heroica legere dignetur; unde facile intelliget, penſitatis Græcis Trojanisque Heroibus, qui plus mendacio, quam veritati debuerunt; ſe plus nominis ex Auſtriæ tantum, quam illos ex Trojano bello promeruiſſe. Utinam igitur, utinam! quando temporum maturitas advenit, & omnium eſt viciſſitudo regnorum, legitimos, nuncupatis votis, quæſumus, illa vivat annos! quousque uſurpatum utrumque a barbaris nationibus imperium, in tuam, ut par eſt, redigatur poteſtatem. Sed antequam hæc legas, de Philoſtrati vita eſt aliquid differendum (1).

## IX.

Sylloge Diplomatum, litterarum, Actorum publicorum, quorum teſtimonio ac fide res Auſtriacæ, ab Imp. Friderico geſtæ, in primis nituntur.

### MONITUM.

*Neque officii nunc mei, neque hujus loci & temporis eſſe arbitror, commendare multis veterum Diplomatum utilitatem, quam in ſtudio elegantiorum litterarum præſtant maximam. Perfuncti hoc munere jam pridem ſunt viri in Rep. litterarum longe doctiſſimi; docuit diligenter ſummus* Leibnitius (2), *& politiſſimo judicio ſuo rei Diplomaticæ dignitatem pulchre aſſeruit. Syllogen, quam hic in lucem effero, duas præcipue ob cauſſas juris volui facere publici: monumenta enim primum continet, quæ a ſapientiſſimo, ſuorumque ſubditorum amantiſſimo Principe pretium ſortiuntur non modicum;* Boeclerus *deinde vir clariſſimus idem olim, ſed fruſtra, agere voluit. Adteſtatur id ejus epiſtola, ad* Lambecium *noſtrum ſcripta, quam præfamini, huic volumini præmiſſo, inſerui.* Subſidia, *inquit*, varia conquiſivimus, neque pœ-

(1) *Sequitur in Codice vita* Philostrati, *quæ tamen in* Juniorem *potius quam* Seniorem *convenit.*

(2) *In Præfatione Codicis Jur. Gent. Diplomatici.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pœnitet hactenus collectionis. Quin autem tibi, vir ſumme, rariſſima quæque præſto ſint, non conjicio tantum, ſed multa nominatim ſcio. *Et paullo poſt:* Tertia pars habebit Diplomata & Documenta varia. . . Quid & quantum velis ex immenſa tua copia in noſtros rivulos derivare, tua tibi benignitas dictabit &c. *Porro ad* Boecleri *propoſitum quod attinet, Syllogen monumentorum dare volebat cum ad res Imperii tum etiam Auſtriacas Imp.* Friderici *pertinentium. Fortunam & diligentiam viri doctiſſimi notam fecit Cl.* Kulpisius. *Deſiderabantur utroque in genere quam plurima. Monumenta ad res in Imperio geſtas ſpectantia ſupplere perrexit Cl.* Joan. Joachim. Müllerus *præclaro opere,* Reichs-Tags-Theatrum *inſcripto. Specilegium poſt uberrimam meſſem inſtituit, eruditiſſimus* Gustavus Georgius Königius. *Sola monumenta Auſtriaca amicam expectabant manum, cujus officio e tenebris prodirent in lucem. Illam ego jacentibus porrexi libentiſſime, nihilque non egi, ut diſperſa colligerem. Et favit conatibus meis fortuna;* Augustæ *quippe clementi adnutu, & eruditiſſimorum virorum Roſenthalii & Lambacheri humanitate, tum ſanctius Auguſtæ Domus, tum etiam ampliſſimæ urbis noſtræ tabularia mihi patuere. Retuli opes longe pulcerrimas, & Bibliothecæ theſauros præſtantiſſimo incremento auxi. Eſt tamen quod ſummo mihi nunc diſplicet opere. Volumen hoc, quod vides lector, ſpiſſius jam eſt, quam ut mercem meam omnem eidem includere poſſim. Vtrum ab editis integre Commentariis noſtris ad publicanda reliqua olim mihi redire licuerit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Quidquid demum evenerit, nunc ut his commodo tuo utare, opto; nam accincto jam mihi ad aliud & longius iter, Commentariorum noſtrorum editionem intelligo, immorari Analectis diutius haudquaquam licet. Vale!*

## I.

Copia litteræ, quam illuſtriſſimus Princeps Dominus Rex Poloniæ electo Romanorum Regi mittit. *Cæſaream dignitatem Wladislaus Friderico gratulatur, ſeque ab Ordinibus Regni Vngariæ Regem electum ſignificat, petens, ut controverſiæ, quæ inter utriusque ditionum populos exortæ ſunt, amice componantur: præſertim vero ut ab impugnatione Comitis Ciliæ deſiſtere velit.* Cod. Cæſar. Theol, 205. fol. 303.

Sereniſſimo Principi Domino Friderico Dei, gratia Romanorum Regi electo, ac Duci Auſtriæ &c. Fratri noſtro cariſſimo, Wladislaus tertius eadem gratia Rex Poloniæ electus Regni Vngariæ, Lithuaniæque Princeps, ſupremus & heres Ruſſiæ &c. ſalutem fraternamque caritatem & proſperos ad vota ſucceſſus. Sereniſſime Princeps Frater noſter cariſſime. Gratulabundo admodum audivimus animo, quæ de felicitatis veſtræ fortunatis eventibus primum, fama volante, & demum fide dignorum relacione, his currentibus diebus ad audientiam noſtram ſunt perlata. Intelleximus ſiquidem, qualiter Reverendiſſimi in Chriſto Patres & Illuſtriſmi Principes Sacri Romanorum Imperii Electores Serenitatem veſtram

in

in Regem Romanorum concordi vo-
ce & ſententia elegerunt; & lætati
ſumus, vos alti generis Principem
ad tantæ dignitatis faſtigium feliciter
evectum: qui merito de ſacroſanctis
ſummi Pontificis Vicarii Jeſu Chriſti
manibus Imperii Sacri & Monarchiæ
mundi ſuſciperet diadema. Proinde
quoque Princeps præclariſſime, Sere-
nitati veſtræ congratulamur, & con-
gaudemus ſincero cordis affectu, tum
pro illo naturali inſtinctu, qui nos
cognationis proximitate conjunctos
tenet, tum etiam, quia hujuſcemo-
di Serenitatis veſtræ ſublimationem
plurimum confidimus, magnum con-
ſolationis munus Eccleſiæ Sanctæ Dei
parituram. Verum certam & indubita-
tam in corde noſtro de veſtra Sere-
nitate gerimus fiduciam, quod etiam
vice reciproca de nobis audire felicia
affectatis. Eidem Serenitati veſtræ
præſentium ſerie declaramus perſo-
nam noſtram, vacante Regno Un-
gariæ per obitum Sereniſſimi divæ me-
moriæ Principis Domini Alberti, olim
Romanorum & Vngariæ Regis, in
Regem Vngariæ per Regni ejusdem
Prælatos, Principes, Barones, Comi-
tes Nobiles & Civitatum, locorumque
communitates, unanimi deſiderio ele-
ctum eſſe: qui pro confidentia hu-
jusmodi electionis ſolennes Ambaxia-
tores ſuos, videlicet Reverendiſſimum
in Chriſto Patrem Dominum Johan-
nem Epiſcopum Segnienſem, ac ma-
gnificos Dominos Matkonem de Ta-
lancz Dalmatiæ, Croatiæ & totius
Slavoniæ Regnorum Banum, Jo-
hannem de Peren Magiſtrum Tawer-
nicorum Regalium, Ladislaum de
Palantz Curiæ Regalis Magiſtrum, ac
Emericum de Marczali Magiſtrum
dapiferorum Regalium & Comitem
